uet gloriā



tua te sal



sollicita



n quid bi

Sum
Christiani Kisii
Ao 1683.
d. 6. Jul.

THESAURUS CONSCRIBENDARUM EPISTOLARUM

Ex variis optimisq; autoribus conſcriptus à

M. JOHANNE BUCHLERO à GLADBACH:

Nunc verò compluribus in locis, jucundis præſertim ac utiliſsimis Ciceronis Epiſtolarum imitationibus auctus ac locupletatus.

Cui in fine noviter acceſſit Dialogus JACOBI PONTANI, de laudibus librorum Ciceronis.

Editus curâ

M. JOSUÆ CREPHELD à MOSBACH.

Cum gratiâ & Privilegio Sereniſſimi Elect. Sax.

Prodit nunc tertiùm, quàm plurimis in locis correctus & à mendis repurgatus.

LIPSIÆ,

Impenſis ELIÆ REHEFELDI & JOHANNIS GROSSI,

ANNO M.DC.XXIX.

M. JOSUA CREPHELD à MOSBACH.

Lectori S.P.D.

INsignem quidem superioribus annis juventuti Scholasticæ navavit operam *M. Johannes Buchlerus à Gladbach*, dum libellum de conscribendis Epistolis ex variis optimisq; autoribus consignavit, *Coloniaq;* impressum publicavit,

Verùm quia libellus iste multis in locis quædam adhuc desiderare videbatur; placuit eundem, ex multorum instinctu; meâ operâ, juventutis bono, 1. elegantioribus typis iterum describi: 2 mendis innumeris repurgari: 3. pluribus in locis, svavissimis præsertim, utilissimisq; Epistolarum Ciceronianarum, in quolibet causarum genere, imitationibus: 4. Dialogo *Jacobi Pontani* de laudibus librorum Ciceronis adaugeri. Adauctionis verò nota talis est: †. Id quod, Benevole Lector, paucis hisce significandum tibi fuit. Vale, & hoc labore utere, fruere feliciter!

LIBRI LECTORISQUE διαλογισμός.

SIs quibus audito nostro vix nomine verbis
Ora soluturus, Lector amice, scio.
Has videor voces jam nunc audire: quis usus,
Utilitasvé tui serò adeuntis erit?
Tené putas quidquam Cicerone decentius ipso
Posse adferre? erras, si potuisse putes.
Exstat Epistolicus multis Thesaurus ab annis,
Illius ex solis conditus arte libris:
Hunc colit, hunc sequitur linguæ studiosa Latinæ
Turba, stylo posit splendor ut esse suo.
Haud equidē invideo, libet invidisse nec ulli:
Immò suus per me non minuetur honos.
Materiâ siquidem multum distamus uterq;
Diversaq; sumus conditione sati.
Ille Phrases certis distinctas classibus offert,
Collectas variis ex Cicerone locis:
At nusquam pueros, quânam ratione decenter
Hasce queant scriptis inseruisse, docet.

Ipse

Ipse ego trado vias, (absit jactantia verbis!)
Littera quîs fieri debeat omne genus.
Insuper exemplis, Cicero quæ prodidit unus,
Præceptis facio robur inesse suum.
Poßideoq́ phrases quas non sibi poßidet ille,
Suavibus appositas semper Epistolis,
Quodsi forte mihi non credis, utrumq́ revolve,
Certior hinc factus, postea crede tibi.

AD POLITIORUM LITERARUM STUDIOSOS, Johannis VVilhelmi à Blittersdorff Epigramma.

Puelle, vis aptè, politè, splendidè,
Vis expeditè Epistolas contexere?
Vis Tulliano more quidvis eloqui?
Age, eruditum, perpolitum, candidum
Hunc codicem fac compares, fac lectites,
Fac in tuis sequâre scriptionibus;
Scribesq́ mox aptè, politè, candidè:
Omninò eodem, quo eloquentiæ parens
CICERO *in Epistolis suis modo utitur,*

Quem traditæ præceptiones hoc libro
Planißimè, brevißimeq́; perdocent.
Non audiendos Artis hostes noveris,
Qui quæq; liberè locari qualibet
In scriptione posse ridiculè autumant.
Hæc dux habetur omnium certißima:
Hæc adjuvat naturam, eamq́; corrigit:
Hæc ipsa veterum scripta, & eloquentium
Intelligere, nos & docet imitarier:
Fit lectio quorum duorum gratiâ.



QUID



QUID SIT EPISTOLA, ET UNDE DICTA, DEQUE ALIIS *ejuſdem nominibus.*

EPiſtola eſt abſentium quaſi mutuus ſermo. † Epiſtola eſt nuncius animi ſcriptus ad abſentes, de iis rebus, quas ſcire noſtrâ intereſt. Græcum vocabulum eſt ἐπιστολὴ, ἀπὸ τοῦ ἐπιστέλλειν, quod Latinis *mittere* valet; quia ad abſentes mittitur. † Hinc Epiſtolium, Diminutivum, hoc eſt, parva Epiſtola.

Priſci eandem etiam *Litteras*, *Tabulas*, *Tabellas*, *Codicillos* appellavere. Litteras quidem (in carmine etiam *Litteram*) ob excellentiam, & quod hoc ſcriptionis genus creberrimi inter litteras omnes uſus ſit.

Tabulas, *Tabellas*, *Codicillos* verò à materia: ante enim chartæ & membranarum uſum, (ut Iſidorus atteſtatur l.7. Orig.) ex caudicibus, hoc eſt, arborum truncis efformabantur tabulæ cerâ illitæ, in quibus pungendo (unde Pugillarium nomen (ſtylo impreſſo, epiſtolarum colloquia ſcribebantur. † Et *Feſtus*, Tabellis, inquit, pro chartis utebantur antiqui; quibus ultrò citroq; certiores faciebant abſentes. Hinc *Tabellarius* etiam nunc, qui

eas perfert; quem Græci ἀπὸ τῶν γραμμάτων, id eſt, à literis γραμματοφόρον nuncupant.

A QVO ET CVR INVENTA SIT Epiſtola, & quod ſit ejus proprium?

† Conſtat ex *Plutarcho*, *Julium Cæſarem* omnium primum rationem reperiiſſe, amicos per litteras conveniendi; cùm coràm agendi, nec occupationes, nec magnitudo urbis ſemper occaſionem daret. Atq; id genus propriè *codicillos* appellabant. Hinc & *Seneca* Epiſt. LVI. ad Lucil. *Video*, inquiens, *te mi Lucili cùm maximè audio; adeò tecum ſum ut dubitem an incipiam non Epiſtolas, ſed codicillos tibi ſcribere.*

Inventa autem eſt Epiſtola (ut Cicero lib. 2. ad Fam. Epiſt. 4. inquit) ut certiores faceremus abſentes, ſi quid eſſet quod eos ſcire, aut noſtrâ, aut ipſorum intereſſet. Ejus Proprium, (ut idem ad Q. Frat. lib. 1. ſcriptum reliquit) eſt, ut is, ad quem ſcribitur, de iis rebus, quas ignorat, certior fiat.

† DE EPISTOLICÆ ARtis utilitate.

Epiſtolicæ artis fructus percipitur in lectione & ſcriptione. Nam

1. Qui artem hanc Epiſtolicam ſive rectè ſcribendi didicerunt, majore cum judicio,

& uberiore fructu: tum etiam ferè aliquâ cum voluptate doctorum hominum, seu veterum, seu recentium Epistolas legunt.

II. Multâ Epistolarum doctorum hominum, præsertim verò Ciceronis lectione hoc consequentur, ut ipsi non solùm promptiùs & expeditiùs scribant, quàm cæteri: Sed & doctiùs, venustiùs & elegantiùs, quàm qui ducem sequantur Naturam.

III. Qui in his præceptis vel mediocriter exercitati fuerint, multò paratiores venient ad ipsa dicendi præcepta, & conficiendas declamationes.

IV. Ad ipsas etiam serias orationes, quibus graviores tractantur & explicantur controversiæ, in Senatu vel Curià, vel apud principes, Reges & Imperatores.

DE EPISTOLARVM DECORO.

Epistolam scripturus diligenter tria hæc potissimùm consideret: *Quis sit ipse, qui scribit; Cui scribat; &, Quibus de rebus scribat?*

† Quod paulò uberiùs venit declarandum.

I Quis scribat?

Hoc est; notusne illi sit, cui scribat, an ignotus? amicus an inimicus? Par illi an impar genere, fortunis, ætate, eruditione &c.

II. Cui scribat.

Hîc quinq; considerentur: I. Natura. II.

Fortunæ. III. Studium. IV. Dignitas, & V. Affectio.

I. In Natura ſpectantur hæc tria:

1. *Sexus*: Vir, an Mulier? Filius, an Filia?
2. *Ætas*: Pater, an adoleſcens? Vir, an ſenex?
3. *Natio*: Germanus, an Italus?

II. In Fortuna hæc 4. conſideranda:

1. *Vitæ* ſtatus: ſervus, an Liber? 2. *Natales*: Nobilis, an ignobilis? 3. *Exiſtimatio*: Clarus, an obſcurus? 4. *Opes*: Dives, an pauper?

III. In Studio advertenda.

Ars: an Liberalis? Grammatica, Dialectica, Rhetorica &c. An illiberalis? Sartoria, ſutoria &c.

IV. In Dignitate.

Perſonæ qualitas:
An ſacra, an prophana? Num perpetua, num verò ad tempus? an princeps, vel prætor?

V. In Affectione hæc 4. ſpectantur:

1. *Notitia*: Cujas, an peregrinus?
2. *Benevolentia*: Amicus, an Inimicus?
3. *Conjunctio*: Cognatus, an Affinis?
4. *Officia*: Num benè, vel malè de te ſit meritus?

III. Quod

III. Quod scribat?

Hoc est, Scripturo Epistolam accuratè inspiciendum est Argumentum seu Materia Epistolæ, & res ipsæ, de quibus velit scribere?

Cùm enim materia multiplex sit, magnam requirit scribendi varietatem.

Certum verò est, Ciceronem scripturum Epistolam, istud Epistolarum decorum diligenter considerâsse, & multô accuratiùs ad Doctos scripsisse, quàm ad Indoctos: ad familiarissimos aliter, ut ad Atticum, quàm ad minùs famili[illegible].

Rursus aliter scripsisse de Republica; aliter de privatâ: aliter de reb. seriis: aliter de jocosis. Quæ consideratio ad Epistolarum decorum inprimis spectat.

DE REBUS EPISTOLOGRAPHO NECESSARIIS.

Non secus in Epistola, atque in oratione Rhetorica, Primùm per inventionem excogitandum est, quid sit scribendum: Deinde curandum, ut inventa ritè congruenterq; disponantur: Postremò quonam modo disposita sint aptis Verbis & sententiis eloquenda, elaborandum est. Memoria & pronun-

nunciatio, quæ Oratori maximè necessariæ sunt, huic non sunt admodum expetendæ. Ea enim, quæ Epistolis mandamus, Memoriâ & Actione non egent.

DE INVENTIONE.

Inventio Epistolæ est earum rerum, quas scribere volumus, excogitatio: quam nobis ferè suggerunt quotidiana vitæ negocia, & necessitates, & hinc inde oblatæ variæ scribendi occasiones.

† Quò fit, ut hæc inventio non tàm artis sit, quàm prudentiæ, quæ paratur ingenio, judicio, & rerum multarum usu.

DE DISPOSITIONE.

Dispositio est rerum inventarum in ordinem distributio: in qua considerandum, quid initio, quid medio; quid congruentiùs in fine collocetur. In adolescentibus literarum cupidis, ut non solùm fertur, sed laudatur etiam elegantium verborum studio quæsitus splendor: sic in iisdem commendatur Dispositionis studiosa quædam diligentia. Sed adultioribus vertuntur hæc vitio, nisi fortassis in Epistolis, quæ de Reipubl negotiis scribuntur, vel mittuntur ad Reges & principes, quas paulò comptiores esse decet, & graviores cæteris: ut character argumento,

to, quod tractatur, & ipſi perſonæ, cui ſcribitur, congruat.

† Qua tamen in re, præſertim in iis Epiſtolis, quæ de rebus ſcribuntur quotidianis & domeſticis: aut ad amicos & familiares, non magnoperè laborandum, quod in familiari & quotidiano ſermone, cujus Epiſtola ut Nuncius eſt, ita quoq; ſimilis eſſe debet, diſpoſitionis & ordinis nulla habeatur ratio. Et ſanè omninò decora hæc eſt incuria. Hinc Romanæ quoq; Elegantiæ parens *Cicero* rectè monuit in Epiſtolâ ad Atticum, *debere Epiſtolas interdum hallucinari*, hoc eſt, non curiosè ac ſtrictè juxta artis præcepta eſſe compoſitas. Itaq; ille ſæpius hæſitat, revocat, turbat, miſcet; Dicitq; audacter, ſe ad amicos ſcribere, quicquid in buccam venerit.

DE ELOCVTIONE.

Elocutio eſt, qua res inventas, & ſuo qualq; ... diſpoſitas, Latinè, planè & ornatè efferimus.

Elocutio partim in ſingu... ...ſatur verbis, partim in conjunctis ſeu ſententiis, ſecus quàm ſit in ipſis ædificiis, in quibus nunc ſingulæ partes ſeparatim probantur, nunc verò in unum conjunctæ.

Harum partium uti Inventio maximè eſt

necessaria (scribere enim quicquam, nisi priùs inveneris, non potes) ita Elocutio difficilima; nobis præsertim, qui hanc linguã non quasi primam habemus: sed ut peregrinam, discimus. Hanc tamen, & reliquas duas, tribus illis rebus, quas Cicero tradit, assequi licebit, *Arte* nimirum, *Imitatione & Exercitatione*.

DE ARTE.

Ars est, quæ dat, ut inquit Cicero) rationes certas, & præcepta faciendi aliquid, quæ habent ordinem, & quasdam errare in faciendo non patientes vias.

Duabus de causis Artis præcepta nobis necessaria sunt. Primùm, ut de eloquentium virorum scriptis, quæ nobis proponimus ad imitandum, possimus faciliùs judicare.

Deinde ut rectè viam nobis commonstrent, & naturam ipsam, si non sit optima, quoad ejus fieri possit, corrigant.

Sed observatione hîc opus [illegible] nimirum in scriptis nostris [illegible] celemus, ut ejus nihil aut [illegible] minimum Epistola præ[illegible]tere[illegible]

DE IMITATIONE.

Imitatio (quam Græci *μίμησιν* vocant) est studiosa quædam mentis applicatio, ut ejus

quàm

quàm ſimilimi poſſimus evadere, quem inter optimos cæteris antecellere cognoſcimus.

Quæ ipſa imitatio tantam in omni facultate vim, tantumq; ponderis ac momenti obtinere perſpicitur, ut eâ qui careat, rectâ & facili viâ careat, quâ ad purè & politè ſcribendi facultatem pertingere queat.

Ut igitur opifices diſcipulis non ſolùm præcipiunt, quo pacto inſtrumenta verſare debeant; ſed etiam ſeipſos laborantes intueri & conſiderare jubent; ſic in Epiſtolis eleganter ſcribendis, non ſufficit, ipſius artis præceptiones memoriâ tenere; ſed ad artem accedere oportet diligentiſſimam ſcriptoris alicujus docti, quiq; in ſcribendis epiſtolis excellat, Imitationem, cui quo quis in ſcribendo ſimilior extiterit, hoc & perfectior erit, & laude dignior.

† Imitationi autem ſubeſt judicium: Niſi enim eo apprehendatur, non modò nihil prodeſt: ſed obeſt etiam perniciofiſſimè: *Videndum* igitur, inquit *Eraſmus Roterodamus*, *qui nobis imitandi ſint, ne corruptiſſimos pro optimis aut probatiſſimis diligamus.* Porrò qui ſibi Ciceronem ducem & anteſignanum propoſuerit, neq; eloquentiæ, neq; acuminis, neq; diſpoſitionis eum pœnitebit unquam. Falluntur tamen, qui exiſtimant, imitationem

per

per se sufficere: Verum est enim illud *Quintiliani*: *Pigri ingenii est, contentum esse iis, quæ sunt ab aliis inventa.* Quid enim, inquit ille, futurum erat temporibus illis, quę sine exemplo fuerunt, si homines nihil, nisi quod jam cognovissent, faciendum sibi aut cogitandum putâssent? Nempe nihil fuisset inventum. Quare rectè in imitatores exclamat Horatius l. 1. Epist. ad Mecœnatem:

O imitatores servum pecus: ut mihi sæpè
Bilem, sæpè jocum vestri movêre tumultus?

Et profectò nemo potest eum æquare, cujus vestigiis sibi utiq; insistendum putat. Necesse est, eodem *Fabio* autore, ut semper sit posterior, qui sequitur. Et sunt quædam in oratione maxima, quæ imitanda non sunt: ingenium & inventionis facilitas. Arte igitur opus est, & præceptis: Deinde imitatione & judicio: postremò frequente stylo & exercitatione.

DE EXERCITATIONE.

Quotidiana scribendi exercitatio, seu frequens *stylus*, doctissimorum virorum calculis perhibetur esse *optimus dicendi, scribendiq; magister*, qui nobis sermonis opulentiam parit & copiam, & mirabilem adfert scribendi dicendiq;

diq; promptitudinem, ut sibi primas non immeritò in hac facultate vendicet.

Nec studium, quantumvis vehemens, ad veram ac solidam Eruditionem parandam multùm contulerit, nisi ex arte fiat usus, & in opus vertantur verba.

Sicut enim pingere volentibus, (inquit „ *Rochus Perusinus*) nihil prodest laudatissimo- „ rum pictorum pulcerrima considerare ope- „ ra, nisi ipsi quoq; arrepto penicillo pingere „ aliquid instituant: Ita sanè præcepta didicisse omnia, ad hæc M. Tullij, Plinii secundi, aut P. Manutii, aliorumq; probatissimorum artificum Epistolas suspicere & admirari, momentum non multum attulerit, nisi tu quoq; sumpto in manus calamo, te quotidie scribendo diligenter exerceas.

Nemo unquam Orator, inquit optimus & præstantissimus ille dicendi Magister Cicero, nemo egregius scriptor sine multâ exercitatione evasit.

Unde Hortensius nec unquam præterire „ diem patiebatur, quo se non aut domi, aut in „ foro dicendo exerceret, sæpè utrumq; eodem „ die faciebat.

Et ipse rursus eloquentiæ princeps Cicero ajebat, se timere, si non frequenter declamaret, ne quod adeptus erat in arte oratoria Facultatis, exaresceret. Quem

Quem locum adducens P. Manutius, Ep. 1. l. 1. ad Paulum ſcribens Contarenum: Attende, inquit, mi Paule, & tuam cauſam, à qua mea disjuncta non eſt, ſi placet mecum conſidera. Ille homo Romanus orationis inopiam metuebat, cum tamen omnibus in hoc genere divitiis abundaret. Nos quibus Latina lingua peregrina eſt, qui in optima ſcribendi aut dicendi ratione rudes, & infantes penè ſumus, de ſumma eloquentia ſine ſtudio cogitabimus? Et unam, omnem difficilimam rem ludibundi conſequemur? vides me ipſum, qui quid ſim, ego quidem non ſtatuo, ſed ſunt, quibus non eſſe nihil videar, nullum penè diem intermittere, quin aliquid Latinè ſcribam, cum tamen, ex quo lapidem hunc volvo, annus viceſimus abierit.

Præclarè I. de Offic. Cicero: nec Medicos, " nec Imperatores, nec Oratores, nec ullos ali- " os, quamvis artis præcepta perceperint, quid- " quam laude dignum ſine uſu & exercitatione " conſequi potuiſſe.

Quia igitur nullo in ſtudio, nedum in Oratorio, nuda res ſufficit, (nihil quippe Natura citò magnum fieri voluit, ſed pulcerrimo cuiq; operi difficultatem propoſuit, quæ labore, & exercitatione vinceretur) in hoc certè, quæ bona pars, & rivus quidam dici po-

teſt

test doctrinæ Oratoriæ, plus etiam assiduitas exercitationis, quàm ars efficiet. Quare scribendum est in singulos dies, ut *Apelles* quotidiè lineam ducebat; & scribendum est benè: benè autem scribendo etiam fiet, ut citò scribatur.

Nec magni refert, quàm multas chartas impleveris, sed quàm diligens, quàm accuratus fueris. In quo uno profectò sunt omnia, & prora & puppis, quod ajunt.

DE EPISTOLARUM GENERIBUS.

Jam, quò meliùs & faciliùs epistolarum artem percipere possimus, ad ipsarum genera descendere operæ precium erit. His enim cum suis formis cognitis, ipsarumq; artificio perspecto, brevi temporis curriculo, non modò scholasticas, quas appellant, umbratilesque epistolas à præceptore dictatas, optimè nobis conficere licebit: Verùm etiam nostro Marte vel meditari, vel ex improviso per fertiles & amœnos Epistolarum campos, mirâ quadam animi nostri delectatione vagabimur, non sine maximâ omnium admiratione. Nam licet, ex doctissimorum sententiâ, nullam artem ex intimis Rhetoricorum præceptis exprompram amet epistola: quod-

quoddam tamen artificium, non solùm ex natura natum, sed ex ipsa etiam Rhetorica excerptum, in Ciceronis, Plinii, aliorumque clarissimorum virorum epistolis observatum, non aspernari videtur.

TRIA ESSE GENERA EPISTOLarum, ad quæ cætera revocentur.

Tria sunt genera Epistolarum: *Deliberativum*, *Judiciale*, *Demonstrativum*. Ad hæc, tanquam ad fontes, pleræque litterarum formæ referuntur.

Deliberativo genere suademus, Dissuademus, Hortamur, Dehortamur, Consolamur, Petimus, Commendamus, Conciliamus, officium offerimus, Communicamus, Disputamus, Mandamus, & si quid est aliud, quod ad deliberationem referri possit.

Judiciali Accusamus, Expostulamus, Excusamus, Querimur, Minamur, aut aliud quidvis facimus, quod in hoc genus cadere potest.

Demonstrativo genere cætera omnia complectimur, quæ ad genus Deliberativum, vel judiciale commodè flecti non possunt.

DE DELIBERATIVI GEneris Epistolis.

Deliberativum genus causæ apud Rhetores

res dicitur, quod in consilio dando positum est, idq; *suasionem & dissuasionem* complectitur.

Cùm igitur in suasoriâ Epistola, Dissuasoriâ, Cohortatoriâ, Dehortatoriâ, Consolatoriâ, Petitoriâ, Commendatoriâ, Conciliatoriâ, Officiosâ, Communicatoriâ, Monitoriâ, Disputatoriâ, suadendo vel dissuadendo semper consilium detur, consequens est, ut unaquæq; harum formarum ad illud sit revocanda.

DE SVASORIA EPISTOLA.

Suasoria epistola est, qua in rebus dubiis atq; incertis amico consilium damus, eidemque, ut aliquid suscipiat vel agat, suademus.

In suasione hæc ferè observari debent.

Principiò, vel â laude & commendatione ejus, ad quem literas damus, vel verecundâ & modestâ nostrâ extenuatione, vel declaratione promptæ benèq; de amico merendi voluntatis, captanda est *benevolentia*, quod etiam in reliquis Epistolarum formis, quotiescunq; id res postulabit, servandum erit.

Exordium tamen & benevolentiæ captatio his fermè de causis omitti possunt:

1. Cùm amicitia mutua nullum exordium postulat.

2. Cùm

2. Cùm eâdem de re ſæpiùs anteà ſcripſimus.

3. Cùm temporis brevitas nil, niſi reî expoſitionem recipit.

Deinde *Narratio* ſubjicienda, quæ conſilii expoſitionem habet, adjectâ etiam, prout res exigere videbitur, Diviſione.

Tertio loco *Confutatio* erit, quâ id ſtatim in principio refellamus, quod vehementer nobis adverſari videatur: vel ſi commodius id futurum putes, Confirmationi erit ſubjungenda: vel certè, ut quicquid inciderit, ita illud confutari oportebit.

Quartum locum *Confirmatio* habebit: Hæc ſuaſionis rationes atq; argumenta complectitur, ſumpta, vel ab Honeſto: vel Utili: vel Neceſſario: vel Jucundo: vel Deſiderio & voluntate cognatorum atq; amicorum: vel Metu damni alicujus aut periculi: vel Circumſtantiis perſonarum, temporis, loci: vel Exemplo & auctoritate aliorum.

Concluſio poſtrema eſt pars, quæ abſolvitur aut petitione: aut conſiliorum officiorumvé noſtrorum pollicitatione: aut Suaſionis repetitione: aut cauſis inſtitutæ ſcriptionis: aut Præciſione aut Voto, ut Dii approbent ac fortunent, ab amico agenda.

Exemplum Suaſionis obſervatum in Ep.

18. lib,

18. lib. 2. ad Famil. Qua Thermo, in Hellesponto Proprætori suadet Cicero, ut provinciæ Quæstorem potiùs præficiat, quàm Legatos, quod posteà fecit.

Exordium illius Epistolæ constat laude atque commendatione Thermi, & significatione promptæ de eodem benè merendi voluntatis. Narratio ipsam suasionem & expositionem consilii continet. Confirmatio ejusdem rationes atq; argumenta, ab Honesto & Utili sumpta complectitur. Conclusio institutæ suasionis causis, voto atq; rationum repetitione absolvitur.

Officium meum erga Rhodonem, cæteraq; mea studia, quæ tibi ac tuis præstiti, tibi homini gratissimo grata esse vehementer gaudeo, mihiq; scito indies majori curæ esse dignitatem tuam: quæ quidem à te ipso integritate & clementiâ tuâ sic amplificata est, ut nihil addi posse videatur; sed mihi magis magisq; quotidiè de rationibus tuis cogitanti, placet illud meum consilium, quod initiò Aristoni nostro, ut ad me venit, ostendi graveis suscepturum inimicitias, si adolescens potens & nobilis à te ignominiâ affectus esset. & hercle sine dubio erit ignominia: habes enim neminem honoris gradu superiorem. Ille autem, ut omittam nobilitatem, hoc ipso vincit viros optimos, hominesq; innocentissimos, legatos tuos, quod & quæ-stor

Exordiū à laude Thermi

Narratio ab ipsa suasione consil

Confirmatio i. ab honesto

stor est & quæstor tuus. Nocere tibi iratum neminem posse perspicio, sed tamen treis fratres summo loco natos, promptos, non indisertos te nolo habere iratos, præsertim jure, quos video deinceps tribunos plebis per triennium fore: tempora autem Reipub. qualia futura sint, quis scit? mihi quidem turbulenta videntur fore. Cur ego te velim incidere in terrores tribunitios, præsertim cùm sine cujusquam reprehensione legatis quæstorem possis anteferre? Qui si dignum se majoribus suis præbuit, ut spero & opto, tua laus ex aliquâ parte fuerit: sin quid offenderit, sibi totum, nihil tibi offenderit. Quæ mihi veniebant in mentem, quæ ad te pertinere arbitrabar, quod in Ciliciam proficiscebar existimavi me ad te scribere oportere, tu quod egeris, id velim dii approbent, sed si me audies, vitabis inimicitias, & posteritatis otio consules. Vale.

† *IMITATIO HUIUS Epistolæ.*

GRata tibi mea quantulacunq; esse officia, ex animo lætor: Etsi novum in te hoc non sit: quem gratum, qui norunt, deprehenderunt semper: Itaq; deinceps quoq; tui magis mihi cordi honores erunt;

runt; licet tanti illi ſint, ut vel meâ, vel alterius opus operâ non habeant. †Ad ſucceſſorem verò ejus quod attinet, qui nuper apud vos eſt mortuus, in eâdem adhuc ſum ſententiâ, quam nuper ad te perſcripſi; coràm etiam communi noſtro amico expoſui; plurimorum te odia magnamq; tibi invidiam conflaturum, ſi repulſam adoleſcens paſſus, atq; ignominiâ affectus aliquâ fuerit. †Ut enim eruditionem & doctrinam ſilentio prætermittam, hoc ipſo alios vincere competitores, viros optimos & doctiſſimos videtur, quod veſtrâ ille in ſcholâ ab ineunte ætate educatus, & te, aliiſq; præceptoribus eſt uſus. †Equidem eò res eſſe tuas Dei beneficio perductas video: ut aliorum tibi nocere ira atq; malevolentia facilè nequeat. Veruntamen fratres aliosq; ejus propinquos, non-

Narat.

Confirmat. 1. ab honesto

2. ab Utili

nulla præditos autoritate offendere te nolim, præsertim jure, quos ad dignitates adhuc magnas venturos existimo. Vides autem cujusmodi sint tempora: quàm facilè lædantur homines: sæpè etiam illatas ulcisci injurias conentur tum, cum evulsas eas è memoria sepultasq; oblivione esse arbitramur: Cur ergo periculum tibi - ipsi aut tuis creares? præsertim cum sine reprehensione cujusquam aliis præponere eum possis. Quod enim ætas objicitur, tanti esse ponderis momentiq; non existimo: ut egregium impedire adolescentem debeat. Fuerunt majorum & parentum nostrorum, imò nostrâ quoque memoriâ non pauci, qui admodùm adolescentes ad officia adhibiti gravia, præclarè sese gesserunt. Et verum est, quod quodam in loco Cicero affirmat; ab excellenti eximiâque virtute ætatis

ex-

expectari progressum non oportere: ejusdem celeriorem, quàm hujus cursum esse. At licèt (ut labi atq; errare facilè possumus) fortè quid ille offenderit: tamen ut adolescenti venia ei dari poterit citiùs; & hac ipsa quoque de causa correctionem atq; emendationem idem faciliùs admittet. †Atq; hæc necessariò ad te hoc scribenda esse tempore duxi. Quicquid hac in re egeris, id Deus Opt. Max. fortunet, rogo. Verùm, si me audies; plurimorum hominum offensiones declinabis: excitabis ad studium ac diligentiam adolescentes bonos: benè deniq; tibi ac collegis tuis consules. Vale. Conclus.

† Præter hanc præcipuæ Svasoriæ in Epistolis Ciceronianis ad Familiares sunt hæ, lib. IV. epist. 7. cujus initium: *Etsi eo te adhuc consilio &c.* & 8. *Neq; monere te audeo &c.* & 9. *Etsi perpaucis &c.* Item lib VIII. epist. 16. *Exanima-*

nimatus sum tuis literis. &c. Item lib. IX. epist. 9. *Si vales gaudeo.*

SVADENDI FORMÆ.

QUanquam te pro animi tui altitudine, non arbitror monitis & præceptis egere, ut tamen me quoq; de dignitate tuâ cogitare intelligeres, putavi hæc pauca ad te scribi oportere. Quod certè amore impulsus feci, non quo prudentiam tibi ostentarem meam, quod esse arrogantis videri possit: sed potiùs ut meæ erga te observantiæ ac voluntatis significationem aliquam facerem. Nam & dignitati tuæ, quam honestissimis optimarum artium studiis parâsti, mirabiliter faveo: & nullum meum in te officium præteriri sine gravi culpæ reprehensione posse, mihi persuadeo. Quare pro ea, quæ tecum mihi constituta est, officii ac vitæ consvetudine tibi svadeo, & etiam adhortor, ut in eam curam ac cogitationem magnis conatibus incumbas, quæ tibi summam ingenii famam & nominis gloriam adferat. Neq; committas in hac optimorum hominum de te expectatione, in optimâ ætate in summa occasione, ut propter pigritiam ipse tibi defuisse, aut propter desperationem, gloriæ tuæ cursum impedivisse videaris. Non enim convenit, neque jam

jam integrum erit, qui ingenii moderatione ac industriâ certorum hominum invidiam fregeris, in ipso nunc honoris decursu, vel labori succumbere, vel laudi.

„ Quod Alexander Rex invictissimus sibi permisit, qui cum munera sua sperni à Zenocrate Philosopho intelligeret, respondisse fertur; Zenocrati quidem Regis Alexandri munificentia opus non esse: sibi tamen prope esse necessariam, ut liberalis in Zenocratem videatur: Idem mihi vel ad gratiam, vel ad hujus temeritatis veniam profuturum puto: ut; quanquam nullis meis consiliis egeatis; ego tamen officij mei putem, quæ ad dignitatem Reipublicæ pertinebunt, vos commonefacere.

Tibi suadeo, atq; etiam rogo.

Tibi inprimis suadeo, atq; hoc meo etiam jure præcipio, ut, &c.

Hoc tibi agendum censeo, si meo consilio parére volueris, ut, &c.

Auctor tibi sum, ut facias. Me suasore hoc ages.

Hoc consilium de mea sententia capies.

Meo svasu in literarum studia incumbes.

Vide, videto, videbis. Etiam atq; etiam cogita. Meditare atq; cogita.

Contende, quæso, atq; elabora, ut, &c.

In hanc curam incumbe, ut, &c.

Totâ mente incumbe in hanc curam & cogitationem.

Dabis istud amori nostro, ut in eam opinionem sententiamque te adduci sinas, quæ cum tuis utilitatibus est conjuncta.

Tibi omninò svadeo, atq; etiam rogo ut quæ ingenio studioq; tibi peperisti, ea in usum Reipublicæ referas. Etsi consilium faciliùs capere, quàm aliis dare possum, vereorq; tibi homini summâ prudentiâ, summo ingenio prædito quidquam aut svadere aut dissvadere, ne cùm amori in te meo sim obsecutus, tuo videar judicio diffidere: *malo tamen pueriliter curiosus videri, quàm ullâ in officiorum parte negligens*: quò facilius qui cursus rerum, qui exitus futurus sit, ex me quoque scire possis.

Tu si consilio meo parére volueris, in earum rerum cògitationem incumbes, quæ ad gloriam amplissimamq; gratiæ, dignitatis, splendorisque excellentiam pertinere videbuntur.

Tibi verò cum meo in te amore, tum causa tua impulsus svadeo, & si pateris præcipio, ne ullius vel injuria, vel gratia animum tuum ab optimarum rerum studio deflectas.

Si

Si ad aliorum consilia rationes tuas conformare velis, hoc tibi agendum censeo, ut omnia quæ dignitatis, quæ laudis, quæ gloriæ plenissima sunt, tibi in hoc vitæ curriculo non solùm imitanda, sed & percipienda proponas.

Non dubito quin ipse ad omnem animi prudentiam cum natura, tum studio satis sis informatus: tibi tamen svadeo, vel etiam moneo, ne levem hanc injuriam animi offensione potiùs, quàm naturæ moderatione ac æquitate definire velis.

Ego quanquam non modò nil mihi assumam, in quo dissentire tu à me possis; sed etjam si à te quidquam mihi concedatur, planè remittam: hoc tamen tibi svadere audeo, &c.

In hoc ætatis tuæ flexu, istud tibi agendum censeo, ut animum tuum conformes excellentissimorum hominum cogitatione, quos neq; communium temporum tempestas, neq, honoris studium, neque dignitatis ambitio unquam potuit de instituto vitæ suæ cursu, ad desidiam, ad desperationem, ad animi demissionem dimovere.

Cùm omnia consecutus sis virtute duce, & comite fortunâ, quæ laudem, dignitatemque merentur, planè svadeo in eam cogita-

tionem incumbas, ut reliquam vitæ dignitatem ex optimo Reip. ſtatu acquiras, ſicque exiſtimes, eum magnum & præcellentem honorem videri, qui non propter ſpem futuri beneficii, ſed propter magna in Rempublicam merita claris viris defertur atq; datur: tanquam perpetuum virtutis præmium.

Sic tibi perſvade tantam eſſe apud omnes bonos tui caritatem, ut nullum genus ampliſſimæ dignitatis excogitari poſſit, quod tibi non paratum ſit.

Tu velim ſic exiſtimes, tibiq; perſvadeas; omne perfugium bonorum in te eſſe poſitum, eoq; nullam dimicationem pro publicâ omnium ſalute eſſe dimittendam.

DE DISSVASORIA Epiſtola.

D*Iſſvadendi* eadem ratio erit quæ *Suadendi*: ſed argumenta in Diſſvaſione contrariis ex locis ducenda erunt: ut *à Turpi*, *Inutili*, *Periculoſo &c.* Omnia deniq; rei, quæ diſſvadebitur, incommoda hîc colligemus. Collatio ſit talis.

Primo *Exordium* ponatur loco: conſtans, aut noſtræ pro amico curæ atq; ſolicitudinis declaratione: Aut ejus ad quem ſcribimus laude; aut ſcribendi occaſione; Aut reprehenſione & objurgatione molli. Alte-

Altera pars *Propositio* est, quæ dissvasionem & obtestationem contineat.

In tertia parte per *Confirmationem* argumenta Dissuadentia adhibeantur, petita vel â Damno: vel inutili: vel Turpi: vel circumstantiis Personæ, Loci, Temporis: vel à Cura amicorum: vel à judicio aliorum: vel ab exemplis.

In *Conclusione* sit, Aut admonitio & obtestatio amici: Aut modesta officii pollicitatio: Aut caussæ institutæ Dissvasionis indicatio: aut sententiæ & præcipuorum argumentorum repetitio: aut longioris Dissvasionis præcisio.

† Exempla Dissvasionis observantur lib. 16. Epist. 8. Cicer. ad Famil. *Magna nobis est solicitudini &c.* Item lib. 7. Epist. 20. *Amabilior mihi.* Item lib. 8. Epist. 5. *Qua tu curâ sis &c.* Item lib. 10. cap. 5. *Lectis tuis literis &c.*

DISSVADENDI FORMÆ.

CAve. Cavendum est tibi.

Vide. Attende, quàm diligenter potes, ne quos tibi continentia terminos præscripsit, eos transeas, transgrediare, transilias.

Cavendum tibi censeo, ne improborum in te odia semel exstincta incendas; sed potiùs

omnes animi benignitate, omni officio ingratiis retineas.

Cùm omnes benevolentiæ comparandæ causâ benefici esse debeamus, facis inciviliter, qui nullâ operâ, nullis commoditatibus laboranti amico opitulari velis.

Si prudentis est hominis in loco & tempore ad aliorum se voluntates conformare, vide an liberaliter agas, qui ab optimi & fidelissimi hominis gratiâ, nullâ justâ odii causâ, impulsus deflectas.

Imprudenter tu quidem & inciviliter agis, si in amicitia colenda eam habes rationem, ut utilitatem potiùs, quàm officia spectare videaris, & proinde in retinenda amicitia semel constitutâ sis negligentior.

Enitendum tibi puto, ut quas susceperis inimicitias, eas deponas, in optimorum ac principum virorum familiaritatem te dedas. Nam qui ex gravi & longâ miseriâ emergere volunt, eos venire in clarissimorum hominum consvetudinem oportet.

Nihil minus est hominis, quàm in amore vinci; vel non respondere iis, à quibus provoceris.

Sejunge te quæso, aliquando ab iis, cum quibus te, non tuum judicium, sed temporum vincula conjunxerunt.

RATIO RESPONDENDI LITTEris Suasoriis, vel Dissuasoriis.

CUm amici consilio acquiescimus, Principio vel amicum suadentem laudabimus: vel dolorem perceptum ex amici litteris significabimus. 1. Exord.

Deinde sententiam & voluntatem nostram declarabimus. 2. Proposit. Tertiò rationes & causas, cur amici consilio obtemperare velimus, afferemus. 3. Confirm.

Deniq; vel gratias agemus: vel gratum animum pollicebimur: vel petemus ut deinceps nos nostraq; sibi commendata habeat. 4. Conclus.

EXEMPLUM RESPONSIONIS aliorum, Suasioni approbatæ, observatum lib. XI. Epist. 29 ad Famil. cujus Exordium Opii commendatione constat. Confirmatio commemorationem & amplificationem officiorum Opii continet. Conclusio petitione atq; pollicitatione absolvitur.

DVbitanti mihi, (quod scit Atticus noster) de hoc toto consilio profectionis, quod in utramq; partem in mentem multa veniebant, magnum pondus accessit ad tollendam dubitationem judicium & consilium tuum: nam & scripsisti apertè, quid tibi videretur, & Atticus ad me sermonem tuum pertulit. Semper judicavi, in te & in capien-

do consilio prudentiam summam esse, & in dando fidem: maximeq́ʒ sum expertus, cum initio civilis belli per litteras te consuluissem quid mihi faciendum esse censeres, eundumne ad Pompejum an manendum in Italia: suasisti ut consulerem dignitati meæ. Ex quo quid sentires intellexi: sumqʒ admiratus & fidem tuam, & in consilio dando religionem. Quod, cum aliud malle amicissimum tuum putares, antiquius tibi officium meum, quàm illius voluntas fuit. Equidem & ante hoc tempus te dilexi, & semper me à te diligi sensi: & cum abessem, atqʒ in magnis periculis essem & me absentem & meos præsentes à te cultos & defensos esse memini: & post meum reditum quàm familiariter mecum vixeris quæqʒ ego de te & senserim, & prædicârim, omnes, qui solent hæc animadvertere, testes habemus. Gravissimum verò judicium de mea fide & de constantia fecisti, cùm post mortem Cæsaris totum te ad amicitiam meam contulisti. Quod tuum judicium nisi mea summa benevolentia erga te omnibusq́ʒ meritis comprobâro, ipse me hominem non putabo Tu, mi Oppi, conservabis amorem tuum (etsi more magis hoc quidem scribo, quàm quod te admonendum putē) meaqʒ omnia tuebere: quæ tibi ne ignota essent, Attico mandavi. A me autem, cùm paullum otii nacti erimus, uberiores litteras exspectato. Da operam ut valeas, hoc mihi gratius facere nihil potes.

† IMI-

† IMITATIO HUIUS EPISTOLÆ, *qua gratia aguntur amico, qui vel profectionis instituendæ: vel studiorum ineundæ rationis, autor nobis & suasor extitit.*

DUbitanti mihi, quod multi adhuc meorum familiarium nôrunt, de instituendâ ratione studiorum, quod utramq; in partem non pauca erant, quæ dubium incertumque me reddebant; ad dubitationem omnem excutiendam, tua mihi plurimùm prudentia & autoritas profuit. Neq; enim literis modò tuam mihi mentem aperuisti: verùm etiam eandem latiùs ab illo explicari voluisti, cui eas tradidisti. Semper ego in te *tria illa, quæ in consulendo maximè requiruntur*, deprehendi: *prudentiam, fidem, benevolentiam.* Cum initio paternâ scholâ relictâ, quò mihi proficiscendum existimares, te consuluissem:

ſem; ad hanc potiſſimum Academiam me ut conferrem, autor mihi ſvaſorq; extitiſti. Ex quo, quàm eſſes in me, meaq; ſtudia animatus, præclarè, intellexi: ut & eo, quod cum neſcio quibus rationibus moti de me revocando parentes cogitarent; tu ſolus reſtitiſti, meaque commoda antiquiora, quàm illorum voluntates habuiſti. Graviſſimum verò de me judicium feciſti, tum, cum nonnulli delatione falsâ animum à me tuum abalienare conarentur: tu eâdem neglectâ mea promovere ſtudia non deſiiſti. Quod ego niſi debitâ obſervantiâ memoriâq; perpetuâ agnovero; ipſe me non bonorum tantùm amore atq; patrocinio; verùm etiam communi hac luce indignum judicabo. Interim te etiam atq; etiam rogo: amorem iſtum in me tuum conſerves; ſtudia etiam mea, resque

alias commendatas tibi habeas: quæ quonam ſint in loco, ex eo, qui haſce tibi tradit literas, cognoſces. Vale.

† Cum hac confer Ciceronis Epiſtolam 16. lib. IV. *Officium meum &c.* Item lib. XI. Epiſt. 11. *Plurimùm valuiſſe apud me &c.* Item lib. V. Epiſt. 15. *Omnis amor tuus &c.*

DE HORTATORIA ET DEhortatoria Epiſtola.

HOrtatorium genus (quod Græci παραινετικὸν vocant) cum ſuo contrario *Dehortatorio* conjunctum eſt. Hoc ſimul & *Monitorium*, proximum *Svaſorio* ſibi locum vendicat: quo amicum monemus atq; ſtimulis excitamus, & quaſi calcaribus ſeu animi motibus impellimus, ut vel quod optimum eſſe factu videtur, cupidè amplectatur: vel contrà, quod Turpe, Inutile, Inhoneſtum, averſetur ac fugiat.

† Quamvis verò Exhortatoria ac Dehortatoria Epiſtola etiam Svaſoria & Diſſvaſoria poſſint appellari: Eſt tamen inter Svaſionem atq; Exhortationem aliquid diſcriminis, ut quæ nec eodem tendant, nec via ſimili.

Svadendo consilium damus, ut velis rem aliquam difficilem & periculosam aggredi: *Exhortando* impellimus, ut hoc etiam audeas.

Svademus, errantibus, aut in capessendis consiliis hæsitantibus: *Exhortamur* cessantes, aut jam etiam currentes.

† Et ut breviter dicam, *Svasor* dat consilium: *Cohortator* verò impellit, ut, quod ille svasit, audeas.

Exhortatio itaque Svasoriæ Epistolæ pars erit, nempè Epilogus, qui affectibus constat, non argumentis.

Affectus autem, qui in hoc Epistolarum genere requiruntur, plurimùm sunt hi:

1. Plurimùm ad permovendos animos valet Spes egregiorum præmiorum, honoris, gloriæ, honestarum voluptatum, opum, alicujus emolumenti.

2. Alter huic contrarius, est Metus seu reformidatio incommodorum periculorum, egestatis, dolorum, turpitudinis, ignominiæ. Spei quidem in Adhortando propriæ sunt partes, Metus in Deterrendo.

3. A Laude bifariam exhortabimur, ut tum rem ipsam laudemus, tum hominem. Juventus & Senectus decrepita, laude lætatur apertiore; matura & virilis ætas tectiùs laudari debet.

4. Ve-

4. Vehementer etiam commovebimus, si amorem eorum, quorum gratiâ res geritur, commemoratione renovabimus.

5. Rursus, si odium & atrocitatem in eos, contra quos dimicatio suscipitur, quàm gravissimè exaggerabimus: atq; hinc amicorum gratiam: hinc inimicorum atrocitatem cornibus adversis conferimus.

6. Iisdem fermè rationibus efficitur Commiseratio: si amicorum solicitudinem, inopiam, luctum, squalorem: è contrario verò inimicorum potentiam, ferociam, audaciam, insolentiam adducemus, & Prosopopœiæ interdum locus esse poterit.

7. Vehemens Exhortandi ratio petitur ab Æmulatione. Nihil enim est, quod generosum rectumq; animum magis inflammet, quàm certamen cum altero de laude atque gloriâ institutum. Neque quidquam turpe aut inhonestum magis dicitur, quàm ab æmulis vinci.

8. Ab Exspectatione concitabimus, si ostendemus, quanta sit in omnium amicorum, & eorum maximè, quos ipse facere magni videatur, de illius virtute exspectatio.

E diverso autem, si malevolorum exspectationem atrociter exaggerabimus; si quantum gaudium eorum futurum sit, quæ scommata,

mata, qui risus, quanta ferocitas, si res parùm feliciter evenerit, descriptione sub aspectum subjiciemus.

9. Exempla. 9. Qui cohortantur, etiam exemplis corroborandi gratiâ utuntur. Unde ad Dolobellam Cicero (Epist. 19. lib. 14. ad Atticum) *Proponam tibi claros viros, quod facere solent, qui hortantur: neminem habeo clariorem teipso; teipsum imiteris oportet.*

Sic autem oportebit Exempla tractari, ut quos proponemus imitandos, eos cum laude statim aliqua & honorificâ præfatione; sed quæ sit ad rem accommodata, nominemus ad hunc modum: Perspexit hoc Plato Philosophiæ parens. Vidit hoc Alexander ille Macedo, vir gloriæ natus. Diversum in contrariis exemplis fieri convenit: ut; Quæ posteritas Dionysii Sacrilegi Tyranni, nomen non execrabitur? Nobilitatus crudelitate Nero, &c. Si exemplum fabulosum fuerit, Poëtæ laudem præfati, quid sibi eruditissimi prudentissimiq; homines ejusmodi figmentis voluerint, probabiliter aperiemus.

10. Obsecratio. 10. Obsecratio extremum in hoc Epistolarum genere locum sibi vendicabit. Cùm enim illis exhortandi locis usi fuerimus, eum, cui scribimus, per virtutem aliquam laude adjunctâ amplificatam, per felicissimam

indo-

indolem, per ingenium pulcerrimis & honestissimis rebus natum, per gloriam benè gestis rebus partam, deniq; per quidvis aliud, quod rei & personæ conveniat, obtestabimur, atq; obsecrabimus, ut se digna & velit & audeat.

DE LENIENDA EXhortatione.

SI quando metuemus, ne quid offendat vehemens & importuna cohortatio, multis rationibus ejus molestiam leniemus, dicemusq; nos incredibili quodam amore fuisse inductos, ut eum hortaremur, qui non tàm calcaribus, quàm frenis egeat: vel certè negabimus, nos oratione nostra languentem velle accendere, sed currentem incitare: eumque rogabimus, ut nostræ ignoscat importunitati: quæ non aliunde, quàm ab immodico gloriæ, salutis, & utilitatis illius studio proficiscatur.

† Deniq; virtuti ejus omnia secunda precabimur: Cavendum verò est, ne cujusquam causâ aliter, quàm sentimus, eloquamur.

Consvevit aliquando in hoc genere Cicero uti aliqua præmunitione: ut ad Marcellum Epist. 7. lib. IV. *Etsi eo te adhuc consilio usum intelligo, ut id reprehendere non audeam, non quin*

quin ab eo ipse dissentiam; sed quod eâ te sapientiâ esse judicem, ut meum consilium non anteponam tuo: tamen & amicitiæ nostræ vetustas, & tua summa erga me benevolentia (quæ mihi jam à pueritia tua cognita est) me hortata est, ut ea scriberem ad te, quæ & saluti tuæ conducere arbitrarer, & non aliena esse ducerem à dignitate.

Ad eundem, Cicero Epistolam proximam sic exorditur: *Neq; monere te audeo præstanti prudentia virum.* Et tamen aliquando pòst scribit: *Illud tamen tu vel me monuisse, vel consuluisse puta, vel propter benevolentiam tacere non potuisse.*

Est ubi excusationem postponat, ut Epistola 3. lib. X. ad Plancum: *Hæc amore magis impulsus scribenda ad te putavi, quàm quod arbitrarer te monitis & præceptis meis egere.* Sciebam enim, ex iisdem te hæc haurire fontibus, ex quibus ipse hauseram. Quare modum faciam. Hoc tantum significandum putavi, ut potiùs amorem tibi ostenderem meum, quàm ostentarem prudentiam. Quin etiam Epistolam 4. lib. 2. ad Curionem ita concludit: *In hanc sententiam scriberem plura, nisi te tuâ sponte satis incitatum esse considerem. Et quicquid attigi, non feci inflammandi tui causa, sed testificandi amoris mei.*

Illud postremò est observatu dignum:

Hor-

Hortationem Dehortationemque eô modestiorem esse debere, quò major est, nobilior & doctior, quem hortamur & dehortamur.

Nam considerandum hîc est, *Quis scribat: Cui scribat, & Quâ de re*; cùm variis ingeniis, ut corporibus, varia adhibenda sit medicina. † Hortaturus itaque aliquem, dices, nihil de tuâ, nec cujusquam gratiâ ad id faciendum impelli: sed ejus ipsius, ad quem scribis. Ideò pollicearis, necesse est, te & amantissimum & fidelissimum ei consilium esse daturum.

Ostendens rem hortatione sive dehortatione dignam.

Cumprimis svadeantur utilia, honesta, necessaria, facilia factu & æqua. Contraria verò ut dissvadeantur, afferenda sunt commoda & incommoda: quibus si non suâ: Reipubl. certè causâ ad id peragendum moveri debent.

Vel ipsorum parentum, vel filiorum, vel familiæ, vel amicorum, affiniumq;, vel nostræ demum benevolentiæ, & necessitudinis.

COLLOCATIO PARTIUM in *Hortatoria Epistola.*

Exordium, vel laude & commendatione ejus ad quem Adhortatio scribitur, constat:

stat: vel studii, curæ, officii, solicitudinis, benevolentiæ declaratione: vel voto & precatione: vel querelâ de Reipubl. misero atque perturbato statu: vel præmunitione.

Narratio altera pars est, rei ipsius expositionem & occasiones continens.

Propositio tertia pars est, eaq; vel simplex & aperta, vel Involuta & occulta.

Propositio apertè facta, adhortatione constat simplici: aut petitione atq; obtestatione: aut amica reprehensione.

Propositio occultè facta instituitur, aut dubitatione: aut veteris amicitiæ testificatione: vel laude, vel exspectatione de amico concepta.

Confirmatio affectus habet desumptos vel ab amore, curâ, solicitudine nostrâ, & nostrorum: vel ab exspectatione sanguine junctorum, aliorumve bonorum virorum: vel ab honesto & laudabili: vel ab utili: vel à facultate & occasione præclara: vel ab anteactæ vitæ insignibus factis: vel ab opinione, testimoniis, & auctoritate doctorum & prudentium: vel ab aliorum exemplis.

Conclusio absolvitur, aut præcisione longioris adhortationis: aut petitione, aut verecundâ expositione causarum institutę adhortationis; aut excusatione libertatis, & severita-

ritatis in exhortando: aut officii nostri pollicitatione: aut brevi præcipuorum locorum repetitione.

Exemplum apertæ Adhortationis, observatum in Epist. 9. lib. VII. ad Fam. qua Trebatium Cicero hortatur, de rebus suis ut scribat, operamq; det, ne occasiones optimas negligat, aut præproperè domum redeat. Partes Epistolæ illius quatuor sunt. Exordium in quo captandæ benevolentiæ ergò, & scribendi sese in Trebatio desiderare officium ostendit, & suum simul silentium excusat, Propositio est hortatoria, ne sibiipsi Trebatius desit. Confirmatio adhortationis rationes à fine institutæ profectionis, & turpi desumptas complectitur. Conclusio præcisione adhortationis, & petitione & narratiuncula de Octavio Trebatii amico absolvitur, † qui Ciceronem crebrò, sed parùm decorè; ideoque frustrà ad cœnam invitare solebat.

IAmdiu ignoro quid agas: nihil enim scribis, neq; ego ad te his duobus mensibus scripseram, quia cum Qu. fratre meo non eras, quo mitterem, aut cui darem, nesciebam. Cupio scire quid agas, & ubi sis hyematurus, equidem velim cum Cæsare: sed ad eum propter ejus occupationes nihil sum ausus scribere: ad Balbum tamen scripsi. Tu tibi deesse noli, serius potius ad nos dum plenior.

Quod

Confirm. *Quod hûc properes, nihil est, præsertim Vacerra mortuo: sed tibi consilium non deest, quid con-*
Conclus. *stitueris, cupio scire. Cn. Octavius, tuus familiaris, summo genere natus, terræ filius, is me quia scit tuum familiarem esse, crebrò ad cœnam invitat: adhuc non potuit perducere, sed mihi tamen gratum est. Vale.*

† *IMITATIO HUIUS EPISTOLÆ, qua monetur Adolescens Studiosus, ut tempus atq; ocium suum benè in Academiis collocet, operamque det, ne vacuus aliquando & inanis domum redeat.*

JAm diu ignoro, quid agas: quomodo studia tua instituas: qua aut fortunâ aut valetudine utaris. Abes procul: scribis rarò: & ea ipsa quæ scribis, ejusmodi sunt: ut me aliosque tui amantes non parùm anxios sollicitosq; reddant. Neq; ego ad te aliquot jam mensibus literas dederam; quia in Galliâ ampliùs non eras: quò mitterem aut cui eas traderem, ignorabam: negotiis etiam non parvis districtus disten-

diſtentuſq; tenebar. Per quam ſcire aveo, quos viros nunc doctos audias: quæ ſtudia tua ſint atq; exercitia privata, quorum amicitiâ & familiaritate utaris: & diligenter aſſiduò conſtanter utaris: nec, quod multi magno ſuo cum malo atque damno faciunt, crebrò aut doctorem aut locum mutes. In illam etiam mente totâ curam incumbes: ne, cum ad continuanda ſtudia neceſſaria omnia tibi ſuppetant: tibi ipſi defuiſſe: occaſionibus indormiiſſe præclaris: parentum ſpem, expectationem cognatorum atque amicorum fefelliſſe videaris.

Seriùs potiùs ad nos, dum à doctrina magis inſtructus: paratus à linguis: moribus præditus politis redeas. Quod enim domum nunc properes, nihil eſt: præſertim cùm ad ſumptûs neceſſarios ſuppeditandos prompti ſint parentes; quæ

adhuc discenda restent non pauca: conditio in patria nulla jam vacet. Verùm hisce de rebus plura, opinor, ad te parens tuus perscribet. Philippus, familiaris, ut audio, & amicus olim tuus, quia tui me esse amantem intellexit, aliquoties ad cœnam me invitavit. Sed adhuc certis de causis, morem ei gerere nolui. Interim tamen non ingratum hoc ejus mihi est officium. Idq; occasione datâ scribere ad eum te velim, ne fortè contemni à me sese suspicetur. Vale.

EXemplum occultæ cohortationis, (qua, cum ad potentiores, aut eos, qui naturæ quodam vitio cohortationes molestè ferunt, utendum est) observatum in Epist. 3. lib X ad Fam. qua Cicero Plancum hortatur, ut omnem suam operam & studium in patriæ defensionem conferat: Scripta est Epistola eo tempore, quo Antonius occiso Cæsare, Rempub. divexare cœperat. Epistolæ partes sunt quatuor.

Prima est, Exordium, quod totum ad bene-

nevolentiam conciliandam dirigitur, habet membra duo: alterum commemoratione virtutum Planci constat: alterum commendatione amicitiæ & Familiaritatis, quam Cicero pervetustam cum Planci familia habuerat.

Altera pars Propositio est, quę ipsam adhortationem continet, non nudè: sed amoris & necessitudinis testificatione factam.

Tertia Confirmatio, argumenta habet adhortationis, ab opinione & judicio hominum, à facultate & occasionibus præclaris ab utilitate desumpta. Quarta est Conclusio, quæ verecundâ expositione causarum institutæ adhortationis, & officii pollicitatione absolvitur.

CVm ipsum Furnium per se vidi libentissimè, tùm hoc libentiùs, quod illum audiens te videbar audire: nam & in re militari virtutem, & in administrandâ provinciâ justitiam, & in omni genere prudentiam mihi tuam exposuit: & prætereà mihi non ignotam in consuetudine & familiaritate suavitatem tuam adjunxit: præterea summam erga te liberalitatem: quæ omnia mihi jucunda: hoc extremum etiam gratum fuit. Ego, Plance, necessitudinem constitutam habui cum domo vestra antè aliquantò, quàm tu natus es: amorem autem erga te ab ineunte pueritiâ tuâ, confirmatâ jam ætate familiaritatem, tùm studio meo,

meo, tùm judicio tuo constitutam. His de causis mirabiliter faveo dignitati tuæ: quam mihi tecum statuo esse communem. Omnia summa consecutus es virtute duce, comite fortunâ: eaq; es adeptus adolescens, multis invidentibus, quos ingenio industriaq; fregisti. Nunc me amantissimum tui nemini concedentem, qui tibi vetustate necessitudinis potior possit esse, si audies: omnem tibi reliquæ vitæ dignitatem ex optimo Reipub. statu acquires. Scis profectò (nihil enim te fugere potuit) fuisse quoddam tempus, cum homines existimarent, te nimis servire temporibus: quod ego quoq; existimarem, si te ea quæ patiebare, probasse etiam arbitrarer: Sed cùm intelligerem, quid sentires, prudenter te arbitrabar videre quid posses, nunc alia ratio est omnium rerum: tuum judicium est, idq; liberum. Consul es designatus, optimâ ætate, summâ eloquentiâ, maximâ orbitate reip. virorum talium. Incumbe per deos immortaleis, in eam curam & cogitationem, quæ tibi summam dignitatem, & gloriam afferat. Vnus autem est, hoc præsertim tempore, per tot annos Repub. vexata, Repub. benè gerendæ, cursus ad gloriam. Hæc amore magis impulsus scribenda ad te putavi, quàm quod arbitrarer te monitis & præceptis meis egere, sciebam enim ex iisdem te hæc haurire fontibus, ex quibus ipse hauseram, quare modum faciam. Hoc tantùm significandum putavi,

tavi, ut potiùs amorem tibi oſtenderem meum, quàm oſtentarem prudentiam. Intereà quæ ad dignitatem tuam pertinere arbitrabor, ſtudiosè diligenterq; curabo. Vale.

† *IMITATIO HVIVS EPISTOLÆ, quâ hortabimur amicum, ut in officio, quod ei contigit, & diligentem ſeſe, & fortem præbeat.*

CUm amicum tuum veterem per ſe vidi libentiſſimè; tum hoc longè mihi extitit gratiſſimum, quod illum audiens, tecum mihi cònferre ſermones videbar. Nam & in conſiliis de Republ. capiendis diligentiam: & in ſuſtinendis labòribus induſtriam: & benè de ſingulis merendi ſtudium mihi tuum expoſuit: adjecit & illud (quod tamen antè notum mihi erat) tuam humanitatem atq; liberalitatem ab omnibus amari ſummisq; in cœlum uſque laudibus evehi. Quæ quàm mihi auditu jucunda extiterint omnia, dici non poteſt. Antè

 enim,

enim, quàm lucem tu hanc primò aſpexiſti, neceſſitudo mihi tuis cum parentibus totâque domo veſtrâ conſtituta fuit. Te autem ab ineunte tuâ pueritiâ, amore ſum & benevolentiâ complexus: pòſt etiam, confirmatâ jam ętate judicavi eum, de cujus ego mihi amicitiâ atq; familiaritate gratularer. Et adhuc hodiè ex animo honoribus tuis faveo, qui limos, quod ajunt, oculos multos efficiunt? Amici etiam cum ſit candidi & ſinceri, monere; etiam atq; etiam te hortor, ut (quod facis) in munere gerendo omnia ea adhibeas, quæ bonorum ſatisfacere expectationi atq; voluntati: malevolorum atq; invidorum, quantum his quidem fieri temporibus poteſt, ſubterfugere reprehenſiones & calumnias poſſunt. Noſti profectò, (neq; enim fieri potuit, quin ad te iſta deferrentur) fuiſſe quoſdam,

dam, qui parùm de te commodè loquerentur: quasi ad opes,ad gratiam, ad honores adq; dignitates viam tibi munires, ideoque tuis actionibus offendere neminem velles. Quod sanè & ipse credidissem, nisi pro eâ, qua præditus es, prudentiâ, tulisse tum te, at non probâsse multa, quid posses, non quid velles considerâsse, arbitratus fuissem. At aliter nunc res sese habent. Liberum tuum est, atq; solutum judicium, cum, & autoritate & potentiâ apud omnes valeas plurimùm. In eam igitur curam incumbes, quæ tuâ est familiâ digna; personæ conveniens, quaq; sola ab oblivione atq; interitu memoria tua vindicata magnâ cum laude ad posteritatem usq; transmittetur. Scriberem hanc in sententiam plura, nisi tuâ te spontè in Rempub. animatum esse egregiè scirem. Et hæc

quæ attigi, non profectò attigi, quòd meis te monitis opus habere putarem; aut nescio quam ostentare prudentiam vellem, sed ut amorem in te meum singularem testatum facerem. Itaq; & æqui boniq; consules ista: & me omnia illa, quæ ad dignitatem aliaque pertinere commoda videbuntur, curaturum diligenter, persvasum habebis. Vale.

HORTANDI FORmula.

Vos & hortor & moneo.

Illud te esse admonitum volo.

Te hortor, cùm beneficiis tuis, tùm amore incitatus meo, &c.

Extra jocum moneo te, quod pertinere ad beatè vivendum arbitror, ut te bonis semper, probis ac honestis adjungas socium.

Te hortor, ut omnia gubernes, & moderare prudentiâ tuâ, ne te auferant aliorum consilia. Nemo est, qui tibi sapientiùs svadere possit teipso: nunquam labere, si te audies. Non scribo hæc temerè; cui scribam, video.

Hortor, ut ad eas te referas artes, quibus à primis temporibus ætatis ſtudium tuum dediſti.

Te hortor, ut omni curâ in Rempublicam incumbas: hoc eſt animi, hoc ingenii tui, hoc ejus ſpei, quam habere debes amplificandæ gloriæ & dignitatis tuæ.

Illud erat amoris mei, quem à tua pueritia ſuſceptum non ſervavi ſolum, ſed etiam auxi, monere te atq; hortari, ut in Rempublicam omni cogitatione curaq; incumberes.

Quamobrem omnibus officiis amicitiæ diligenter à me ſanctéq; ſervatis, ne hoc quidem prætermittendum eſſe duxi, te ut adhortarer, rogaremq;, ut & hominem te, & virum eſſe meminiſſes, communem incertamque caſum, quem neque vitare quiſquam noſtrûm, neq; præſtare ullo pacto poteſt, ſapienter ferres, & dolori fortiter ac fortunæ reſiſteres.

Incumbe, per Deos immortales, in eam curam & cogitationem, quæ tibi ſummam dignitatem & gloriam affert.

Quare contende quæſo, atq; labora, ut vitæ tuæ ea ratio ſit, ut omnes boni tum faveant, tum etiam à te omnem diligentiam, virtutemq; & poſtulent & exſpectent.

Facies perpetuò, quæ feciſti, ut omnes æ-

quitatem tuam, temperantiam, ſecuritatem, integritatemq; laudent.

Illud te ad extremum & oro, & adhortor, ut tanquam poëtæ boni, & actores induſtrii ſolent, ſic tu in extrema parte, & concluſione muneris ac negotii tui diligentiſſimus ſis.

Magnopere te hortor pro tuo ſingulari perpetuoque ſtudio in Rempubl. ut te ad nos conferas, ut communi conſilio Reip. afflictæ opem atq; conſilium feramus.

Hortor verò, ut maneas in ſententia, neve cujuſquam vim aut minas pertimeſcas.

Ad curſum iſtum tenendum, quem à prima ætate ſuſcepiſti, adhortor.

Noli in conſervandis bonis Viris defatigari, non cupiditate præſertim, aut pravitate aliqua lapſis, ſed opinione officii ſtulta fortaſſe, non improba.

Oro obteſtorque te pro noſtra vetere conjunctione ac neceſſitudine, proq; ſumma mea in te benevolentia, & tua in me pariter, te ut nobis, parenti, conjugi, tuiſq; omnibus, quibus es, fuiſtiq; ſemper cariſſimus, ſalvum conſerves, incolumitati tuæ tuorumque qui ex te pendent conſulas: quæ didiciſti, quæq; ab adoleſcentia pulcherrimè à ſapientiſſimis viris tradita memoriâ & ſcientiâ comprehendiſti, iis hoc tempore utare, quos conjunctos

ſum-

ſumma benevolentia plurimiſq; officiis amiſiſti, eorum deſiderium ſi non æquo animo, at forti feras.

Tu velim animo ſapienti fortiq; ſis, ut tua moderatio & gravitas aliorum infamet injuriam.

Teipſum moneo (quanquam non eges conſilio, quo vales plurimùm: tamen & ſummi gubernatores in magnis tempeſtatibus à vectoribus admoneri ſolent) hunc tuum apparatum, tamq; præclarum, ne ad nihilum recidere patiare.

Quapropter hoc te primùm rogo, ne contrahas, aut dimittas animum, neve te obrui tanquam fluctu, ſic magnitudine negotii, ſinas: contraq; erigas, ac reſiſtas, ſive etiam occurras ultrò negotiis.

Etiam illud te admoneo, ne quid ullis litteris committas, quod ſi prolatum ſit, moleſtè feramus: multa ſunt, quæ ego neſcire malo, quàm, cum aliquo periculo fieri certior. Hæc ad te ſcripſi fortaſsè pluribus, quàm neceſſe fuit, ut videres, tuas quoq; eſſe partes inſtituendi & monendi. Reliquum eſt, ut antequã proficiſcare, mandata noſtra exhaurias.

Fortiſſimus quiſq; maximos labores ſuſcipiendos eſſe putet, ut aliquando in otio poſſit eſſe, præſertim cum dignitate.

Vitam ad certam rationis normam dirigito, & diligenter momenta officiorum perpendito,

Amemus patriam, pareamus senatui, consulamus bonis, præsentes fructûs negligamus, posteritati & gloriæ serviamus, cogitemus, quod erit rectissimum.

Illud te esse admonitum volo: primùm, qualis es, talem te existimes, & quantum à rerum turpitudine abes, tantum te à verborum libertate sejungas: Deinde, ut ea in alterum ne dicas, quæ cùm tibi falsa responsa sint, erubescas.

Quæ quidem adhortatio ne tibi inanis, aut sine causâ suscepta videatur, illa me ratio movet, ut te ex nostris eventis communibus admonendum putarem, ut considerares in omni reliquâ vitâ, quibus crederes, quos caveres.

Quid sit forti atq; sapienti homine dignum, quid gravitas, quid altitudo animi, quid anteacta tua vita, quid studia quid artes, quibus à pueritia floruisti, à te flagitent, tu videbis.

Magna spes in te, & in tuo exercitu magna exspectatio, cujus, per Deos, gratiæ, gloriæq; cave tempus amittas. Sic moneo, ut filium: sic faveo, ut mihi: sic hortor, ut & pro patria & amicissimum.

Incumbe toto animo, & studio omni, in

eam rationem, qua adhuc uſus es: ut eos, quos tuæ fidei poteſtatiq; S. P. Q. R. commiſit & credidit, diligas, & omni ratione tueare, ut eſſe quàm beatiſſimus velis.

Sed præſta te eum, qui mihi à teneris (ut Græci dicunt) unguiculis es cognitus.

Teq; ad ſtudium ſummæ laudis cohortabor: eſt enim tibi gravis adverſaria conſtituta, & parata incredibilis quædam expectatio, quam tu una re facilimè vinces, ſi hoc ſtatueris, quarum laudem & gloriam adamaris, quibus artibus eæ laudes comparantur, in iis eſſe laborandum.

Quare magnum fac animum habeas, & ſpem bonam. Ceſſatorem eſſe noli, & illud, γνῶθι σεαυτὸν noli putare ad arrogantiam minuendam ſolùm eſſe dictum, verùm etiam, ut bona noſtra norimus.

Te adhortor, ut in eam rationem, in qua multi & honore & gloriâ floruerunt, incumbas: recorderis, virtuti te, non deſidiæ: dignitati, non voluptati: laudi deniq;, non otio eſſe natum.

Para te, meditare, atq; cogita, ut perditiſſimis flagitiis oppreſſam Rempublicam in priſtinam vindices libertatem.

Vos adoleſcentes, qui ingenio & virtute ſummam laudem conſequi poteſtis, ad ma-

jorum vestrorum, quorum prudentia imperii hujus splendor ac gloria constituta est, imitationem vos componite.

Perge nomen tuum commendare immortalitati: atq; hæc omnia, quæ habent speciem gloriæ, collecta ex inanissimis splendoris imaginibus, contemne, brevia, fugacia, & caduca existima. Verum decus, in virtute positum est, quæ maximè illustratur magnis in Rempubl. meritis.

Si me audies, semper bonorum virorum studiosus eris: Longè enim pulchrius est, bonos imitando benè audire, quàm malos sequendo apud omnes, tandem malè audire.

HORTANDI AD MITTENdum literas formulæ.

ITaq; tuas literas exspecto, easq; ut ad me sine dubitatione scribas rogo.

Tu tamen, velim, ne intermittas, quoad ejus facere poteris, scribere ad me, etiam si rem de qua scribas, non habebis: semper enim aliquid afferunt tuæ literæ.

Sic igitur facies, meque amabis & scripto aliquo lacesses. Ego enim respondere faciliùs possum, quàm provocare. Quod si (ut es) cessabis, lacessam, ne tua ignavia etiam inertiam afferat.

Sed tamen te rogo, ne intermittas ſcribere ad me quidquid erit, eoſq; , qui mihi tam crudeliter inimici ſunt, ſi odiſſe non potes, accuſes tamen, non ut aliquid proficias, ſed ut tibi me charum eſſe ſentiant. Plura ad te ſcribam, ſi mihi ad eas literas, quas proximè ad te dedi, ſcripſeris.

Tu ad me velim quàm ſæpiſſimè ſcribas, atq; magis, quòd prætereà nemo ſcribit, ac ſi omnes, tuas tamen maximè exſpectarem. Tu mihi etiam, ſi nihil erit quod ſcribas, tamen idipſum ſcribas velim, dummodo ne his verbis.

Tu velim, & quid agas, & quid acturum te putes, facies me quàm diligentiſſimè certiorem.

Velim quàm ſæpiſſimè mecum per litteras colloquare, etiamſi rem, de qua ſcribas, non habebis.

Velim diligentiùs omnia, quæ putâris me ſcire opus eſſe, perſcribas.

Quoties habebis cui des ad me literas, nolim prætermittas.

Scribe ad me quid agas, & à nobis quid fieri aut curari velis.

Facito nos ſtatim, quid conſtitueris, & quid agas, ſi tibi videbitur, certiores.

Cùm inprimis tuas literas deſiderem, noli com-

committere, ut excusatione potiùs expleas officium scribendi, quàm assiduitate literarũ.

Tu velim ad nos sæpè scribas: si rem nullam habebis, vel quod in buccam venerit, scribito.

Absentiam nostram crebris literis sarciamus.

Crebris nos literis appellato, quibus omni de re me erudias.

Velim quàm sæpissimè mecum per literas colloquare.

Tu etiam atq; etiam cures, ut valeas, literasque ad me mittas, quotiescunq; habebis, cui des.

Vide plura in exordiis Epistolæ, qua ad scribendum provocamus.

NOTIO DE EPISTOLA *Dehortatoria.*

VIx unquam alterum cohortamur, quin eâdem operâ dehortemur. Quo in genere cùm versabimur, exempla eorum, quibus ea res haud feliciter evenerit, congeremus. † Deinde rei turpitudinem, probrum, convitia, incommoda colligemus: Quæ per exornationem, quam Rhetores Descriptionem vocant, ante oculos ponemus. Utrique verò generi tàm exhortatorio, quàm dehortatorio, quid, quôq; modo respondendum sit, natura ipsa docebit. Nemo enim est tàm inhumanus, nisi

for-

fortè superbus & arrogans, qui gratias non agat hortatori, gratissimumq; ejus officium fuisse sibi significet.

DEHORTANDI FORMVLÆ.

PEr fortunas tuas, per liberos, te oro atque obsecro, ne quid gravius de salute & incolumitate tuâ consulas.

Etiam atq; etiam cogito, ne te, tuosq; omnes funditùs evertas: ne te sciens prudensq; eò demittas, unde exitum nullum vides esse.

Peto à te pro tua fide ac diligentia pluribus verbis, ne per summam injuriam me fortunis coneris evertere.

Rogo ad extremum, ne usq; eò meam auctoritatem despicias; gratiamque nostram contemnas, neve tantâ injuriâ afficias.

Remitte spiritum aculeorum plenum; comprime animum tuum, seda arrogantiam.

Hæc labes imposterum à te dimoveatur velim.

Impudentiæ tuæ fac finem aliquando.

Nolite animum meum debilitare, tum luctu, tum etiam metu commutatæ vestræ voluntatis erga me.

Ab hoc improbo certamine, atq; injusta contentione te avoco.

Flecte te, & mores tuos respice.

Hanc,

Hanc, quæso, pro tua singulari animi sapientia reprime famam, atque effice, ne id, quod non curas, curare videaris.

Desine bonos petulantissimâ linguâ consectari: desine morbo procacitatis isto uti: deniq; desine unumquemq; moribus æstimare tuis, his moribus tibi facere amicum non potes, videris velle inimicum habere.

Noli mihi soporem & languorem exprobrare.

Deos hominesq́;, amicitiamq́; nostram testificor, me tibi prædixisse, neq; temerè monuisse, sed postquam Cæsarem convenerim, sententiamq́; ejus, qualis futura esset parta victoria, cognorim, eos certiorem fecisse.

Vide, ne te in laqueos inducas, quorum ex nullo te unquam expedire queas.

Cavendum est tibi, ne quam insignem maculam & ignominiam suscipias.

Noli tam esse injustus, ut cùm tui fontes vel inimicis tuis pateant, nostros rivulos etiam amicis putes clausos esse oportere.

Noli hac mea lenitate nova abuti.

Cave, ne qua generi ac nomini tuo nota nefariæ turpitudinis inuratur.

Providete, ne rei crudelitas in me experta in vos convalescat, & calamitas remorata longiùs serpat atq; progrediatur, cavete.

RE-

RESPONSIO AD HORTATORIam & Dehortatoriam Epistolam.

AD Hortatoriam rescribes gratam tibi fuisse amici hortationem. Plurimùm apud te valuisse illius consilia & admonitiones: effecisse, ut nihil in votis habeas magis, quàm iisdem te satisfacere posse. Ages præterea gratias, semper id te in memoria habiturum commemorans.

Cùm te quis hortatus, Dehortatusve fuerit, de rebus, quas tuâ spontè facturus esses, respondere poteris, confirmari tua consilia; cùm sentis prudentibus, fideliterq; svadentibus idem videri. Si statuisti non facere, à quibus ille dehortabatur, te mirari dices, cur id dicat, aut talia de te suspicetur, cùm non desint rationes, cur id de te nec dicere, nec suspicari deberet. Omnia tamen in bonam te accipere partem scribes.

Si quid vehementer addubitas in ea re, ad quam te hortatur; te tamen facturum dices, quia ipse hortatur: tuæ tamen dubitationis rationes commemorabis.

Petes igitur ab amico, ut examinet secum, omnesq;, quos monuisti in utrâq; parte calculos ponat: ut id eligat, in quo vicerit ratio: ab amico enim ratio exigetur: Te excusabit obsequium.

Cùm

Cùm verò amici præceptis parére cupimus, & aliquâ impedimur causâ, quò minùs ea exsequi possimus, tunc idoneis utendum erit excusationibus.

Quatuor autem potissimùm in respondendo partes sunt.

Exordium, quod constabit, aut brevi repetitione, & commendatione institutæ ab amico exhortationis: aut reprehensione & insectatione malevolorum: aut excusatione neglecti in scribendo officii.

Propositio approbationem vel improbationem adhortationis continet.

Confirmatio rationes & argumenta ponet; quibus scilicet impellamur, ut exhortationi locum relinquamus; eaq; sumentur, vel ab Honestate vel Utilitate ipsius adhortationis: vel à rerum & temporum conditione: vel ab ejus, qui ad nos scripsit, fide, prudentiâ, auctoritate: vel ab ingenio, moribus, consvetudine nostrâ. Si exhortationi obsequi non sit animus, rationes illius ponendæ.

Conclusio absolvetur pollicitatione, & petitione: Pollicebimur siquidem monitis nos amici obtemperaturos: Eundemq; rogabimus, ut quoq; deinceps nos sibi commendatos habeat.

Interdum & Refutationi est & Excusationi

ni locus: cùm malevolorum mendaciis & calumniis ſumus onerati.

Exemplum reſponſionis ad Hortatoriam, obſervatum in 4 epiſtol. lib. X. ad Fam. qua Plancus Ciceroni pro adhortatione gratias agit, eidemq; obtemperaturum ſe promittit. Epiſtolæ partes ſunt quatuor. Exordium commendationem inſtitutæ adhortationis, & excuſationem tarditatis in reſpondendo habet. Propoſitio approbatione adhortationis, & obedientiæ pollicitatione conſtat. Confirmatio rationes & cauſſas complectitur, quibus adductus Plancus Ciceroni obtemperat, deſumptas nimirùm ab utili, & auctoritate. Concluſio officii promiſſione abſolvitur.

GRatiſſimæ mihi tuæ litteræ fuerunt, quas ex Furnii ſermone te ſcripſiſſe animadverti. Ego autem præteriti temporis excuſationem affero, quod te profectum audieram, nec multò antè rediiſſe ſcivi, quàm ex epiſtola tua cognovi: nullum enim in te officium, ne minimum quidem, ſine maximâ culpâ, videor poſſe præterire. In quo tuendo habeo cauſas plurimas, vel paternæ neceſſitudinis, vel mea in te à pueritia obſervantiæ, vel tui erga me mutui amoris. Quare, mi Cicero, quod mea tuaq; patitur ætas, perſvade tibi te unum eſſe, in quo ego colendo patriam mihi conſtituerim ſan-

ſanctitatem. Omnia igitur tua conſilia mihi non magis prudentiæ plena, quæ ſumma eſt, videntur, quàm fidelitatis, quam ego ex mea conſcientia metior. Quare ſi aut aliter ſentirem, certè admonitio tua me reprimere: aut ſi dubitarem, hortatio impellere poſſet, ut id ſequerer, quod tu optimum putares. Nunc verò quid eſt, quod me in aliam partem trahere poſſit? quæcunq; in me bona ſunt, aut fortunæ beneficio tributa, aut meo labore parta, etſi à te propter amorem carius ſunt æſtimata, tamen vel inimiciſſimi judicio tanta ſunt, ut præter bonam famam, nihil deſiderare videantur. Quare hoc unum tibi perſvade, quantum viribus eniti, conſilio providere, auctoritate movere potuero, hoc omne reip. ſemper futurum. Non eſt ignotus mihi ſenſus tuus: neq; ſi facultas, optabilis mihi quidem, tui præſentis eſſet unquam à tuis conſiliis diſcreparem: nec nunc committam, ut ullum meum factum reprehendere jure poſſis. Sum in exſpectatione omnium rerum, quid in Gallia citeriore, quid in urbe, Ianuario menſe geratur, ut ſciam. Interim maximam hanc ſolicitudinem, curamq; ſuſtineo, ne inter alia vitia hæ gentes noſtra mala ſuam putent occaſionem. Quòd ſi proinde ut ipſe mereor, mihi ſucceſſerit, certè & tibi, cui maximè cupio, & omnibus viris bonis ſatisfaciam. Fac valeas, meq; mutuò diligas.

IMI-

† *IMITATIO HUIUS EPISTOLA, Continentis responsionem ad superiores literas.*

PErquàm gratæ mihi tuæ acceptæq; extiterunt literæ. Nam & animum in me benevolum promptumq; declarârunt, & verò adhortationem continuerunt longè saluberrimam. Respondissem ad eas citiùs, nisi te nescio quò profectum esse audivissem. Neq; enim officium sine magna ἀχαριστίας reprehensione intermittere me posse, intelligo. Et quidem rei hujus causas habeo plurimas & maximas; vel paternam amicitiam: vel meam in te observantiam; vel deniq; beneficia, quæ in me hactenus contulisti, & adhuc confers quotidie. Itaq; etiam atq; etiam rogo, hoc tibi persvadeas, ünum te esse, quem parentis ego loco colam: Et in quo spem meam omnem fixam locatamq; habeam.

Ope-

Operam me quoq; daturum: Ut tua apud me monita & prudentiæ, & fidelitatis plena eum, quem debent, locum inveniant: Nec in capessenda Repub. officio defuisse meo cuiquam videar. Pertinet hoc scilicet ut graviter mones, ad famam præclaram colligendam, & comparandam gloriam, quæ egregiis, vel in cives, vel in patriam, vel in omne genus hominum meritis acquiritur. Accedit deinde autoritas tua, quæ, ut modò scripsi, apud me est tanta, ut à tuis discrepare consiliis, religioni habeam. Quantum ergò consequi studio: viribus eniti: autoritate qualicunq; efficere meâ potero, in id unicum incumbam: ut Reipub. me verè fuisse amantem ac studiosum, & qui nunc vivunt, intelligant. Et grata aliquando posteritas testetur. Neq; in cæteris etiam rebus committam; ut ullum meum

factum

factum abs te, aut aliis viris bonis reprehendi queat. Vale.

DE CONSOLATORIA *Epistola.*

IN consolando primùm nostrum dolorem ex amici infelicitate, molestiâ, rei alicujus jacturâ perceptum declarabimus: vel modestè vires atque ingenium in consolando nostrum extenuabimus, vel amorem, benevolentiam, studium, officium commemorabimus: vel occasionem ob quam ipsa suscepta scriptaq; sit consolatio, narrabimus: vel sapientiam, gravitatem, animiq; magnitudinem amici prædicabimus: vel petemus, ne propter literarum aut raritatem, aut tarditatem, atq; intermissam ad tempus consolationem in miseriis amicum neglexisse videamur. Licet quandoq; à rationibus ipsis, quibus aliquando amicus te consolatus fuit, incipere.

Deinde hortabimur amicum, ut omnem adversam fortunam fortiter ferat, & quid sit forti & sapienti homine dignum, cogitet: vel meliorem fortunam præstò illi pollicebimur: vel causam exponemus, cur iterum ei consolationem adhibeamus, quem anteà consolati fuimus.

Posteà blandè & amicè rationes reddemus, quibus amicum à molèstiis, & dolore abducere conemur: eæ sumentur vel à voluntate Dei, cujus nutu justè, clementer, & sapienter fiunt, & gubernantur omnia, cujusq; proprium est, dolorem & incommoda omnia, in lætitiam utilitatemq; convertere: vel à communi omnium fortunâ & conditione: eâ enim lege nati sumus omnes, ut nihil, quod homini accidere possit, recusare debeamus: vel ab aliorum exemplis, qui easdem calamitates sunt experti: vel à cõnscientiæ integritate, & culpæ vacatione: vel à temporum conditione, deploratòq; Reip. statu: vel ab anteacta vita, moribus, studiis, quibus à pueritia floruit: vel à studiis, officiis, auxiliis amicorum & propinquorum: vel à testimonio & judicio bonorum virorum: vel à malis & periculis impendentibus; vel à collatione eorum, quæ amissa & retenta sunt.

Postremò nostram amico operam, studiumq; pro viribus nostris pollicebimur: vel gratiâ contendemus, & rogandō, si quid nostrâ, aut aliorum causâ velit, ut illis se molestiis laxet: vel ad animi magnitudinem hortabimur; vel antè allatas rationes repetemus: vel causas institutæ adhortationis exponemus: vel excusabimus nos, cur longiores non

ſimus, ne vel diffidere prudentiæ amici videamur, vel illum obtundere.

Exemplum artificioſæ conſolationis, obſervatum in 5, Epiſt. lib. 4, ad Fam. qua Servius Sulpitius, Orator & Juriſconſultus eximius, tunc Achaiam Cæſaris juſſu adminiſtrans, Ciceronem ipſum, propter filiæ Tulliæ ex partu obitum, conſolatur, tantâ auctoritate, prudentiâ, humanitate, orationiſq; ſvavitate, ut nihil in eo genere putetur exſtare perfectius. Partes illius Epiſtolæ ſunt quatuor. In Exordio communem dolorem declarat, ſtudium officiumq; ſuum commemorat, & modeſtè ſe excuſat. In Propoſitione ad animi magnitudinem hortatur. Confirmatio argumenta complectitur, ſumpta à collatione honorum: viri fortis officio: perturbato Reipub. ſtatu: de mortuæ filiæ conditione: clariſſimorum virorum exemplis: communi omnium hominum fortunâ: à Ciceronis prudentiâ & vitâ anteactâ. Concluſio præciſione, in qua cauſa, cur non plura ſcribat, exponitur, & adhortatione abſolvitur.

Poſteaquam mihi renunciatum eſt de obitu Tulliæ filiæ tuæ, ſanè quàm pro eo, ac debui, graviter moleſteq; tuli: communemq; eam calamitatem exiſtimavi: qui ſi iſthic affuiſſem, neq; tibi defuiſſem, coramq; tibi dolorem meũ declarâſſem.

Etsi genus hoc consolationis miserum, atq; acerbum est, propterea, quòd per quos id confieri debet, propinquos ac familiares, ipsi pari molestiâ afficiuntur, neq; sine lachrymis multis id conari possunt: ut magis ipsi videantur aliorum consolatione indigere, quàm aliis posse officium suum præstare: tamen quæ in præsentia mihi in mentem venerunt, decrevi brevi ad te perscribere: non quod ea te fugere existimem: sed quod forsitan dolore impeditus, minùs ea perspicias. Quid est quod tantoperete commoveat tuus dolor intestinus? Cogita, quemadmodum adhuc fortuna nobiscum egerit: Ea nobis erepta esse, quæ hominibus non minùs, quàm liberi cara esse debent, patriam honestam, dignitatem, honores omneis. Hoc uno incommodo addito, quid ad dolorem adjungi potuit? Aut qui non in illis rebus exercitatus animus callere jam debet, atq; omnia minoris æstimare? At illius vicem (credo, doles,) quoties in eam cogitationem necesse est ut tu veneris, ut & nos sæpè incidimus, hisce temporibus non pessimè cum iis esse actum, quibus sine dolore licitum est, mortem cum vitâ commutare? Quid autem fuit, quod illam hoc tempore ad vivendum magnoperè invitare posse? quæ res? quæ spes? quod animi consolatium? ut cum aliquo adolescente primario conjuncta ætatem ageret? Licitum est tibi (credo) pro tua dignitate ex hac juventute generum diligere,

gere,

gere, cujus fidei liberos tuos, teq; tutò committere putares. An ut ea liberos ex sese páreret, quos cum florenteis videret, lætaretur? qui rem à parente traditam per se tenere possent; honores ordinatim petituri essent in repub. in amicorum negotiis libertate sua uterentur? quid horum fuit, quod non priùs quàm datum, ademptum sit? At verò malum est liberos amittere, Malum, nisi hoc pejus sit, hæc sufferre & perpeti. Quæ res mihi non mediocrem consolationem attulit, volo tibi commemorare, si fortè eadem res tibi minuere dolorem possit. Ex Asia rediens, cum ab Aegina Megaram versus navigarem, cœpi regiones circum circa prospicere, post me erat Ægina, ante Megara, dextra Piræus, sinistra Corinthus: quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata & diruta ante oculos jacent: cœpi egomet mecum sic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur, si quis nostrûm interiit, aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cùm uno loco tot oppidorum cadavera projecta jaceant: visné tu te, Servi, cohibere, & meminisse, hominem te esse natum? Crede mihi, cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus. Hoc idem si tibi videtur, fac ante oculos tibi proponas. Modò uno tempore tot viri clarissimi interierunt: de imperio præterea tanta diminutio facta est: omnes provinciæ conquassatæ sunt: in unius muliercula animula, si jactura facta est,

tantoperè commoveris? quæ si hoc tempore non suum diem obiisset: paucis post annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat. Etiam tu ab hisce rebus animum ac cogitationem tuam avoca: atq; ea potiùs reminiscere, quæ digna tua persona sunt: illam quandiu opus fuerit, vixisse: unà cum rep. fuisse: te patrem suum prætorem, consulem, augurem vidisse, adolescentibus primariis nuptam fuisse, omnibus bonis propè perfunctam esse: cùm resp. occideret, vitâ excessisse. Quid est, quod tu, aut illa cum fortuna hoc nomine queri possitis? Deniq; noli te oblivisci Ciceronem esse, & eum, qui aliis consueveris præcipere & dare consilium, neq; imitari malos medicos, qui in alienis morbis profitentur, se tenere medicinæ scientiam, ipsi se curare non possunt: sed potiùs, quæ aliis præcipere soles, ea tute tibi subjice, atq; apud animum propone. NVLLVS dolor est, quem non longinquitas temporis minuat, atq; molliat, hoc te exspectare tempus ac non ei rei sapientia tua occurrere, tibi turpe est, quod si quis etiam inferis sensus est: qui illius amor in te fuit, pietasq; in omneis suos, hoc certè illa te facere non vult. Da hoc illi mortuæ: da cæteris amicis & familiaribus, qui tuo dolore mærent: da patriæ: ut si qua in re opus sit, operâ & consilio tuo uti possit. Deniq; quoniam in eam fortunam devenimus, ut etiam huic rei nobis serviendum sit: noli committere, ut quis-

quam

quam te putet non tam filiam, quam reip. tempora & aliorum victoriam lugere. Plura me ad te de hac re scribere pudet, ne videar prudentiæ tuæ diffidere. Quare; si hoc unum proposuero, finem faciam scribendi. Vidimus aliquoties, secundam pulcerrimè te ferrre fortunam, magnamq; ex ea re laudem adipisci: fac aliquando intelligamus, adversam te quoq; æquè ferre posse, neq; id magis, quàm debeat, tibi onus videri: ne ex omnibus virtutibus hæc una tibi videatur deesse. Quod ad me attinet, cùm te tranquilliorem animo esse cognôro, de iis rebus, quæ hîc geruntur, quemadmodumq; provincia se habeat, certiorem faciam. Vale.

† *IMITATIO HVIVS EPISTOLÆ, continens consolationem erga amicum lugentem filii obitum.*

POsteaquam filium tuum hanc cum morte commutasse vitam intellexi; mœrore sanè sum ac tristitiâ incredibili affectus, eandemq; ad me quoque pertinere calamitatem sum arbitratus. Quod si etiam tum per loci longinquitatem: tum occupationes illas, quibus districtus teneor quotidiè, ad te profici-

ſci potuiſſem: coràm profectò meum tibi teſtatum doloremfeciſſem. Ac licèt miſerum omninò hoc ſit conſolandi genus, quod apud afflictum ab afflictis adhiberi propinquis, amicis, neceſſariis ſolet: Propterea quod ipſi opus aliorum habere conſolatione videntur. Tamen breviter per literas conſolari te conabor: Idq; officium in partem optimam accepturum te planè confido. Neq; enim idcircò illud facio, quaſi tuæ hac in parte prudentiæ diffidam: verùm quod ita comparatum eſſe plerunq; ſciam: Ut in rebus noſtris nimio, aut gaudio, aut dolore præpediti, quid ſit faciendum non videamus. Cur ergò primùm tam graviter filii tui ferendam eſſe mortem cenſes? Conſidera obſecro, etiam atque etiam conſidera, qua hactenus fortunâ ſimus uſi: Quàm multa miſeri-

ſerimus, quæ, ſi non magis, æquè profectò atq; liberi jucunda nobis acceptaque eſſe debent. Deinde mentis oculorumque ad ea, quæ nunc fiunt & geruntur, aciem converte, & benè cum eo aliiſq; actum eſſe fateberis, qui miſeris hiſce ac verè conclamatis temporibus ex hac vita placidè migrârunt, & quaſi fugâ, cervicibus noſtris imminentes calamitates, declinârunt. Quid verò illum ad diuturniorem hujus lucis expetendam uſuram impellere poſſet? ut cum virgine aliquâ, honeſtâ ortâ familiâ & locupletè conjunctus vitam traduceret: Ut liberos procrearet, quibus delectareris: ut relicta à te bona teneret: ut ad honores & dignitates eveheretur? Quid horum omnium eſt: quod non ſuas quoq; moleſtias atq; difficultates habeat? At verò malum eſt, filium amittere. Unde

quæso filium habuisti? Nonne precario quasi nomine à Deo usurarius tibi datus, ideoq; eundem repetenti reddendus fuit? Quid porrò in tota rerum est universitate firmum, stabile, perpetuum, omnisq; interitus expers? Quot obsecro, regna deleta? Quot mutata imperia? Quot urbes eversæ? Quot viri extincti clarissimi? An hominem filium fuisse tuum es oblitus, ea scilicet lege natum, ut cum aliis calamitatibus omnibus, tum verò morti obnoxius esset? Etiam illa considera, quæ tuâ cumprimis dignâ personâ videatur; Pietate & virtute, non annorum numero vitæ æstimandam longitudinem esse. Filium tuum inter peregrinos quidem: At in Rep. Christianâ præclareq; constitutâ diem suum obiisse: ubi neq; ad corpus, neq, animam curandam necessariis destitutus fuit. Domini

quoq;

quoq;(ut cum ſcriptura loquamur) eſſe terram omnemq; plenitudiné ejus. Undiq; cœleſtem in patriam hac è vitâ migrantibus tantundem viæ reſtare. Chriſtianum te eſſe cogita, cujus eſt gratias Deo agere pro conceſſis aliquandiu liberis, non de iis abreptis cum eodem expoſtulare: Et quaſi præmiſſum, non amiſſum lugere. Veniant tibi in mentem ea, quæ mihi aliiſq; ſimili in luctu præcipere es ſolitus: Neque committe, ut illud tibi objiciatur: ἄλλον ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων. Aut temporis expectâſſe medicinam videaris in iis, quibus pietate, animi magnitudine, ſapientiâ, occurrendum erat. Scriberem hanc in ſententiam plura, niſi vererer, ne de tua dubitare prudentia viderer. Proſperam & ad voluntatem fluentem fortunam ferre ſemper moderatè es ſolitus: Non ergò minùs

in adversis rebus infractum, erectum, excelsumque te præbebis. Quod si, uti spero, audiero, mihi gaudebo, tibi gratulabor. Sin minùs atq; ita altè radices tuo in animo mœror atq; ægritudo egerit, ut evelli nullo modo queat: Tamen officium hoc qualecunque meum grato animo accipies: meq; ad omnia tua promptum paratumque fore semper persvasum habebis. Vale.

¶ Consolatoriæ literæ in Epistolis Familiaribus Ciceronis sunt præter hanc inter cæteras hæ præcipuæ: lib. V. Ep. 16. *Etsi nunc ex omnibus pulcerrimum exemplum, &c.* Item, ejusdem libri Ep. 17. *Non oblivione &c.* & ejusdem libri ep. 18. *Etsi egomet &c.* Item lib. VI. epist. 1. *Etsi ea perturbatio &c.* Quæ præstantissima est. Et Ep. 4 *Novi quod ad te, &c.* Quæ est etiam eximia: Et 21. *Etsi cum hac ad te, &c.* Et in Epistolis ad Atticum lib. III. Ep. 11, 13, 16. 18.

CON-

CONSOLANDI FORMULÆ.

REliquum eſt, ut conſoler, & adferam rationes, quibus te à moleſtiis coner abducere. At ea quidem facultas, vel tui vel alterius conſolandi, in te ſumma eſt, ſi unquam in ullo fuit. Itaq; eam partem, quæ ab exquiſitâ quâdam ratione, & doctrinâ proficiſcitur, non attingam, tibi totam relinquam. Quid ſit & forti & ſapienti homine dignum, quid gravitas? quid altitudo animi? quid acta vita tua? quid ſtudia? quid artes tuæ, quibus à pueritia floruiſti, à te flagitent, tu videbis.

Extremum illud eſt, ut te horter & obſecrem, animo ut maximo ſis: Nec ea ſolùm memineris, quæ ab aliis magnis viris accepiſti, ſed illa etiam, quæ ipſe ingenio ſtudioq; meo peperiſti: Quæ ſi colliges, & ſperabis omnia optimè, & quæ accident, qualiacunq; erunt, ſapienter feres. Sed hæc tu meliùs vel optimè omnium.

Eſt omninò difficile, non graviter id ferre: Sed tamen animos noſtros maximis in rebus gerendis & ſuſtinendis exercitatos, frangi & debilitari moleſtiâ non oportet. Quoniam moleſtiſſimè homines ferre debent, quæ ipſorum culpâ contracta ſunt.

Ego tibi hoc confirmo; etſi levis eſt conſolatio ex miſeriis aliorum, nihilo te nunc

majore in discrimine esse, quàm quemvis aut aliorum qui discesserint, aut eorum qui remanserint. Alteri dimicant, alteri victori timent. Sed hæc consolatio levis, illa gravior, quâ te uti spero, ego certò utor. Nec enim, dum ero, angar ullâ re, cum omni vacem culpâ: Et si non ero, sensu omninò carebo. Sed rursus: γλαῦκας εἰς ἀθήνας, qui ad te hæc.

Quod reliquum est, quod tibi virtus & dignitas tua reditum ad tuos aperuit, est tuæ sapientiæ, magnitudinisq; animi, quid amiseris, oblivisci: quid recuperaveris, cogitare. Vives cum tuis, vives nobiscum. Plus acquisivisti dignitatis, quàm amisisti rei familiaris, Quæ tamen ipsa esset jucundior, si ulla esset Respub.

Tu fac habeas fortem animum quem semper habuisti: Primùm ob eas causas, quas scripsi: Deinde quod ea de Repub. semper voluisti atq; sensisti: Ut non modò secunda sperare debeas, sed etiam si omnia adversa essent, tamen conscientiâ & factorum & consiliorum tuorum, quæcunq; acciderint, fortissimo & maximo animo ferre deberes.

De reliquo, ut te sæpè per literas hortatus sum, ita velim tibi persvadeas, te in hâc causa nihil habere, quod timendum sit, præter com-

communem casum civitatis: Qui, etsi est gravissimus: tamen ita viximus & id ætatis jam sumus, ut omnia, quæ non nostrâ culpâ accident, fortiter ferre debeamus.

Sed ad hæc omnia una consolatio est, quod ea conditione nati sumus, ut nihil, quod homini accidere possit, recusare debeamus.

Ea scripsisti, quæ luctum levare possunt, & de me consolando non mediocrem ipse animi dolorem adhibuisti.

Me non ratio tua solùm, & societas penè ægritudinis: sed etiam auctoritas consolatur.

Quod si non possumus aliquid proficere aliquid svadendo, gratiâ contendimus & rogando, si quid nostrâ causâ vis, ut istis te molestiis laxes, & ad convictum nostrum redeas, & ad consvetudinem vel nostram communem, vel tuam solius, ac propriam.

Cupio non obtundere te, si non delectare nostro studio; cupio deterrere, ne permaneas in incepto.

Etsi unus ex omnibus minimè sum ad te consolandum accommodatus, quod tantum ex tuis molestiis cepi doloris, ut consolatione ipse egerem: Tamen, cum longiùs à summi luctus acerbitate meus abesset dolor, quàm

quàm tuus, statui nostræ necessitudinis esse, meæq; in te benevolentiæ, nón tacere tanto in tuo mœrore tàm diu; sed adhibere aliquam modicam consolationem, quæ levare dolorem tuum posset, si minùs sanare potuisset.

Est consolatio pervulgata quidem illa maximè, quam semper in ore atq; in animo habere debemus: *homines nos esse meminerimus. eâ lege natos, ut omnibus fortunæ telis proposita sit vita nostra:* Neq; esse recusandum, quò minùs eâ, quâ nati sumus, conditione vivamus; Neve tàm graviter eos casus feramus, quos nullo consilio vitare possumus, Eventisq; aliorum memoriâ repetendis, nihil accidisse nobis novi cogitemus.

Beatissimi sunt, qui liberos non susceperunt: Minùs autem miseri, qui his temporibus amiserunt.

Si tibi unum hoc detrahi potest, ne quid his, quos amisisti, mali putes contigisse, permultum erit ex mœrore tuo diminutum.

Quod allatura est ipsa diuturnitas, quæ maximos luctus vetustate tollit, id nos præcipere consilio prudentiâq; debemus.

Quamobrem & illius eximia virtus, summusq; in te amor magnæ tibi consolationi esse debet, & nos cæteriq;, qui te non ex fortunâ sed ex virtute tuâ pendimus, semperq;

pen-

pendemus, ex maximâ animi tui conſcientiâ, cùm tibi nil meritò accidiſſe reputabis: Et illud adjunges, homines ſapientes turpitudine non caſu & delicto ſuo, non aliorum injuriâ commoveri.

Si tibi quid ex iis rebus, quas tibi fortuna largita eſt: nonnullorum hominum pervidia detraxerit, id majori illis fraudi, quàm tibi futurum.

Tu fac animo forti magnoq́; ſis, ſpereſque fore, ut fracto impetu leviſſimi hominis tuam priſtinam dignitatem & gloriam conſequare.

Me in ſummo dolore, quem in tuis rebus capio, maximè ſcilicet tua ſpes conſolatur, ut infringatur hominum improbitas conſiliis tuorum amicorum.

In multis & variis moleſtiis cogitationibusq; meis hæc unica conſolatio occurrebat, quod neq; tibi amicior, quàm ego ſum, quiſquam poſſet ſuccedere: Quod ſi tu quoque eandem de meâ voluntate erga te ſpem habes, ea te profectò nunquam fallat.

Si videor augere dolorem tuum, quem conſolando minuere debeam, fateor me communium malorum conſolationem nullam invenire, præter illam, quæ tamen, ſi poſſes eam ſuſcipere, maxima eſt, quaq; ego quotidie

die magis utar, *conscientiam rectæ voluntatis maximam consolationem esse rerum incommodarum, nec esse ullum magnum malum præter culpã.*

Quando præstitimus, quod debemus, moderatè quod evenit, feramus.

Hoc mihi tamen non sumo, ut te consoler de communibus miseriis, quæ ad consolandum majoris ingenii, & ad ferendum singularis indigent virtutis.

Vacare culpâ magnum est solatium, præsertim cùm habeam duas res, quibus me sustentem, optimarum artium scientiam, & maximarum rerum gloriam, quarum altera mihi vivo nunquam eripietur, altera ne mortuo quidem.

Philosophiæ magnam gratiam habeo, quæ non modò me à solicitudine abducit; sed etiam contra omnes fortunæ impetûs me armat: Tibique idem censeo faciendum, nec à quo culpa absit, quicquam in malis numerandum.

Amabo te, advola, & omnem abstergam dolorem.

Nunc me una consolatio sustentat, quòd tibi à me nullum amoris, nullum studii, nullum pietatis officium defuit.

Nihil est, quòd uxoris tuæ lectissimæ fœminæ mortem tàm impotenter feras nisi tu

qui.

quidem partam felicitatem illi invideas, & ex labore ad quietem, ex dolore ad indolentiam, ex morbo ad sanitatem, ab exilio hoc misero ad beatissimam patriam eam prætendisse ægrè ac molestè feras.

Fac istis te molestiis, quæ animum tuum miserè excruciant, quàm citissimè laxes, ad tuamq; animi alacritatem redeas: Cogitesq; hanc sapientiæ laudem maximam esse, ita rationes nostras adversus omnem fortunam confirmatas habere, ut non aliunde; sed ex nostra virtute pendeamus, neq; ullo vel casu, vel acerbitate fracti firmitudinem gravitatemq; animi abjiciamus, abducamusq; ab angoribus ad ea animum, quibus publica utilitas conservatur, res nostræ secundæ ornantur, juvantur adversæ.

Fac animo forti, quo in alienis esse rebus soles, nunc in tuis sis fortunis ferendis: Neq; committas, ut de naturæ statu declinâsse videaris.

Hunc mœrorem, qui tibi jucunditatis sensum nunc omnem adimit, ex animo depone, atque absterge, cogitaq; cùm *multa & varia mortis pericula quotidiè homini impendeant*, iis tamen omnibus filium exemptum perpetuâ cum diis immortalibus felicitate perfrui.

Magno

Magno te in dolore esse, vel mœrore potiùs, quem ex miserabili fratris morte accepisti, tristis mœrensque ipse audio: sed te & consolor, & hortor, ut quam animi magnitudinem in aliorum negotiis subeundis adferre soles, eam mortalitatis humanæ memor, in tuis luctibus ferendis assumas: *ferasq; non culpes, quæ vitari non possunt.*

Ingenii mei non est, vehementi aliquâ & doctâ oratione stratum te atq; abjectum sublevare. Una hæc te consolatio sustentare debet, quod nullum meum tibi amoris, nullum studii, nullum pietatis officium deerit. Hoc sapientiæ, hoc magnitudinis animi tui est, recentem scilicet istam doloris tui ægritudinem, si ex rerum natura non possis evellere, ex animo quidem certè excidere: sed hunc mœrorem quo omnes permovemur, amicorum voluntate concedere.

Dolendum verò insidere quorundam ingeniis hanc labem, & cum ipsi nihil rectè, nihil præclarè agere conentur, invidere tamen alienæ virtuti velle, ac ipsum dignitatis florem infringere: quorum invidia quia te magna ex parte premit, consolaberis teipsum excelsâ *virtutis* tuæ, *quæ invidiâ carere non potest*, conscientiâ.

Si contemnere graves animi dolores, &

com-

communem naturæ ſenſum repudiare non poteris, colligere tamen teipſum debes, & ad aliquam ſaltem lenitatem moderationemque affectionum referre.

Erige animum tuum luctu dimiſſum atq; oppreſſum, & in his tuis malis ab animi tui virtute & innocentiâ, non autem à ſtultis hominum querelis doloris tui perfugium pete.

Extremum iſtud eſt, ut meo in te ſtudio, amoriq; noſtro mutuo, obſecutus te rogem atque obteſter, animo ut magno, conſtanti, & elato ſis: Nec ad ea ſolùm, quæ à ſummis Philoſophis de contemnendis fugiendiſque rebus humanis ſcribuntur, animum referas, ſed eorum quoq; memineris, quæ ſtudii vehementiâ, ingeniiq; altitudine es conſecutus: Quæ ſi animo pertractata teneas, ſuperabis omnia optimè, & quæ accident, qualiacunq; erunt, feres ſapienter. Hoc ſi feceris, retinebis omnes nos in lætitia, & ingenii tui tranquillitatem ad res præclarè agendas convertes.

Tu fac bono animo fortique ſis adverſus invidentis fortunæ ſævitiam leniendam, meque tibi nullâ in re defuturum eſſe confidas: Quod cum facies, omnes nos ſolicitudine levaveris.

Tu fac animum fortem habeas, & ea, quæ tibi

tibi nunc ſunt adverſa, rectè factorum innocentiam remiſſiùs placatiùſq; feras.

Hoc ſapientiæ erit tuæ, propter magnitudinem & animi & ingenii, omnia moderatè ferre.

Abduc à ſolicitudine animum, & te adverſus omnes ſævientis fortunæ impetûs Philoſophorum more arma.

Cave ita imbecillo & inhumano ſis animo, ut in communibus miſeriis dolore te atq; ægritudine vinci patiaris.

Iſtum ego tuum, quo mihi confectus propemodum videris, mœrorem levarem, teque à nimio iſto luctu deterrerem, niſi illiberale eſſe mihi perſvaderem; quod tu in communium temporum caſibus, & miſeris humanæ vitæ conditionibus tàm prudenter aliis præcipere ſoles, hoc ipſum me in te viro graviſſimo, & longo humanitatis exercendæ uſu inſtructiſſimo deſiderare: & qui mœrore debilitatos jacenteſq; aliorum animos conſolando excitare ſoleas, meis te literis conſolari.

Etſi in his meis doloribus ipſe ſum conſolandus, tamen memoriâ veteris noſtræ amicitiæ, tuaq; benignitate admonitus, nolui ullo vel loco, vel tempore ad conſolandum tibi deeſſe.

Videris enim iniquior in nominis tui exiſtima-

ſtimationem, fortunaſq; quàm fortem deceat virum, eſſe, cum deperditum toties conqueraris.

Optimi patris tui mortem, ut doleo, vehementer, ita omnino felicem exiſtimo, qui ſic obierit, quando hac ſorte náſcimur omnes, *nihilq; diuturnum in rebus humanis, nedum perpetuum.*

De patris obitu conſolarer te, vir ornatiſſime, ni perſvaſum haberem ægritudinem iſtam, quam in aliis lenit, adimitque tempus ipſum, in te ſingulari prudentiâ tuâ eſſe ſopitam.

Audio te morbo cubuiſſe; ſed neq; morbi cauſam neq; genus intelligo. Tu, ſi potes, de his ad me ſcribito, & fac, ut ſciam, quid me facere velis. Nam ſi pecuniâ opus eſt, ſive domeſticorum miniſterio utrumq; tibi præſtò erit. Quin & ipſe iſthûc advolabo, ſi mea præſentia tibi utilis eſſe poteſt. Vale, ac quantum fieri poteſt, teipſum cura.

AD CONSOLATORIAM reſponſio.

Duplex hic methodus obſervanda eſt. Aut enim amicorum conſolationi acquieſcimus: Aut tantum eſſe dolorem noſtrum oſtendimus, ut minui nullo modo poſſe videatur.

Cùm

Cùm amici consolationem admittimus, in Exordio amicum laudabimus, gratam nobis fuisse consolationem dicemus. In propositione allatam consolationem approbabimus, & obtemperaturos nos promittemus.

In Confirmatione repetitionem illorum argumentorum instituemus, quibus nostrum dolorem mitigare amicus est conatus, quantumq; ex illis fructum cepérimus, aperiemus. In conclusione pollicebimur, nos operam daturos, ut, quoad ejus fieri possit, à molestiis animum abducamus.

Quod si verò consolationem approbare non poterimus, principiò laudabimus animum, studium, & ingenium consolatoris, quod tanquam bonus ac peritus medicus nullum remedii genus non admoverit. Propositio molestiarum atq; doloris significationem continebit. Confirmatio corriget atq; invertet argumenta ab amico allata, & causas, cur consolationi locum relinquere nequeamus, aperiet. Conclusio petitione absolvetur, te desiderare amici prudentiam: & ostendes quàm multum mœrori tuo mederi posse significabis.

Exemplum responsionis non approbantis consolationem observatum in 6. Ep. lib. IV. ad Famil. quâ Cicero consolatoriæ Servii epistolæ

stolæ respondet, atque ita respondet, ut eam non inanem fuisse prorsus, nec dolorem sustulisse penitus ostendat.

EGo verò, Servi, vellem, ut scribis, in meo gravissimo casu affuisses. Quantum enim præsens mihi adjuvare potueris & consolando, & propè æquè dolendo, facilè ex eo intelligo, quod literis tuis lectis, aliquantum acquievi. Nam & ea scripsisti, quæ levare luctum possent, & in me consolando non mediocrem ipse animi dolorem adhibuisti. Servius tamen tuus omnibus officiis, quæ illi tempori tribui potuerunt, declaravit & quanti ipse me faceret, & quàm suum talem erga me animum tibi gratum putaret fore: cujus officia jucundiora scilicet, sæpe mihi fuerunt, nunquam tamen gratiora. Me autem non oratio tua solùm & societas penè ægritudinis, sed etiam auctoritas consolatur: turpe enim esse existimo, me non ita ferre casum meum, ut tu tali sapientia præditus ferendum putas. Sed opprimor interdum, & vix resisto dolori, quòd ea me solatia deficiunt, quæ cæteris, quorum mihi exempla propono simili in fortuna non defuerunt. Nam & Qu. Maximus, qui filium consularem clarum virum, & magnis rebus gestis, amisit: & L. Paullus, qui duos, septem diebus & noster Gallus: & M. Cato, qui summo ingenio, summa virtute filium perdidit: iis temporibus fuerunt, ut eos tum ipsorum dignitas consolare-

laretur ea, quam ex Repub. consequebantur. Mihi autem amissis ornamentis iis, quæ ipse commemoras, quæq; eram maximis laboribus adeptus, unum manebat illud solatium, quod ereptum est. Non amicorum negotiis, non reipublicæ procuratione impediebantur cogitationes meæ. Nihil in foro agere licebat, aspicere curiam non poteram, existimabam, id quod erat, omneis me & industriæ meæ fructus, & fortunæ perdidisse. Sed cùm cogitarem, hæc mihi tecum, & cum quibusdam esse communia: & cùm frangerem jam ipse me, cogeremq; illa ferre toleranter: habebam quo confugerem, ubi conquiescerem, cujus in sermone & suavitate omneis curas doloresq; deponerem. Nunc autem hoc tàm gravi vulnere, etiam illa, quæ consenuisse videbantur, recrudescunt. Non enim, ut tum me à Repub. mœstum domus excipiebat, quæ levaret: sic nunc domo mœrens ad Rempub. confugere possum, ut in ejus bonis acquiescam. Itaq; & domo absum, & foro quod nec eum dolorem, quem à Repub. capio, domus jam consolari potest, nec domesticum Respub. Quò magis te exspecto, teq; videre quàm primum cupio. Major mihi levatio afferri nulla potest, quàm conjunctio consvetudinis, sermonumq; nostrorum: quanquã sperabam tuum adventum (sic enim audiebam) appropinquare. Ego autem cùm multis de causis te exopto quàm primum videre, tùm etiam ut an-

tè

tè commentemur inter nos, qua ratione traducendum nobis sit hoc tempus, quod est totum ad unius voluntatem accommodandum, & prudentis & liberalis, & (ut perspexisse mihi videor) nec à me alieni, & tibi amicissimi. Quod cùm ita sit, magnæ tamen est deliberationis, quæ ratio sit ineunda nobis non agendi aliquid; sed illius concessu & beneficio quiescendi. Vale.

† *IMITATIO HUIUS EPISTOLÆ, qua continet responsionem ad amicum, qui in filii obitu consolationem adhibuerat.*

MIhi verò, Timothee, nihil tuâ præsentiâ gratius fuisset, aut optatius. Etenim cùm, absens tantoperè tuis me literis recreâris: facilè quid coràm, & consolando, & dolendo æquè præstare potueris intelligo. Fuerunt profectò humanitatis illæ & benevolentiæ in me tuæ plenæ: prudentiâ atq; doctrinâ tinctæ singulari: Omnia denique continuerunt ea, quæ adversâ fractum fortunâ confirmare pos-

ſunt. Propinqui etiam tui atque amici plurimis officiis ſimul, & ſuum in me declarare amorem, & tibi gratum facere voluerunt. Itaque meritò, ut grata; ita quoq; jucunda ea fuiſſe mihi ſcriberem: Si hoc uti verbo meis in miſeriis liceret. Quæ quidem tantæ ſunt: ut vix me colligere: reſiſtere dolori: tuam vel aliorum admittere conſolationem queam. Sunt, fateor, amiſſa multa, eaq; chara. At eò magis illorum conditio deploranda, qui aliis ſpoliati rebus, etiam liberis ſuis dulciſſimis orbantur. Mortui ſunt & aliis parentibus filii. At vel plures habuerunt alios: vel inſtructi paratiq; probè à propinquis, affinibus, amicis fuerunt: Ut unius jacturam facilè aliorum compenſare copia potuerit. Mihi autem nudo à propinquis: nullâ munito cognatione; liberis deſtituto aliis; filius

lius abreptus unicus eſt: Et filius pius, frugi, obediens: In cujus robur ſenilem me inclinaturum imbecillitatem ſperaveram. Sunt, ut noſti, ejuſcemodi nunc tempora, ij hominum mores, ut non excitare atq; alere, ſed debilitare bonorum virorum ſtudia poſſint. Sed cum nihil hîc mihi ſeparatim ab aliis accidere ſum arbitratus; meipſum fregi, deq; filio quoties cogitavi, toties curas doloreſq; meos depoſui. Jam verò tam alto atq; profundo vulnere accepto etjam reliqua, quæ ſanata & cicatrices obduxiſſe videbantur, recrudeſcunt. Et publicis à negotiis reverſus domum cùm aſpicio, intueor alia, quæ vel laboribus ſunt meis multis magniſq; parta: vel relicta à parentibus: lacrymas continere nequeo; Quia eum, cui deſtinata iſta erant omnia, ſubtractum mihi eſſe cogito.

to. Quò magis tuas literas vel potiùs teipsum exspecto: ut ex conversatione atq; colloquiis tuis aliquam in luctu percipere levationem queam. Ut enim pluvia semper est bona: Magis tamen siccitatis tempore grata; Ita amicorum conversatio cùm omnibus temporibus aliis, tùm verò miseris maximè atq; turbulentis esse accepta solet. Itaq; peto, quod commodo tuo fiat, aut primo quoq; ad me tempore venias: aut, si fieri illud per occupationes tuas non potest, literas, quæ absentis tui vices compleant, & crebras, & benè longas ad me mittas. Vale.

AD CONSOLATIONEM respondendi formulæ.

QUod me consolaris, ut firmo sim animo, vellem posses aliquid ferre, quamobrem id facere possem.

Facilè, omnes, cùm valemus, recta consilia ægrotis damus. Tu si hîc sis, aliter sentias.

Quod

Quod me sæpè accusas, cur hunc meum casum tàm graviter feram: debes ignoscere, cùm ita me afflictum videas, ut neminem unquam nec videris, nec audieris; Nam quod scribis audire, me etiam mentis errore ex dolore affici: Mihi verò mens integra est? Atque utinam tum in periculo fuisset, cùm ego iis, quibus meam salutem carissimam esse arbitrabar, inimicissimis, crudelissimisq; usus sum: qui ut me paulùm inclinare timore viderunt, sic impulerunt, ut omni suo scelere, & perfidiâ abuterentur ad exitium meum.

Nolo commemorare, quibus rebus sim spoliatus, non solùm quia non ignoras, sed etiam ne scindam dolorem meum: hoc confirmo, neque tantis bonis esse privatum quenquam, neq; in tantas miserias incidisse; dies autem non modò non levat luctum hunc, sed etiam auget: Nam cæteri dolores mitigantur vetustate, hic non potest non & sensu præsentis miseriæ, & recordatione præteritæ vitæ quotidiè augeri: Desidero enim non mea solùm, neq; meos, sed meipsum: Quid enim sum? sed non faciam, ut aut tuum animum angam querelis, aut meis vulneribus sæpiùs manûs afferam.

Solicitum esse te cùm de tuis, communibusque

busque fortunis, tùm maximè de me ac de dolore meo, sentio: qui quidem dolor meus, non modò non minuitur, cùm socium sibi adjungit dolorem tuum, sed etiam augetur. Omninò pro tuâ prudentiâ sentis, qua consolatione levari maximè possim: Probas enim meum consilium, negasq; mihi quidquam tali tempore potiùs faciendum fuisse, addis etiam (quod etsi mihi levius est, quàm tuum judicium; tamen non est leve) cæteri quoq;, id est, qui pondus habeant, factum nostrum probari; id si ita putarem, leviùs dolerem. Crede, inquis, mihi: credo equidem, sed scio, quàm cupias minui dolorem meum.

Egò verò accepto nuncio de obitu filioli mei, ita sum perturbatus, ut me tamen hominem esse meminerim, & illum hanc vitam, tanquam in hospitium, ita esse ingressum, ut accitu summi Dei, æternum illud cœleste domicilium petiturus, aliquando discederet, quod si me casus iste, non opinatus ita perculisset, ut omninò jacerem: Excitarer tamen prudentiâ literarum tuarum, in quibus de luctu minuendo disputas egregiè, tuamque declaras tùm homine Christiano dignam bonitatem, tùm erga me benevolentiam singularem. Verùm ego, optime Sambuce, multis jam infortuniis hoc sum assecutus, ut for-

tunam ipſam didicerim contemnere, quę mihi, ut eripiat reliqua, nunquam adimet ea, quæ nec ipſa dedit, nec dare cuiquam poteſt, rectam mentem, optima ſtudia, pietatem in DEUM. Præclarè actum opinor, cum filio meo, fruitur conſpectu & conſvetudine cœleſtium animorum: Non angitur curis: Non ſpe ducitur: Nihil timet adverſum; at nos, qui dicimur vivere, quibus hac falſę lucis uſurâ nihil eſt carius, quàm multa exercent? quid laboramus, quid cupimus, quod, etiam ſi contingat, animus acquieſcat? Itaq; verè ſapientes homines, non ut diu, ſed ut rectè & cum virtute viverent optare ſoliti ſunt, quod equidem conor, & ut ſpero, conſequar; Nihil enim magis cogito, nihil ſpecto, quàm ut ſerviam ſtudiis meis, & ita vivam, ut vitæ rationem Deo ſimul & hominibus aliquando poſſim reddere.

DE PETITORIA *Epiſtola.*

PEtitiones omnes aut Honeſtæ ſunt, aut Mediæ. Honeſta apertè, liberè, ſine circutione petere poſſumus: ut; Conſilium, Amicitiam, Inſtitutionem, Admonitionem. Media opus habent Inſinuatione, Excuſatione, veniæ deprecatione, ut; cùm petimus pecuniam, favorem, Auxilium pro nobis aut

amicis. Omnes, præsertim Christi cultores, cavere & providere debent, ut non petant res turpes, nec petentibus dent rogati.

Si res erit hujusmodi, quæ liberè peti possit, apertè svadebimus eam esse præstandam, quæ quidem petendi ratio, præsertim si rem difficilem petemus, tractanda erit ad hunc modum:

Primò ejus, à quo rem ipsam petimus, benevolentiam conciliabimus, à persona ipsius, factâ beneficiorum ejus erga nos, & alios mentione: A personâ nostrâ, si quales in eum fuerimus, ostendamus: A Personâ majorum utriusq;, si de amicitiâ, quæ inter eos intercesserit, loquamur.

Altera Pars brevem ejus, quod petere volumus: expositionem complectitur, si quid fortè narrandum contigerit, unde ipsa petitio nascatur; Sin minùs, erit omittenda, illiusq; loco petitione utendum.

Posteà argumenta adhibemus, quæ movere amicum posse videntur, ut nostris precibus locum relinquat, petita vel ab Honesto: vel ab Utili: vel à Necessario: vel à Jucundo: vel à Facili: vel promissis factis: vel ab aliorum Exemplis.

Postremò sequetur obtestatio, & remunerationis pollicitatio, cum nostræ facultatis exte-

extenuatione. Nonnunquam excusatio & indicatio causæ, cur pluribus verbis quid ab amico petamus: quandoque etiam petitionis repetitio ad extremum ponitur.

† Sunt autem in omni petitione (ut Servius docet in lib. 1. Æneidos) hæc 4. necessaria: 1. Ut res, quam petimus, præstari possit. 2. Ut eadem justa sit & honesta, 3. Ut petitio modum habeat. Et 4. Ut sequatur remuneratio; ut nimirum polliceamur, si res ita ferre videbitur, gratum ac memorem animum nostrum.

Exemplum apertæ Petitionis observatum in 13. Ep. lib. IV. ad Atticum, qua Cicero Atticum rogat, ut Varronis uti sibi libris in Bibliotheca ejus liceat. Partes habet quatuor: Exordium causam & occasionem institutæ scriptionis continet. Propositio petitione constat. Confirmatio rationes petitionis ab utili & necessario sumptas complectitur. Conclusio petitione novâ absolvitur.

VEstorius noster me per literas facit certiorem te Roma ad VI. Id. Maii putare profectum esse, tardiùs quàm dixerat, quò minùs valuisses. Si jam meliùs vales, vehementer gaudeo, velim domum ad tuos scribas, ut mihi tui libri pateant, nō secus ac si ipse adesses, cùm cæteri, tùm Varronis. Est enim mihi utendū quibusdā rebus ex iis libris,

ad

ad eos, quos in manibus habeo, quos, ut spero, tibi valdè probabo. Velim si quid fortè novi habes, maximè à Q. fratre, deinde à C. Cæsare, & si quid fortè de comitiis, de Repub, (soles enim tu festivè hæc odorari) conscribas hoc ad me. Si nil habebis, id tamen scribas aliquid. Nunquam enim mihi tua epistola aut intempestiva, aut loquax visa est. Maximè autem rogo, rebus tuis, totoq; itinere ex sententia confecto, nos quàmprimum revisas. Dionysium jube salvere. Cura ut valeas.

† *IMITATIO HVIVS EPISTOLÆ, quâ rogatur amicus, ut, dum abest, ac peregrinatur, parentis sui nobis patere Bibliothecam patiatur; & cùm de suis: tùm aliorum ad nos rebus scribat.*

SCripsit ad me communis noster amicus Philippus, te iter in Italiam opinione suscepisse tardiùs: quod valetudine minùs commodâ utereris. Si meliùs iam vales, ex animo lætor: Deum etiam oro: peregrinationes istas tuas ut fortunet. Interim te rogo, ad cognatos tuos perscribas: Ut mihi non secus, ac si ipse

ipſe adeſſes, parentis tui, piæ memoriæ, Bibliotheca pateat. Opus enim mihi eſt hiſtoricis quibuſdam, ad ea quæ in manibus nunc habeo, & tibi aliiſq; hominibus doctis non, opinor, ingrata erunt. Quod ſi apud alios reperire eos poſſem, hac meâ petitione moleſtus tibi eſſe nollem. Si quid etiam novi fortè habes de rebus bellicis, aut aliis, quas admodum feſtivè odorari te ſcio, ad me ſcribas velim. Quod ſi nihil occurrat, ut hoc ſcribas, te quod ſcribas non habere. Nunquam enim mihi tuæ literę aut intempeſtivæ, aut ingratæ erunt: ſive cum argumento illæ, ſive ſine argumento conſcriptę fuerint. Quanquam quo modo ſcribendi deſtitui argumento poſſis, non video, cum in peregrinatione iſta multa te videre: audire multa: multis multorum intereſſe colloquiis neceſſe ſit.

Interim tamen, ut verum fatear, illa ipsa tua peregrinatio solicitum tui in me desiderium parit. Amici etiam & cognati tui, quàm te exspectent audire, ex ipsorum ad te datis literis cognosces. Itaq; operam dabis, ut absoluto studiorum cursu, totoq́; itinere è sententia confecto, primo quoq; tempore ad nos redeas. Neq; committas, ut idem tibi quod Ulyssi accidat, qui ex longa atq; diuturna peregrinatione domum reversus à suis agnosci ampliùs non potuit. Vale.

† Si autem obliquè vel rectè petitiones instituendæ sunt: vel quia res ipsa, quam petimus, parum honesta, utilis, facilisvè esse videtur: vel quia is, ad quem scribimus, non usque adeò nobis favet: vel nos minùs verecundè atque modestè rogare illud judicari possumus, quod ad nostram laudem ac gloriam facit.

† Exemplum obliquæ seu rectæ petitionis observatur lib. XI. Ep. 1. Cicer. ad Fam. In qua obliquè Brutus & Cassius, Antonium rogant;

rogant, ut sibi significet, cur milites convocârit: & an per eosdem tuti in urbe esse possint. Partes illius quinque sunt. In Exordio optima quæque de Antonio polliceri se sibi Brutus & Cassius simulant. Narratio brevem rei ipsius & veteranorum ad urbem frequentiæ expositionem continet. Propositio petitionem habet. Confirmatio argumenta petitionis complectitur ab officio Antonii; Bruti & Cassii voluntate; amicorum curâ atque solicitudine desumpta. Conclusio petitionis repetitione & occupatione absolvitur, qua metus atque formidinis à sese suspicionem viri fortes removent. Sic autem illa habet.

DE tuâ fide & benevolentiâ in nos nisi persuasum esset nobis, non conscripsissemus hæc tibi, quæ profectò quando istum animum habes, in optimam partem accipies. Scribitur nobis magnam veteranorum multitudinem Romam convenisse jam, & ad Calendas Iunias futuram multò majorem. De te si dubitemus, aut vereamur, simus nostri dissimiles. Sed certè cùm ipsi in tua potestate fuerimus, tuoq́ue adducti consilio dimiserimus ex municipiis nostros necessarios, neq́ue solùm edicto, sed etiam literis id fecerimus: Digni sumus, quos habeas tui consilii participes, in eâ præsertim re, quæ ad nos pertinet. Quare petimus à te, facias

cias nos certiores tuæ voluntatis in nos: Putésne tutos nos fore in tanta frequentia veteranorum, quos etiam de reponenda ara cogitare audimus: Quod velle te probare, vix quisquam credere posse videtur, qui nos salvos & honestos velit. Nos ab initio spectâsse otium, nec quicquam aliud à libertate communi quæsiisse, exitus declarat. Fallere nemo nos potest, nisi tu: quod certè abest à virtute tua & fide, sed alius nemo facultatem habet decipiendi nos. Tibi enim uni credimus, & credituri sumus. Maximo de nobis timore afficiuntur amici nostri: Quibus etsi tua fides explorata est; tamen illud in mentem venit, multitudinem veteranorum faciliùs impelli ab alio quolibet, quàm à te retineri posse. Rescribas nobis ad omnia, quæ rogamus. Nam illud valdè leve est ac nugatorium, eâ re denunciatum esse veteranis, quod de commodis eorum mense Iunio laturus esses. Quem enim impedimento futurum putas, cùm de nobis certum sit nos quieturos. Non debemus cuiquam videri nimium vitæ cupidi, cum accidere nobis nihil possit sine pernicie & confusione omnium rerum. Vale.

† *IMITATIO EIVSDEM, AD EVM, quem suspectum habemus, atque rogamus, ut sui consilii & instituti rationes nobis aperiat.*

Nisi

NIsi tua mihi cognita fides atq; benevolentia esset, hasce ad te jam literas non darem. Quas etiam, quia ita es animatus, in partem bonam accipies, & respondere mihi minimè gravaberis. Plurimorum & literis & nunciis ad me perfeitur, magnam militum multitudinem tuo in agro jam convenisse, multoq; majorem adhuc exspectari quotidiè. Te suspectum si haberem, contra amicitiam facere viderer. Sed certè cùm de tuis tuorùmque commodis non minùs atque meis solicitus hactenus semper fuerim, de periculis etiam, quæ tibi impendebant, te, ut decet amicum, fideliter monuerim, non indignum me judicabis, quem consilii tui participem facias, ea maximè in re, quæ me quoq; attingit. Quamobrem etiam atq; etiam à te peto quàm primum certiorem me

red-

reddas: Existiméśne in tanta militum licentiâ tuta nostra futura. Equidem minari mihi apertè eos audio. Quod tamen tuo fieri mandato nemo credet, nisi fortè levitatis & inconstantiæ, addo etiam perfidiæ te insimulare velit. Me nihil unquam, quàm religionis puritatem, pacem, & libertatem spectâsse, tu ipse testis mihi esse potes, quo cum mea sum communicare consilia solitus. Itaq; neq; quisquam aut fallere me magis, aut damno afficere majori potest, quàm tu, cui uni maximè ego credidi. Longè abesse illud à tua fide & constantia, scio. Sed tamen hæc ad te ut scribam, amicorum crebræ literæ faciunt, qui de me anxii atq; soliciti esse videntur. Occurrunt & illa: Facilè honestas rei causas posse obduci: sæpe vel invitos, vel repugnantes ad bellum à pacis osoribus inflammari:

Reti-

Retineri in officio difficulter milites. Reſcribas ad hæc mihi primo quoq; tempore rogo. Nam illud leve admodum eſt quod prætenditur, propterea militem conſcriptũ eſſe, ut contra aliorum vim & injurias agrum ille tuum defendat. Quẽ enim damnum dare poſſe tibi cenſes, cum de noſtra aliorumq; vicinorum tibi fide ac benevolentia conſtet? Ego ſanè, ut nullius rei malæ mihi ſum conſcius: ita minimè quoq; mihi metuo. Neq; accidere quicquam mihi poſſe video, ſine aliorum pernicie, atq; adeò Germaniæ totius perturbatione.

PETENDI FORMVLÆ.

PEto & quæſo. Peto & oro. Peto contendoque. Rogo & obſecro. Oro obteſtorque. Obteſtor & obſecro.

Hoc à te peto & ſummè contendo.

Illud à te magnopere peto, contendoque.

Illud unum à te vehementer contendo.

Hoc

Hoc abs te peto, & pluribus verbis rogo.

Æquè à te peto, ac si mea negotia essent.

Sic à te peto, quasi in eo mihi sint omnia ut, &c.

Singulari studio abs te contendo: sic ut nihil unquam magis.

Te vehementer etiam atq; etiam rogo, magis quàm à me vis, aut pateris te rogari, ut hanc cogitationem toto pectore complectare.

Vehementer, valdè, magnoperè, etiam atque etiam.

Majorem in modum. Singulari studio, Quàm possum studiosissimè.

Valdè hoc ex animo contendo.

At te etiam atque etiam majorem in modum peto.

Hoc à te, si pateris, gratiâ contendo &c.

Peto à te amicitiæ nostræ nomine, quam confido apud te plurimùm posse.

A te etiam atque etiam pro summa nostra conjunctione, proque tua in me perpetua & magna benevolentiâ majorem in modum peto atque contendo.

Illud te præcipuè rogo & obtestor, pro amore nostro: Amoris nostri causâ: Pro nostra amicitiâ: Amicitiæ nostræ nomine:

Pro

Pro jure nostræ amicitiæ: Pro nostra inveterata amicitia: Pro nostra summa conjunctione: Pro nostra summa necessitudine: Pro conjunctissima nostra necessitudine: Pro conjunctione & benevolentia nostra: Pro pari inter nos & mutua benevolentia: Pro summa mea in te benevolentia: Pro tua incredibili in me benevolentia: Pro tuo perpetuo in me studio, meoque item in te singulari.

Per omnem amorem, quo me complecteris, rogo.

Ne me rogantem suppliciter à te rejicias.

Noli pati meas esse irritas & inanes preces.

Sit apud te, rogo & obtestor, precibus meis locus.

Hoc à te ita postulo, peto, contendo, ut fortunas in eô meas positas putem.

Quare te oro, ut, quod facies, pergas mea studia tueri, juvare, provehere.

Quare me tibi commendo, atque oro, ut, quod facis, me & studia mea clementer tueri velis.

Te rogo, quanquam te rogari non patiaris.

Impedior verecundiâ, ne te pluribus verbis rogem.

Velim existimes, quod à te peto, id ejusmodi

di esse, ut meæ fortunæ omnes agantur, in eo consistant, locatæ, positæ, constitutæ sint.

Rogo te quàm studiosè possum, da mihi hoc, largire, sine me hoc à te impetrari.

Hoc in me confer gratiæ, hoc impertias gratiæ.

Peto abs te pro nostra necessitudine conjunctissima, plurimisq; officiis paribus ac mutuis, ut voluntate, auctoritate, studio tuo perficias, ut Marcus Anneius intelligat, te & sibi amicum esse, quod non dubitat; Et multò amiciorem his literis esse factum.

A te hoc omni contentione peto, sic ut majore cura, majore animi labore petere non possim, ut ad ea, quæ tuâ spontè sine cujusquam commendatione faceres, in hominem tantum, & talem calamitosum, aliquem afferant, cumulum meæ literæ, quo studiosius eum quibuscunq; rebus possis juves.

A te peto majorem in modum, pro amicitia nostra, & pro tuo perpetuo in me studio, ut in hac re etiam elabores.

Non audeo vehementius à te contendere, ne aut ipse tuæ perpetuæ consvetudinis erga me oblitus esse videar, aut te oblitum putem.

A te magnoperè, pro nostra summa conjunctione, tuaque singulari humanitate etiam

iam atque etiam peto, & quæso, ut, quibuscunq; rebus potes, (potes autem plurimis) prospicias & consulas rationibus meis.

Amicitiæ nostræ fiduciâ à te peto, ut absentem me, quibuscunq; in rebus opus fuerit, tueare, si nullum officium tuum apud me intermoriturum existimas.

Huic ego neq; tribunatum, neq; præfecturam, neque illius beneficii certum nomen peto: Benevolentiam tuam & liberalitatem peto: neque impedio, quò minus, si tibi ita placuerit, etiam hisce eum ornes gloriæ insignibus.

Te, mi Curio, rogo pro tua incredibili in me benevolentiâ, meâque item in te singulari, atque oro, ne patiare mihi quicquam ad hanc provinciam molestiam temporis prorogari.

Si me amas, cura, elabora, perfice, ut Flavius & mihi & tibi quàm maximas agat gratias: hoc te ita rogo, ut majori studio non possim.

Te tuosq;, qui tibi consilio adsunt, oro atq; obsecro, ut multis injuriis jactatam atq; agitatam æquitatem in hoc tandem loco consistere & confirmari patiamini.

Non dubitavi id à te per literas petere, quod mihi omnium esset maximum, maximeq; necessarium &c.

Quamob-

Quamobrem si memorem, si gratum, si bonum virum, si deniq; dignum tuis beneficiis judicas, hoc à te peto, ut subvenias huic meæ solicitudini.

Si me diligis, si à me diligi vis, ad me literas, ut quàm primum lætitiâ afficiat, mittito, & reliquum quod est promissi ac muneris tui, persolvas mihi velim.

Illud quod polliceris, velim pro tua fide diligentiaque, & pro nostra non institutâ, sed jam inveteratâ amicitiâ cures, enitare, ut supplicatio nobis decernatur. Meq; totum, & mea & meos, commendatos habebis.

Abs te quantum tua fert voluntas, peto quæsoq;, ut &c.

A te rogo quæsoque, ut mei absentis famam atq; fortunas in tua fide & patrocinio esse patiaris.

Quare si me, sicut soles, amas, suscipe me totum, atq; hoc quicquid est oneris ac muneris, pro mea dignitate tibi tuendum ac sustinendum puta.

Quod ut enitare contendasq;, vel potius ut perficias (posse te enim mihi persvadeo) vehementer te etiam atq; etiam rogo.

Si de tua in me voluntate dubitarem, multis à te verbis peterem, ut dignitatem meam tuerére, sed profectò est ita, ut mihi persvasi, me tibi esse curæ,

Velim

Velim igitur, mi Brute, tibi persvadeas, nihil me majore studio à te petere, nihil te mihi gratius facere posse, quàm si omnibus tuis opibus, omni studio Lamiam in petitione juveris, quod ut facias, vehementer te rogo.

Grata mihi est vehementer memoria nostri tua, quam significâsti literis, quam ut conserves, non quod de tua constantia dubitem, sed quia mos est ita rogandi, rogo.

Peto à te majorem in modum, quod sine tua molestia fiat, ut ei te habitatione accommodes.

Ego te planè rogo, atq; ita, ut majore studio, justiore de causâ, magis ex animo, rogare nihil possim.

Peto à te hoc diligentiùs, quàm si mea res esset, quod est honestius, de amicorum pecunia laborare, quàm de suâ.

Peto à te tanto scilicet studio, quanto intelligis debere me petere pro homine tàm mihi necessario, & tàm familiari, ut ejus negotia explices, expedias &c.

Te, mi Plance, pro paternâ necessitudine, pro nostro amore, pro studiis & omni cursu nostro totius vitæ simillimo, rogo & à te ita peto, ut majore curâ, majore studio nullo possim, ut hanc rem suscipias, enitare, contendas, &c.

Te rogo causam meam agas, meque tibi in omnes partes defendendum putes.

A te pro nostra conjunctione peto, ut meas injurias, quas mihi improbissimi hominis profusa nequitia inussit, proinde doleas atq; ulciscaris, ut tuas persequi soles.

Oneris tibi imponere nec audeo quicquam, nec debeo. Hoc tamen à te, si pateris, gratia contendo, ut quicquid studio, benevolentiâ, auctoritate efficere poteris, totum id ad rationes meas tuendas conferas.

Grave est homini pudenti petere aliquid magnum ab eo, de quo se benè meritum putet: ne id, quod petit, exigere magis quàm rogare, & in mercedis potiùs, quam beneficii loco numerare videatur: Sed quia tua in me vel nota omnibus, vel ipsa novitate meorum temporum clarissima & maxima beneficia extiterunt, estq; animi ingenui, cui multum debeas, eidem plurimum velle debere: Non dubitavi id à te per literas petere, quod mihi omnium esset maximum, maximeque necessarium. Neq; enim sum veritus, ne sustinere tua in me vel innumerabilia beneficia non possem: cùm præsertim considerem, Nullam esse gratiam, quam vel non capere animus meus accipiendo, vel remunerando cumulandoque illustrare possit.

Impe-

Impedior verecundiâ, ne te pluribus verbis rogem.

Nullam mihi majorem voluptatem adferre, aut pleniore gratiâ tibi me obligare poteris, quàm, ut meis à te rationibus prospectum esse cognoscam, quod ut facias, à te maximoperè peto.

Per nostram te amicitiam oro, ne propter falsas aliorum calumnias tui erga me amoris voluntatisq; propensionem abjicias.

A te etiam atque etiam pro nostra summa necessitudine, proque tua in me humanitate, meaque in te summâ & perpetuâ benevolentiâ majorem in modum peto, atq; contendo, ut laudi meæ atque dignitati servias.

A te peto, ut meas injurias perinde doleas, ut me existimes, & dolere, & tuas ulcisci solere.

Peto à te majorem in modum, ut omnibus in rebus, quantum tua dignitas, fidesq; patitur, utilitatibus meis servias.

Te autem pro mea perpetua in te observantiâ rogo, obtestorq;, ut in hac causa majorem rationem voluntatis habere velis, quàm vel judicij, vel constantiæ tuæ.

Pro mea perpetua cupiditate vestræ dignitatis retinendæ & augendæ, quæso obtestorque vos, ne in dignitate mea propugnanda

plus apud vos valeat odium malevolorum, quàm studium optimorum hominum.

AD PETITORIAM Responsio.

Respondendi modus hîc duplex est: Aut enim petita concedimus, aut petita denegamus.

Si locum petitioni amici relinquimus ab acceptarum literarum lectione, & ab oblata nobis ei gratificandi facultate exordiri possumus.

Deinde subjungemus pollicitationem eorum, quæ petit amicus.

Tum causas & rationes afferremus, quod nimirũ res illa, quæ petitur, sit cum honestate vel utilitate conjuncta: neq; usq; adeò ardua & difficilis: is qui petit de nobis vel nostris meritus præclarè: eâ præditus virtute, pietate, doctrinâ, nobilitate, ut denegare ei nihil possimus, dicemus nos illi omnia debere.

Postremo, ut prosperè feliciterq; omnia amico succedant, precabimur: vel precabimur, ut nostrâ operâ frequentiùs, & majoribus in rebus uti velit, nosq; idem facturos, cùm opus fuerit, ostendemus: Eaque omnia scribemus, quæ animi nostri bonitatem liberali-

ralitatemq; declarent, ut libentissimè quicquid fecimus, fecisse videamur.

† Illud autem vel maximè convenit, ut, quando petita concedimus, utamur quâdam verborum comitate, hoc, vel simili modo,

Teipsum quod petit amicus jam destinâsse, tibiq; spontè currenti calcaria addita fuisse, nihilq; esse, quod ab amico tibi mandari, aut majus aut gratius potuerit.

Nihil quod honestius à te suscipi possit, quàm ut id agas.

Injuriam tibi fieri putare, cùm rogaris, majora illum, cui das, esse promeritum.

Dolere, quod tàm effusè, tàm ambitiosè sis ab amico rogatus.

Plura te facturum fuisse dices, si per facultatem tuam tibi licuisset.

In denegando, prætermissâ omni verborum asperitate, ita comiter, & apertè rationes, cur id faciamus, reddemus, ut non solùm nobis amicum illum conservemus, verùm etiam amicissimum faciamus, atq; ita rem negabimus, ut ille per nos non stetisse, quò minùs efficeretur, existimet: Nostramque in eum voluntatem, benevolentiam, fidem, diligentiamq; & præterito um officiorum exemplo testabimur, & inposterum omnibus in rebus cupidissimè pollicebimur.

Principium, quod ad collationem attinet, vel scribendi occasiones, vel nostri doloris & studii erga amicum significationem habet.

Pars altera vel dehortatione vel reprehensione constat.

Tertia pars, causas & rationes continet, cur, quod petitur, impetrari non possit.

Postrema vel petitione: vel officii atq; studii pollicitatione plerumq; absolvitur.

† Exemplum responsionis ad petitoriam extat apud Ciceronem lib. IX. Ep. 13. ad Atticum; ubi Cæsari respondetur, qui à Cicerone contenderat, ut ad urbem sibi præstò esset. Hujus partes sunt 4. Exordium argumenti literarum Cæsaris & studii atque voluntatis promptæ significatione constat. Propositio modestâ ac verecundâ recusatione ejus, quod petebatur, facta. Confirmatio denegationis ac recusationis argumenta continet, ab *Utili & Honesto* desumpta. Conclusio habet gratiarum actionem, & novam petitionem.

UT legi tuas literas, quas à Furnio nostro acceperam, quibus mecum agebas, ut ad urbem essem; te velle uti consilio & dignitate meâ: Minùs sum admiratus. De gratia, & de ope quid significares, mecum ipse quærebam. Spe tamen deducebar ad eam cogitationem, ut te pro tua admi-

admirabili ac singulari sapientiâ, de otio de pace, de concordia civium agi velle arbitrarer, & ad eam rationem existimabam satis aptam esse & naturam, & personam meam. Quod si ita est, & si qua de Pompeio nostro tuendo, & tibi ac Reipub. reconciliando, cura te attingit: Magis idoneum, quàm ego sum, ad eam causam profectò reperies neminem, qui & illi semper, Senatui; cùm primùm potui pacis auctor fui. Nec, sumptis armis, belli ullam partem attigi: judicaviq; te eo bello violari, contra cujus honorem populi R. beneficio concessum inimici atq; invidi niterentur. Sed, ut eo tempore non modò ipse auctor dignitatis tuæ fui, verùm etiam cæteris auctor ad te adjuvandum: Sic me nunc Pompeii dignitas vehementer movet. Aliquot enim sunt anni, cùm vos duos delegi, quos præcipuè colerem, & quibus essem, sicut sum, amicissimus. Quamobrem à te peto, vel potiùs precibus omnibus oro, & obtestor, ut in tuis maximis curis aliquid impertias temporis huic quoq; cogitationi, ut tuo beneficio bonus vir, gratus, pius deniq; esse in maximi beneficii memoria possim. Quæ si tantùm ad meipsum pertinerent, sperarem me à te tamen impetraturum: Sed, ut arbitror, & ad tuam fidem, & ad Rempub. pertinet, me & pacis utriusq; vestrûm, & ad civium concordiam, per te, quàm accommodatissimum conservari. Ego, cùm antea

tibi de Lentulo gratias egissem, cùm ei saluti, qui mihi fuerat, fuisses, tamen ejus lectis literis, quas ad me gratissimo animo de tua liberalitate beneficioq; misit, eandem me salutem à te accepisse putavi, quàm ille. In quem si me intelligis esse gratum, cura, obsecro, ut etiam in Pompeium esse possim.

† IMITATIO HVIVS EPISTOLÆ,

quâ studiosus bonarum literarum Magistratui alicui, ad docendi vel in Ecclesia, vel Schola eum munus vocanti, respondet & denegationis atq; recusationis causas modestè exponit.

UT literas ego vestras legi, viri amplissimi, Domini observantiâ perpetuâ colendi, quibus honestissimo liberalissimoq; stipendio oblato mecum agebatis, meam vobis operam ut addicerem: Incredibili profectò sum lætitiâ affectus. Etenim, si Demosthenem illum Atheniensem aquam ferentis mulierculæ delectatum susurro fuisse legimus, quid mihi, homini, nec ab inge-

ingenio nec doctrinâ magnâ instructo animi esse putatis, qui tot ac tantorum virorum egregiam in me voluntatem, præclarum de studiis factum judicium intelligo. Equidem jam ante audieram, vos pro vestra singulari pietate ac sapientia de literarum ludis restaurandis eandemque ad rem viris accersendis doctis consilia tractare. Eam verò ad provinciam me aptum atq; idoneum judicatum iri, nunquam credidissem. Itaq; quò magis præter spem hoc meam & expectationem accidit, eò plus vestro me debere amori agnosco, qui scilicet ad me vocandum vos impulit. Atque utinam is ego essem, qui vestram aliorumq; de me concitatam sustinere existimationem possem, sed novi ego meo me pede metiri: quàm angusta mihi sit accisaq; eruditionis supellex. Voluntatem for-

tè & conatum quantulumcunque benè de adolescentum studiis merendi profiteri audeo: Præter verò eundem quod pollicear, non habeo. Verùm, utut hæc sint, nullam, me Christe, Rempub. novi, in qua, ab hac urbe ubi recessero, rerum mearum sedem collocare fixam malim, quàm vestrâ, utpote clarâ, nobili: piis, doctis, prudentibus viris affluente: Ab iis omnibus egregiè parata, quæ in benè constituta Repub requiri & solent & debent. At non libera hîc solutaque est voluntas. Aliquot enim jam sunt anni, cùm hanc ego in urbem veni, tot etiam tantaq; ab eâdem beneficia accepi, & adhuc accipio quotidiè, ut sine summa ἀχαριστίας reprehensione deserere eam nequeam. Quamobrem vos ego, viri amplissimi, rogo & oro; Vitio hoc mihi minimè detis, quod de referenda gra-

tia

tia benè de me meritis, quàm vel honoribus, vel opibus augendis ſolicitus ſum. Neq; dubito, quin, quæ veſtra eſt cùm prudentia, tùm humanitas, impetraturus hoc ſim à vobis facilè: præſertim ſi amicos apud vos meos audire volueritis, ad quos de rerum mearum ſtatu atque cauſis, quæ me impediunt, quò minus gratificari vobis poſſim, copioſè ſcripſi: Interim ut pro hoc honorifico de me meiſq; ſtudiis facto judicio, gratias, quas poſſum vobis & ago, & habeo maximas: Ita illud quoque ſubmiſsè peto: In clientium veſtrorum me album aſcribere, hocque perſvaſum habere dignemini, operam me daturum ſedulò: ut mea; licet exigua atq; tenuia officia vobis liberiſq; veſtris prompta ſemper parataque fuiſſe intelligatis.

† Methodum quoq; adoleſcentem ſtudio-
 ſum

sum nôsse oportet instituendæ gratiarum actionis apud eos, qui locum precibus nostris reliquére.

Collatio hunc in modum est instituenda, Ut *Exordium* indicationem habeat eorum, ex quibus amici studium & voluntatem cognovimus.

Propositio gratiarum actionem, perpetuæque memoriæ pollicitationem contineat. *Confirmatio* enumerationem atq; amplificationem accepti beneficii complectatur. *Conclusio* aut gratitudinis pollicitatione: aut petitione, aut commendatione novâ, aut voto ac precatione absolvatur.

Exempli gratiâ nos hûc ponemus Ep. 11. lib. XV. ad Famil. Hujus Exordiûm beneficij indicatione: Propositio gratiarum actione, & pollicitatione memoriæ: Confirmatio enumeratione atq; amplificatione à personæ conditione petita: Conclusio voto & precatione constat.

QUanta tibi cura meus honos fuerit, & quàm idem extiteris consul, in me ornando & amplificando, qui fueras semper cum parentibus tuis & cum tota domo, etsi res ipsa loquebatur, cognovi tamen ex meorum omnium literis. Itaq; nihil est tantum, quod ego non tuâ causâ debeam, facturusq; sim cùm studiosè, tùm libenter. Nam

magni

magni interest, cui debeas. Debere autem nemini malui, quàm tibi, cui me, cùm studia communia, beneficia paterna, tuaq; jam antè conjunxerant: Tùm accedit, meâ quidem sententiâ maximum vinculum, quod ita Rempub. geris atq; gessisti, quâ mihi charius nihil est, ut quantum tibi omnes boni debeant, quò minus tantundem ego unus debeam, non recusem. Quamobrem tibi velim, hi sint exitus, quos mereris, & quos fore confido. Ego, si me navigatio non morabitur, quæ incurrebat in ipsas Etesias, propediem te, ut spero, videbo. Vale.

† *IMITATIO HVIVS EPISTOLÆ, qua uti possumus, quoties gratiæ amico veniunt agendæ, qui causam nostram apud alios diligenter fideliterq; egit.*

QUàm curæ tibi cordiq; res meę extiterint, etsi jam antè cognitum atq; exploratum satis habebam: Tamen ex fratris quoq; aliorumq; cognatorum literis cognovi. Itaq; dum lucis hujus mihi frui usurâ contigerit, gratum me ac memorem præstabo. Neq; quicquam

tàm erit difficile, aut moleſtum, quod ego non tuâ causâ aut ſuſcepturus ſim libenter, & expediturus ſedulò. Etſi non parùm refert, cui debeas: nemo profectò eſt, quem tibi hâc in re anteponere velim, viro ſcilicet multis nominibus de me optimè merito. Nihil ego jam de ſtudiorum communione ſcribo, quæ quantam ad conglutinandos animos hominum vim habeat, notum eſt. Parentes tui noſtram in familiam promerita, & plurima & maxima latére patior. Silentio Rempub. prætereo, quam, dum fide ac diligentiâ ſingulari adminiſtras, meritò obſtrictos devictosq; tibi omnes bonos tenes. Vel hoc quod jam in me contuliſti beneficium, quanti obſecro facere me exiſtimas? neq; enim parum profectò eſt, hiſce potiſſimum moribus atq; temporibus abſentis famam &

exi-

existimationem defendere: aut in competitorum copiâ magnâ locum in Repub. honestum impetrare. Quamobrem cùm referre nunc tibi gratias mea me tenuitas non sinat; Operam dabo sedulò, enitar, perficiam deniq; , Ut memoriam & voluntatem promptam mihi non defuisse intelligas. Deum interim Opt. Max. rogo: Surgenti tuæ gloriæ ut faveat: ita quoq; consilia actionesq; tuas spiritu suo sancto regat & gubernet , ut, quod summâ hactenus cum laude fecisti, diu Reipub. & adjumento, & ornamento esse possis. Ego, nisi quæ impedimenta inciderint, brevi te, ut spero, videbo: Coràm etiam tibi & gratias agam, & quæ literis credi committique tutò nequeunt, exponam. Vale.

AD PETITIONEM RE-
spondendi formula.

NEque negare audeo, tibi homini eruditissimo, cujus ego plurimi semper amicitiam feci: neque si pollicear, præstare possum id, quod à me petis: Premor enim domesticis oneribus, ut vix sustineam: Peto igitur abs te, meis ut occupationibus ignoscas, & voluntatem in te propensam, licet absit res, tamen ames.

Quod mecum per literas agis, unam ob causam, mallem coràm egisses. Non enim solùm ex oratione, sed etiam ex vultu, & oculis, & fronte (ut ajunt) meum erga te amorem perspicere potuisses. Nam cum te semper amavi, primùm tuo studio, pòst etiam beneficio provocatus; tùm his temporibus Respubl, te mihi ita commendavit, ut cariorem habeam neminem. Literæ verò tuæ tùm amantissimè tùm honorificentissimè scriptæ, sic me affecerunt, ut non dare tibi beneficium viderer, sed accipere ac ita petere, ut inimicum meum, necessarium tuum, me invito servare nolles, cùm id nullo negotio facere posses.

Faciam quod desideras, tàm diligenter, quàm libenter.

Quod admones, gratias ago: quod rogas, que-

queror, admoneri enim debeo, ut sciam: Rogari non debeo, ut faciam, quod mihi non facere turpissimum est.

Excusarem me perfectè, vel fratri, hoc sanè tempore: sed arctior est amicitia nostra, quàm ut ullam patiatur exceptionem, quoties alterius seria res agitur. Amo te, quod verecundè petis, sed istam posthac verecundiam abjice, obsecro, si quid aliquando mecum ages. Nescis, apud me quo loco sis, & quo ego apud te esse cupiam: Quod si nescis, aut etiam si dubitas, injuriam facis utrique nostrûm.

DE COMMENDATITIA Epistola.

COmmendatitia Epistola partim Demonstrativi generis est, cum eum, quem commendamus, cum laude breviter describimus: partim Deliberativi, cùm rem ipsam, aut honestam, aut utilem, aut facilem ostendimus. Absolutè tamen Deliberationis, cùm illæ laudes ad svadendum referantur.

In commendatitio literarum genere tres Personæ sunt considerandæ: Nostra, Ejus, qui commendatur: Ejus cui scribimus. Rerum quoque habenda est ratio, ut non, nisi justa, honesta, necessaria suscipiatur commendatio.

A per-

A persona nostra persvadebimus, si amicum nostrum ostendemus eum, quem commendamus, aliasque causas commendationis plurimas, easque justas & magnas referemus.

Ab ejus persona, qui commendatur, si virum bonum & commendatione dignum confirmabimus.

A persona ejus, cui scribimus, si ejus in alios benignitatem & humanitatem leviter attingemus: ac eum, quem commendamus, de ipso quàm optimè & sentire & prædicare dicemus.

A re ducta commendatio valebit, si eam facilem, illi potissimum, cui hominem commendamus, monstrabimus: si piam, si honestam, si utilem, probabimus. Tum si ejusmodi erit, quæ Patrono laudi, gratiæ, auctoritati, aut emolumento aliquâ ex parte futura sit.

Obsecrationibus etiam uti licebit.

Principiò, quod ad collationem attinet, causas commendationis à personæ commendandæ patriâ, parentibus, familiâ, doctrinâ, virtute, nobilitate, amicitiâ, & id genus rebus aliis, vel ab ejus, cui scribitur, personâ sumptas, scribemus. Vel (cùm iterum & sæpiùs eâdem de re commendandus est aliquis,

quis, ne nimis importuni videamur,) petemus, ut id ignoſcat, addemuſque nos id non facere, quod partim confidamus, illius liberalitati aut amicitiæ: ſed in omne conferemus, vel in deſiderium, quo maximo tenemur, rem gratam ac utilem amico faciendi, vel in rem ipſam, cùm tanta res ac etiam exiſtimatio agatur.

Deinde rem ipſam, quam pro amico petimus, exponemus.

Pòſt ſequentur argumenta, petita vel ab *Honeſto*: vel à *Facili*: vel ab *Vtili*: vel à beneficiis nobis noſtriſq; præſtitis: vel ab Exemplo noſtro & aliorum: vel à Judicio & teſtimonio magnorum virorum: vel ab amicorum precibus.

Poſtremo jam loco pollicebimur, commendatum, & nos futuros gratos, ſtudiumq; noſtrum & operam mutuam, cùm offeret occaſio, deferentes: Nonnunquam hîc etiam ſpei præclaræ de amico conceptæ, indicatio fit.

Exemplum apertæ commendationis obſervatum in 2 Epiſtol. lib. XIII, ad Fam. qua Avianum Memmio Cicero commendat, & ut ei de habitatione accommodet, petit. Partes complectitur quatuor: Prima commendatione Aviani, quam à familiaritate ſumit,

con-

constat. Altera petitionem continet. Tertia, argumenta à necessitate, & utilitate sumpta habet. Postrema grati animi pollicitatione absolvitur.

CAjo Aviano Evandro, qui habitat in tuo sacrario, & ipso multùm utor, & patrono ejus M. Æmilio familiarissimè. Peto igitur à te majorem in modum, quod sine tua molestia fiat, ut ei de habitatione accommodes. Nam propter opera instituta multa multorum, subitum est ei demigrare Kalend. Quintilib. Impedior verecundiâ, ne te pluribus verbis rogem. Neq; tamen dubito, quin, si tua nihil, aut non multum intersit, eo sis animo, quo ego essem, si quid tu me rogares. Mihi certè gratissimum feceris. Vale.

† *IMITATIO HUIUS EPISTOLÆ, qua commendatur adolescens in Academia quadam commorans, viro docto, ut eidem cùm de aliis rebus, tum commodo hospitio prospiciat.*

JAcobo, qui vestra in Academia studiorum nunc gratiâ commoratur, & ipso longo jam tempore sum usus familiariter, & parentibus ejus atq; cognatis familiarissimè.

mè. Itaq; etiam atque etiam abs te peto, quod citra molestiam tuam fiat, eidem cùm aliis in rebus auxilio consilioq; tuo adsis: tùm verò de habitatione commodâ prospicias. Nam propter studia, quæ pleno, ut audio, nunc est cursu ingressus, hospitium mutare, & viri alicujus docti mensâ, tectoq; uti eum deinceps vult parens. Non pluribus abs te hoc petere per verecundiam audeo. Neque tamen dubium mihi est ullum, quin, cùm præclarè sis in omnes adolescentes studiosos animatus, eorundemq; pro virili provehere conatûs laudabiles cupias, huic quoq; præclaræ spei juveni haud gravatè sis adfuturus. Mihi certè rem longè facies gratissimam: si commendationi huic meæ locum reliqueris: Et adolescentem ipsum bonorum amore ac benevolentiâ dignum: Benè me-

memores atq; gratos ſemper ejuſdem parentes &cognatos reperies. Vale.

Exemplum tectæ & obliquæ commendationis obſervatum in Epiſt. 6. lib. II. ad Fam. quæ eſt ad Curionem de Conſulatus petitione perſcripta. Partes illius ſunt quatuor. In Exordio benevolentiam Curionis ſibi conciliat, & objectioni de feſtinatione occurrit. Deinde de ſuis & Curionis meritis & beneficiis agit, & illa quidem extenuat, hæc verò exaggerat. Narratio rei, quæ petitur, expoſitionem continet. Confirmatio ab utilitate & facultate deſumpta argumenta habet. Concluſio longioris petitionis præciſione, & animi grati pollicitatione, abſolvitur.

NOndum erat auditum te ad Italiam adventare cum Sex. Villium Milonis mei familiarē cum his ad te literis miſi; Sed tamen cum appropinquare tuus adventus putaretur, & te jam ex Aſia Romam verſus profectum eſſe conſtaret, magnitudo rei fecit ut non vereremur, ne nimis citò mitteremus, cum has quamprimùm ad te perferri literas magnoperè vellemus. Ego ſi mea in te eſſent officia ſolùm, Curio, tanta quanta magis à te ipſo prædicari, quàm à me ponderari ſolent, verecundiùs à te, ſi qua magna res petenda mihi eſſet,

con-

contenderem. GRAVE est enim homini pudenti petere aliquid magnum ab eo, de quo se benè meritum putet; Ne id quod petat, exigere magis; quàm rogare, & in mercedis potiùs quàm beneficii loco numerare videatur. Sed quia tua in me vel nota omnibus, vel ipsâ novitate meorum temporum clarissima & maxima beneficia exstiterunt. ESTQUE animi ingenui, cui multum debeas, eidem plurimum velle debere; Non dubitavi, id, à te per literas petere, quod mihi omnium esset maximum, maximeq; necessarium. Neq; enim sum veritus, ne sustinere tua in me vel innumerabilia beneficia non possem, cùm præsertim considerem nullam esse gratiam tantam, quam non animus, vel in accipiendo capere, vel in remunerando, cumulandoq; illustrare posset. Ego omnia studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem deniq; omnem in Milonis consulatu fixi, & locavi: Statuiq; in eo me non officii solùm fructum: sed etiam pietatis laudem debere quærere. Neq; verò cuiquam salutem ac fortunas suas tantæ curæ fuisse unquam puto, quanta mihi sit honos ejus, in quo omnia mea posita esse, decrevi: Huic te unum tanto adjumento esse, si volueris, posse intelligo, ut nihil sit præterea nobis requirendum. Habemus hæc omnia: bonorum studium, conciliatum ex tribunatu propter nostram (ut spero te intelligere) causam Vulgi ac multitudinis, propter

magni-

magnificentiam munerum, liberalitatemq; naturæ juventutis & gratiosorum in suffragiis, propter ipsius excellentem in eo genere vel gratiam vel diligentiam: Nostram suffragationem si minùs potentem, approbatam tamen & justam & debitam, & propterea fortasse etiam gratiosam. Dux nobis & auctor opus est & eorum ventorum quos proposui, moderator quidam, & quasi gubernator. Qui si ex omnibus exoptandus esset, quem tecum conferre possemus, non haberemus. Quamobrem si memorem si gratum, si bonum virum vel ex hoc ipso, quod tàm vehementer de Milone laborem, existimare potes: Si dignum deniq; tuis beneficiis judicas: Hoc à te peto, ut subvenias huic meæ solicitudini, ut huic meæ laudi, vel (ut veriùs dicam) propè saluti tuum studium dices. De ipso T. Annio tantùm tibi polliceor, te majoris animi, gravitatis, constantiæ, benevolentiæ erga te, si complecti hominem volueris, habiturum esse neminem. Mihi verò tantum decoris, tantum dignitatis adjunxeris, ut eundem te facilè agnoscam fuisse in laude meâ, qui fueris in salute. Ego ni te videre scirem, cum hæc ad te scriberem, quantum officii sustinerem, quantoperè mihi esset in hac petitione Milonis omni non modò contentione, sed etiam dimicatione, elaborandum, plura scriberem. Nunc tibi omnem rem atq; causam, meq; totum commendo atq; trado. Vnum hoc

sic

sic habeto: si à te hanc rem impetraro, me pene plus tibi, quàm ipsi Miloni debiturum. Non enim mihi tam mea salus chara fuit, in qua praecipuè sum ab illo adjutus, quàm pietas erit in referenda gratia jucunda. Eam autem unius tui studio me assequi posse confido. Vale.

† *IMITATIO HUIUS EPISTOLÆ, qua petitur, ut amicus noster locum & conditionem aliquam honestam consequatur.*

NOndum erat auditum, de Clarissimi Doctissimique viri demortui successore deliberari, cùm hasce ad te literas dedi: sed tamen cùm tempus appropinquare, atq; cum aliquo periculo conjuncta esse mora videretur, non metui, ne aut festinatio hæc mea præpropera, aut gravis molestaq; petitio tibi videretur. Facerem hoc verecundiùs, si quæ à me in te, aut tuos essent profecta beneficia: ne id quod peto meo quodam jure postulare, non rogare, inq; mercedis potiùs, quàm

quàm beneficii habere loco judicarer. Sed quia in te mea nulla prorſus, aut certè pauca, eaque tenuia: plurima contrà, maximaque tua in me ac meos extant promerita, viriq; eſt boni & agnoſcere, & celebrare accepta beneficia: Non id à te ſum petere veritus, quod mihi omnium gratiſsimum, amico utile cumprimis, ſummeq; neceſſarium eſſe poteſt. Ego omnem meam curam, cogitationem, mentem in Timothei fixam locatamq; promotione habeo. Neque cuiquam tàm eſſe ſuas curæ res poſſe exiſtimo, quàm ejus mihi cordi eſt honos atq; incolumitas. Huic ſi modò volueris, magno eſſe adjumento poteris in conditione eâ, quæ per doctiſsimi clariſsimique viri nunc mortem vacat: Ut aliorum minimè opus auxilio, aut interceſſione habere videamur. Sunt in

nos, uti spero, multisque hactenus sum in rebus expertus, animati præclarè ii, qui principem apud vos in senatu locum nunc tenent, eligendiq́ue potestatem habent. Non testimonia desunt clarissimorum doctissimorumq; virorum, qui singulari Timotheum benevolentiâ atq; amore prosequuntur: Propter insignem pietatem: doctrinam eximiam: vitæ sanctimoniam singularem: rarum concordiæ studium. Monitor hîc tantùm & moderator totius negotii requiritur: ne, ut hominum esse mos hodiè solet, ab aliis locus ei honestus præripiatur. Qua quidem in re, quemnam tecum conferamus, scimus neminem. Itaq; si virum me bonum: si tuâ amicitiâ dignum: si acceptorum beneficiorum memorem gratumq; judicas: Tantum amico vel potiùs mihi ipsi studium dices, de-

dasq; etiam atq; etiam rogo. De Timotheo hoc verè tibi sanctéque polliceri possum, te, si promovere hominem volueris, majoris pietatis, doctrinæ, gravitatis, diligentiæ, industriæ vix quemquam habiturum. Mihi verò tàm hoc est gratum acceptumq; futurum: ut in me ipsum hoc esse beneficium collatum, sim existimaturus. Scriberem hanc in sententiam ad te plura, nisi commendationis hujus meæ atq; sollicitudinis causas tibi cognitas esse putarem. Nunc totum tuæ fidei atq; diligentiæ negotium trado, utq; in eodem, non tàm amici utilitatis, quàm meæ pietatis rationem habeas, quâ possum, diligentiâ oro. Vale.

COMMENDANDI *alios formulæ.*

HUnc tibi commendo eâ commendatione, quæ potest esse diligentissima.

Hunc

Hunc tibi commendo non minore ſtudio, quàm ſi rem meam commendarem.

Eum tibi ita commendo, ut homines grati ac memores benè de ſe meritos commendare ſolent.

Vehementer te rogo, ut eum auctoritate tuâ, qua plurimùm vales, conſervatum velis, & cures ut intelligat, hanc meam commendationem maximo ſibi apud te & adjumento, & ornamento fuiſſe.

Ita peto, ut majori ſtudio magiſvé ex animo petere non poſſim, ut ei omnibus in rebus, quantum tua fides patietur, commodes.

Omnium tuorum officiorum, quæ & multa & magna ſunt, mihi gratiſſimum feceris, ſi *Henricum Beckſtadium* noſtrum ita tractâris, ut ſciat, ut ſentiat, ut intelligat, & ſe à me, & me à te amari.

Te, mi *Backere* etiam atq; etiam rogo, ut omnia *Michaelis Kittelmanni*, *Syndici Salfeldenſis* negotia, mea putes eſſe, cureſq;, ut intelligat hanc meam commendationem maximo ſibi uſui fuiſſe: Hoc mihi gratius nihil facere poteris.

Commendo tibi eum non vulgariter: ſed ita prorſus, ut quos diligentiſſimè valdéque ex animo ſoleo.

Pergratum mihi feceris, si intellexero, has literas tantum, quantum scribens confidebam, apud te pondus habuisse.

Gratissimum mihi feceris; si eum ita tractâris, ut merito tuo mihi gratias agere possit.

Totum denique hominem tibi ita trado de manu (ut ajunt) in manum tuam istam & victoria & fide præstantem.

Fusium nostrum tanti à te fieri, quantum ipsius humanitas & dignitas postulat, nec miror, & gaudeo: teq; hoc existimare volo, quidquid in eum judicii officiiq; contuleris, id ita me accipere, ut in meipsum te putem contulisse.

Est ita temperatis moderatisq; moribus, ut summa severitas summâ cum humanitate jungatur. Cujus tibi negotia ita commendo, ut majore studio, magisq; ex animo commendare non possim. Pergratum mihi feceris, si dederis operam, ut is intelligat meas apud te literas maximum pondus habuisse.

Tantum velim existimes, si Lamiam defenderis, gratiùs mihi futurum, quàm si ea liberalitas tua pertinuisset ad rem familiarem tuam. Cura ut intelligat, hanc commendationem maximo sibi usui fuisse. Hoc mihi gratius facere nihil potes.

Ada-

Adamum Fusium, unum ex meis intimis, observantissimum studiosissimumq; nostri, eruditum hominem, & summâ humanitate, tuâque amicitiâ dignissimum, velim ita tractes, ut mihi coram recepisti.

Tàm mihi gratum id erit, quàm quod gratissimum. Ipsum prætereà summo officio & summâ observantiâ tibi in perpetuum devinxeris.

Tuæ fidei, justitiæ, bonitatiq; commendo; & pro nostra summa necessitudine, parique inter nos & mutuâ benevolentiâ hoc abs te peto, &c.

Te majorem in modum rogo, ut Curtii rem meam putes esse, quidquid meâ causâ faceres, ut id Curtii causâ cùm feceris, meum existimes. Quod ille per me habuerit, id me habere abs te putato.

Vehementer te rogo, ut cures, ut ex hac commendatione mihi Cuspius quàm maximas, quàm primùm, quàm sæpissimè gratias agat.

Hoc mihi cùm gratissimum feceris, tùm viros optimos, homines honestissimos, eosdemque gratissimos & tuâ necessitudine dignissimos summo beneficio in perpetuum tibi, tuisq; devinxeris.

Id cùm mihi gratissimum feceris, tùm il-

lud tibi expertus promitto & spondeo, te socios Bithyniæ, si his commodaris, memores esse & gratos cogniturum.

Cura igitur, si me tanti facis, quanti & Varro existimat, & ipse sentio, ut quàmprimum intelligat, hanc meam commendationem tantum illi utilitatis attulisse, quantum & ipse sperârit; nec ego dubitarim.

Gratissimum mihi feceris, si Manlium quàm maximè, quibuscunq; honestè ac pro sua dignitate poteris, juveris atq; ornaveris. Ex ipsius prætereà gratissimis & humanissimis moribus confirmo tibi, eum te, quem soles fructum a bonorum virorum officiis exspectare, esse capturum.

Pergratum mihi feceris, si eum, quod sine molestia tua fiat, qua in re opus ei fuerit, juveris. Id & mihi vehementer gratum erit, & posteà tibi jucundum.

Hominem enim summâ probitate, summâ humanitate, summâq; observantiâ cognosces.

Sic velim existimes, non minùs me de illius re laborare, quàm ipsum de sua. Sed tum illum studeo quàm facilimè ad suum pervenire, tùm illud laboro, ut non minimum hac meâ commendatione se consecutum arbitretur.

Hanc

Hanc rem, mi *Franco*, si effeceris, meam de tuâ erga me benevolentiâ spem confirmaveris, ipsumq; Capitonem gratissimum, officiosissimum, optimum virum, ad tuam necessitudinem, tuo summo beneficio adjunxeris.

Hunc in tuam fidem ita recipias, ut ipse intelligat, nullam rem sibi majori usui aut ornamento, quàm meam commendationem esse potuisse.

Elia Kühnio, multos annos familiariter utor. Is cùm anteà semper & suo splendore & nostrâ cæterorumq; commendatione gratissimus fuit, tum hoc tempore, propter tuum in me amorem nostramque necessitudinem, vehementer confidit his meis literis, se apud te gratiosum fore: Quæ ne spes eum fallat, vehementer rogo, omnibusque rebus eum ita tractes, ut intelligat hanc meam commendationem non vulgarem fuisse.

Reinbothium nostrum eximiâ spe, summæ virtutis adolescentem, cæteris rebus, quibus studuisti semper ipse, tum in primis imitatione tui sac erudias: Nulla enim hac præstantior disciplina: Quem nos, & quia tuus, & quia dignus te filius, & quia nos diligit, semperque dilexit, inprimis amamus charumque habemus.

De ipso T. *Klugio* tantùm tibi polliceor, te

majoris animi, gravitatis, constantiæ, benevolentiæ erga te, si complecti hominem volueris, habiturum esse neminem.

C. *Pharetratum* ita tibi commendo, ut quanquam ipsius causâ confidit, te facturum esse omnia: tamen abs te hoc petam, ut si quid in te residet amoris erga me, id omne in *Pharetrati* negotio ostendas. Hoc mihi gratius facere nihil poteris.

Omnia ejus negotia tibi commendo: inprimisq; ipsum virum optimum, mihiq; familiarissimum, his studiis literarum doctrinæq; præditum, quibus ego maximè delector: in meis intimis maximeq; necessariis scias esse: Itaq; tractes, ut intelligat meam commendationem sibi magno adjumento fuisse.

Quanquam à te quidem cumulatè satisfit & mihi & meis omnibus: Tamen velim existimes, hanc familiam, & hos, quos tibi commendo maximè nobis conjunctos vetustate, officiis, & benevolentiâ, quamobrem abs te majorem in modum peto, ut his omnibus in rebus, quod sine molestia tua facere possis, quantumq; tua dignitas fideisque patietur, commodes. Id si feceris, erit mihi vehementissimè gratum.

Hæc ego omnia collegi, ut intelligeres; non vulgarem esse hanc meam commenda-

tio-

tionem: Peto igitur abs te, ut omnibus rebus, quod ſine moleſtia tua facere poſſis, ei commodes, habeas in numero tuorum, perficiasq;, ut intelligat, has literas meas ſibi magno uſui fuiſſe: Erit id mihi majorem in modum gratum.

Commendo tibi majorem in modum adoleſcentes, omnibus optimis artibus ornatos, meos perneceſſarios, tuâ amicitiâ digniſſimos. Si ulla apud te mea commendatio valuit, quod ſcio multas plurimùm valuiſſe, hæc ut valeat rogo: quod ſi eos honorificè liberaliterq; tractâris, & tibi graviſſimos optimosq; adoleſcentes adjunxeris, & mihi gratiſſimum feceris.

Itaq; eum tibi commendo majorem in modum, hominem domi ſplendidum, gratioſum extra domum, quem fac ut tuâ liberalitate tibi obliges: Gratum hominem, & obſervantem cognoſces.

Hartmannum tibi commendo, & à te peto, ut des operam, ut intelligat, me diligenter ſcripſiſſe de ſe, meamque commendationem uſui magno ſibi fuiſſe: erit id mihi vehementer gratum.

Gratiſſimum mihi feceris, ſi huic commendationi meæ tantum tribueris, quantum cui plurimum tribuiſti.

Quare à te majorem in modum peto, ut hunc, quem tibi commendo, tuis officiis ac liberalitate complectare. Scriberem ad te qualis vir esset, ut superioribus feceram, nisi eum jam per seipsum satis tibi esse notum arbitrarer.

Mitto ad te *Drabitium*, atq; ita commendo, ut initiò meâ spontè; pòst autem invitatu tuo mittendum duxerim. Hunc, mi *Kleini*, sic velim omni comitate complectare, ut omnia, ad quæ per me possis adduci, ut in meos conferre velis in unum hunc conferas: de quo tibi hoc spondeo (quomodo homines non ineptè loquuntur) probiorem neminem.

Hosce igitur ambos sic tibi commendo, ut majori cura, studio, solicitudine animi, commendare non possim. Volo ipsorum causa, meque in eo vehementer & amicitia movet. & humanitas.

N. Pormannum, familiarissimum meum, tanto tibi studio commendo, ut majore non possim: cui cùm propter omnes virtutes, tùm etiam propter studia communia sum amicissimus.

Nihil est ex rebus omnibus, quod gratius mihi esse possit, quàm ut hujus dignitatem sic tuearis, ut beneficij memoria sempiterna tibi

tibi se obstrictum esse cognoscat. Est enim hic vir cùm inprimis inter suos nobilis, & honestus, tùm verò propter singularem in omnes benevolentiam beneficio tuo dignissimus.

Prassius noster, qui ad te venit, vir est summo ingenio, prudentia, integritate, virtute singulari: ut ejus tibi negotia commendarem, fecit illius in me maxima & opportuna benevolentia.

Quare velim quicquid in te est studii, laboris, consilii, ingenii, quidquid auctoritate, fide, constantia poteris, id universum ad illius negotia, quæ isthic plurima & magnis implicata controversiis habet, illi pollicearis, & deferas. Amicitiæ nostræ fiduciâ peto à te, ut nullum studii, officiiq; munus in hoc viro augendo prætermittas: quod eò studiosiùs facies, quò mihi es carior.

Gratissimum mihi feceris, si viri hujus dignitati suffrageris, atq; omnia, quæ ad illum novo honoris splendore augendum illustrandumq; pertinebunt, summo studio suscipias & defendas.

Hic cùm intelligeret, in aliquâ me gratiâ atq; auctoritate apud te esse, voluit meis quoque literis tibi fieri commendatior. Quare, ut eum tuis opibus, studiis atq; auctoritate,

qua apud omnes plurimùm vales, augeas atque ornes, majorem in modum à te peto atq; gratiâ contendo: hoc tuum officium ita gratum mihi erit, ut majus à te mihi beneficium dari posse non sperem. Hunc tibi sic commendo, ut quicquid in te amoris erga me tui resides, ac benevolentiæ, id totum in illum cujus gloriæ ac fortunis mirabiliter faveo, conferas: quod te facturum & meâ, & illius causâ confido.

Qui literas tibi meas adfert, eum sic velim omnibus officiis tuis juves, ut nullum tempus, neq; diurnum, neq; nocturnum de ejus dignitate cogitandi, faciendiq; quod agendum sit, dimittas: idq; non modò recuses, sed appetas etiam atq; deposcas: desq; omninò operam, ut nemini in illius causa suscipienda & defendenda studio, cupiditateque concessisse videaris.

Gratissimum mihi feceris, si libertum meum omnibus rebus integrum incolumemque esse volueris: Cujus studia, rem domesticam, fortunas fidei tuæ, justitiæ, bonitatiq; commendo.

A te majorem in modum peto atque contendo, ut quantum te facere posse, & meâ causâ libenter facturũ arbitror, tantum studii, diligentiæ, præsidii conferas ad Cæsium ornan-

ornandum, ut ex mea commendatione quàm maximas mihi gratias agere possit: hoc cùm mihi gratissimum feceris, tum verò honestissimum virum, & tuâ necessitudine dignissimum summo beneficio in perpetuum tibi tuisq; devinxeris.

Lipsium tibi commendo, majoremque in modum à te peto, ut rem utilitatemque ejus per te quam maximè defensam & auctam esse velis: ut quantum ipse speravit utilitatis, tantum illi hæc mea commendatio attulisse videatur.

Vehementer mihi gratum feceris, si *Lipsium* amicitia benevolentia humanitate tua, quæ singularis est, comprehenderis: atque ad id, quod tua de causa libenter factum existimo, addas cumulū commendationis meæ: quidquid enim ei commodaveris, erit mihi majorem in modum gratum.

Quanquam non libenter incredibili tua humanitate ad amicorum fortunas augendas abutor, hunc tamen justissimis de causis vel dignitatis, quam amplissimam consecutus est, vel humanitatis, vel illius in me beneficii tibi commendo, petoque à te majorem in modum, ut res ejus omnes sic ornes, ut gratias utrique habere velit immortales.

Da-

Dabis hoc amori nostro, vel voluntati meæ, ut *Häsenerum*, qui cum constituta amicitia ad summam benevolentiam pervenit, quàm diligentissimè tuearis ac propugnes: proq; eo ornando nullos nec labores, nec contentiones, nec solicitudines subterfugias: quod & mea in illum benevolentia, & hominis ornatissimi splendor à te impetrare debet.

Qui hanc suam causam ad te defert, magna amicitia mihi est conjunctus & valdè carus: eum tibi commendo, sicut tua fides & meus pudor postulat; tantùm ut faciles aditûs ad te habeat, quæ postulabit æqua, ut jubente te impetret, sentiatq; meam sibi amicitiam in primis prodesse.

Communem nostrum amicum, qui has literas adfert, tibi majorem in modum commendo: magnoque opere à te peto, cures, ut is intelligat meam commendationem maximo sibi apud te adjumento & ornamento fuisse.

Velim honoris mei causa, quibus rebus honestè & pro tua dignitate poteris, quàm honorificentissimè & quàm liberalissimè hunc tractes. Id mihi sic erit gratum, ut gratius nil esse possit.

Huic persvasum est, & te apud principem, &

& me apud te plurimùm valere : & de te quidem haud fallitur, de me ne fallatur, non tàm promeritus sum, quàm cupio.

Scio non sine causa dictum Horatio: *Quem cui commendes etiam atq; etiam aspice.* Sed hujus hominis integritas sic mihi multis argumentis est explorata, ut non dubitem illum tibi vel capitis mei periculo commendare. Quem si complectêris, gratias agam, quod mihi credideris.

Hunc, qui nostras tibi reddit literas, & probum & doctum hominem, tuo non dedignaberis hospitio. Facies enim quæ te decent, & quæ mihi gratissima sunt futura.

COMMENDANDI SE- *ipsum formula.*

TE etiam atq; etiam oro, ut me totum tuendum suscipias, ut si ii salvi erunt, quibus cum sum, unà cum iis possim incolumis esse, salutemq; meam benevolentiæ tuæ acceptam referre.

Quare ut alia, sic me vel maximæ tuæ amicitiæ benevolentiæque, consilio, & potestati permitto.

Nunc tibi omnem rem atq; causam meq; totum commendo atq; trado.

Me totum, & mea, meosq; commendatos habebis.

Sum

Sum commiſſus veſtræ fidei, permiſſus veſtræ poteſtati.

Me tibi dedo, addico, adſtringo: Omnium nervorum ac laborum meorum tu potiſſimùm fructûs uberes diuturnoſq; capies.

Tuæ auctoritati ſum totus deditus.

Ego in tua me poteſtate, tutelâ ac fide pono atq; permitto.

Omnia mea jura, commoda, auxilia, fortunas, famam deniq; in tuo arbitrio, in tuâ auctoritate, in tua ſententia colloco.

Tibi negotia mea, opes fortunaſq; omnes commendo, tibi committo exiſtimationem ac ſpem reliquæ vitæ.

Summâ à te gratiâ contendo, ut omnibus in rebus causæ meæ defenſionem ſuſcipere velis.

A te peto, ut voluntatem tuam ad ſtudia mea provehenda deferas: & quæcunq; meæ dignitati utilitatiq; conducere arbitraberis, tanto facias ſtudio, quanto in rebus meis te fuiſſe & eſſe cognovi: quæ ad te pertinebunt diligenter curabo.

Tibi velim perſvadeas, nihil me diligentiore curâ, ſtudio majore, animo cupidiore à te petere, nihil te mihi vel gratiùs vel honorificentiùs facere poſſe, quàm ſi opibus tuis atq; ſuffragationibus in conſulatus petitione

me

me juveris: quòd ut studio tibi esse velis, pro mea perpetua in te benevolentia rogo.

Quæ in provincia habeo negotia; summo studio commendo: tibíque persvadeas velim; omne meum perfugium in his afflictæ fortunæ reliquiis, in tuo positum esse præsidio.

Non dubito, quin sine hac admonitione mea, quæ naturæ est facilitas, studiosè omnia sis facturus: si tamen levis admonitio à me tanquam currenti calcar, adhiberi debeat, sic velim existimes, gratius te mihi facere non posse, quàm ut rationes meas omnes tuearis.

Cùm in tua prudentia ac fide maxima Reip. spes sit, fac quæso, ut ad omnia summa contendas, & cùm meam, tùm eorum propugnes fortunam, quibus auctoribus ad hoc summum honoris fastigium es evectus.

Magnoperè à te peto, ut ad illam voluntatem, quam in me amicam & benevolam conferre consvevisti, quàm maximus nunc in hoc negotio suscipiendo cumulus accedat.

AD COMMENDATITIAM responsio.

QUi eruditè ad aliorum Commendationes respondere volunt, rationem primùm

mùm eorum habeant necesse est, qui alios commendant, & qui commendantur. Pro personarum enim diversitate diversus quoq; respondendi modus adhibendus est.

Si amicus fuerit, & dignè, atq; ut meretur, commendatus, gratum nobis fuisse Commendationem dicemus, in qua præsertim de homine agatur, qui multos jam annos cum suis, vel ab ineunte ætate in nostro sit ære: multumque à nobis diligatur, non solùm propter veterem amicitiam in nos atque nostros: sed propter summam etiam ejus humanitatem, doctrinam, bonos mores, cæterasque virtutes.

Quamobrem rescribemus, non posse nos ei non amicos esse, neque solùm amici commendatione, quæ apud nos valeat, valueritq; semper plurimum, sed nostro etiam judicio ac voluntate.

Ergò summo nos studio, & cura, omnia pro amico vel fecisse, vel facturos dicemus, nihilque nobis laboriosum ac molestum videri posse, sed omnia, cùm facilia, tùm honesta.

Quod tamen admonemur, agemus gratias: quod rogamur, queremur. Admoneri enim debemus, non rogari, ut faciamus, quod nobis non facere turpissimum est.

Si nulla tibi cum commendato erit necessitudo: ita tamen hominem commendatum habebis, (cùm amicus sit amici) ut tuam operam, consilium ac favorem, nullâ unquam in re desideret.

Deinde & res ipsæ cujusmodi sint, videndum. Sunt enim quædam honestæ, utiles, faciles, in quibus non gratificari animo turpe est. Sunt aliæ inhonestæ, inutiles, difficiles, periculosæ, in quibus sine reprehensione commendatio rejici potest.

Inhonesta commendatio inhonestè non est ac insolenter rejicienda: Semper enim amico aliquâ ex parte acquiescendum videtur.

Sic igitur respondere poterimus: Jam diu nos desiderâsse aliquam nobis dari occasionem nostri in eum animi ostendendi, & ideò dolere scribemus, non posse nos, salvâ existimatione nostrâ, illius morem gerere voluntati.

Beneficium tamen in aliud tempus magis idoneum nos differre dicemus: quæ res & ampliorem illi utilitatem conciliatura, & nostram benevolentiam clariùs testatura, nobisq; & ipsi majori gloriæ futura sit. Non minùs enim beneficium dare videtur, qui honestè negat, quod negandum judicat, quàm qui æqua concedit.

Quan-

Quandoq; eâ, quâ decet, modestiâ mirari nos dicemus, amicum nostrum, tanta cùm doctrina, tùm virtute præditum, tales recipere causas. Hominem esse crudelem, ingratum, indignum omni commendatione: omnia tamen nos cupere quæ amicus velit.

Qui commendationem admittit, exorditur aut à laude amici: aut à pollicitatione: aut à literarum acceptarum, & commendationis institutæ brevi repetitione: aut à narratione eorum, quæ jam egerit.

Deinde animi prompti, studii atq; officii promissionem faciet.

Pòst rationes ponet, cur commendatum sibi amicum velit, sumptas vel à persona commendantis, vel commendati.

Postremò repetitio brevis antè factæ promissionis institui potest.

Exemplum responsionis ad Commendatitiam observatum in Epist.11. lib. V. ad Fam. quâ Vatinii commendationi Cicero respondet, in Exordio laude Vatinii, atq; brevi commendationis repetitione positâ; omnia sua studia atque officia ejusdem uxori commendatæ defert: Ratione deniq;, à commendantis petitâ personâ & honesta, & laboriosa minùs sibi fore pollicetur ea, quæ in amici rebus acturus sit.

GRatu tibi mea esse officia non miror: cognovi enim te gratissimum omnium: idq; nunquam destiti prædicare: nec enim tu mihi gratiam modò habuisti: verùm etiam cumulatissimè retulisti, quamobrem reliquis tuis rebus omnibus, pari me studio erga te, & eâdem voluntate cognosces. Quod mihi fœminam primariam Pompeiam, uxorem tuam commendas, cum Sura nostra statim tuis literis lectis locutus sum, ut ei meis verbis diceret, ut quidquid opus esset, mihi denuntiaret, me omnia, quæ ea vellet, summo studio, curaq; facturum: itaq; faciam: eamq; si opus esse videbitur, ipse conveniam. Tu tamen ei velim scribas, ut nullam rem, neq; tàm magnam, neque tàm parvam putet, quæ mihi aut difficilis, aut parum me digna videatur. Omnia, quæ in tuis rebus agam, & non laboriosa mihi, & honesta videbuntur. De Dionysio, si me amas, confice, quamcumq; ei fidem dederis, præstabo. Si verò improbus fuerit, ut est, duces eum captivum in triumpho. Dalmatis dii malè faciant, qui tibi molesti sunt, sed, ut scribis, brevi capientur, & illustrabunt res tuas gestas: semper enim habiti sunt bellicosi.

Vale.

† IMITATIO HVIVS Epistolæ.

GRata tibi mea quantulacunq; esse officia atque studia, lætor, & ex animo lætor. Quanquam novum hoc in te, aut mirum videri minimè debet. Cùm enim omnibus virtutibus aliis te præditum cognovi: tùm veró animum maximè gratum deprehendi in te, eundemque prædicare hactenus non destiti. Neque quod cum multis esse tibi commune posset, gratias mihi modò egisti: verùm etiam reipsâ abundè atq; cumulatè retulisti. Quo etiam nomine obstrictum me tibi hactenus devinctumq; semper habuisti, parique studio ac voluntate deinceps in te tuosq; deprehendes. Quod mihi adolescentem studiosum, cognatum tuum commendas, statim literis tuis lectis largè mea illi officia obtuli; cum popu-

cum popularibus etiam ejusdem sum locutus, meis verbis ei indicarent, ut cùm in studiis, tùm aliis rebus audacter meâ operâ uteretur: paratum me promptumq; semper futurum. Itaq; faciam: &, si opus videbitur, ipse studiorum illius inspector, moderator, gubernator ero. Quia etiam plerumque verecundia obstare adolescentulis solet, ei scribas velim, me sæpè ut conveniat: nec grave hoc mihi, aut molestum fore existimet. Ita enim de me es meritus præclarè, ut à te commendatis nulla in re deesse, vel velim, vel possim. Negotia illa, de quibus nuper ad te scripsi, primo quoq; tempore expedias rogo: Gratum me præstabo. Sin impedimentum objectum aliquod fuerit: de eo certiorem me fieri velim. Dii illis malè faciant, qui in re longè æquissimâ atq; honestissimâ im-

pedire nos conantur. Sed ut scribis, egoq; planè confido, brevi improbitatis suæ pœnas dabunt.

† Ita responderi iis potest, qui suos nobis amicos per literas commendârunt. Restat ut, antequam ad novum Epistolæ genus accessum faciamus, exempla proferamus instituendæ gratiarum actionis apud eos, qui commendatione nostrâ cōmoti benè amicis fecerunt. Collocatio autem hujus gratiarum actionis hunc in modum est instituenda, ut in Exordio sit aut lætitiæ declaratio, quam ex humanitate & benevolentiâ amici percepimus: aut excusatio, quòd eodem sæpè apud amicum literarum exemplo utamur: aut gratiarum actio, pro præstitâ humanitate, hospitalitate, liberalitate amico commendato. In parte alterâ beneficia exponantur, commendentur, amplificentur. In tertiâ nova instituatur petitio; ut, quemadmodum hactenus, ita deinceps quoque amicum sibi commendatum habeat. Epilogus absolvatur vel renovatione commendationis & petitionis: vel animi grati promissione: vel præcisione ulterioris commendationis.

Exempli loco nobis hîc esse debet Epistola 42. lib. XIII, in qua Culleolo gratias Cice-

re agit. Partes illius Epistolæ sunt quatuor. Exordium gratiarum actione constat. Narratio expositionem & commendationem præstiti officii continet. Propositio commendationem & novam habet petitionem; ut deinceps etiam Luceio adesse Culleolus velit. Conclusio grati animi pollicitatione absolvitur.

QVæ fecisti L. Luceii causâ, scire te planè volo, te homini gratissimo commodâsse: & cùm ipsi, quæ fecisti, pergrata sunt, tùm Pompejus quotiescunque me videt (vidit autem sæpissimè) gratias tibi agit singulareis. Addo etiam illud, quod tibi jucundissimum esse certo scio, meipsum ex tua erga Lucejum benignitate maximâ voluptate affici. Quod superest, quanquam mihi non est dubium, quin cum anteà nostrâ caussâ, nunc jam etiam tuæ constantiæ gratiâ mansurus sis in eadem ista liberalitate: Tamen abs te vehementer etiam atque etiam peto, ut ea, quæ initiò ostendisti, deinceps fecisti, etiam ad exitum augeri & cumulari per te velis. Id & Lucejo & Pompejo valdè gratum fore, teque apud eos præclarè positurum confirmo & spondeo. De Repub. deque his negotiis, cogitationibusque nostris perscripseram ad te diligenter paucis antè diebus, easque literas dederam pueris tuis. Vale.

† *IMITATIO HVIVS EPISTOLÆ, quâ gratia aguntur amico, qui nostrâ commendatione motus humaniter atq; benevolè adolescentem studiosum tractavit.*

Quæ fecisti adolescenti studioso, qui à me tibi commendatus fuit, homini te grato fecisse scias velim. Neq; enim satis per literas tuam mihi prædicare humanitatem atq; benevolentiam potuit, eoq; nomine in ære sese meo futurum semper affirmavit, quod tibi commendatus fuerit. Neque ipsi modò adolescenti grata hæc mea commendatio extitit: verùm etiam parens illius, vir clarissimus, quoties me videt, (vidit autem ferè quotidiè) & mihi, & tibi gratias immortales agit. Addo illud quoq;, quod tibi minimè ingratum aut injucundum esse planè statuo, me quoq; ex ista tua in adolescentem humanitate atq; benevolentiâ vo-

lupta-

luptatem incredibilem percepiſſe. Quod reliquum eſt, etſi non dubitem, quin pro tua prona propenſaq;, benè cùm de omnibus aliis, tùm verò ſtudioſis maximè adoleſcentibus, merendi voluntate, conſtans hâc ſis in re manſurus: Tamen majorem in modum à te peto, ut quæ præſtare hactenus cœpiſti, deinceps quoq; conſerves, augeas, cumules. Tàm hoc mihi gratum, quàm quod gratiſſimum fore: Teq́; & apud parentem, & filium egregiè poſiturum, ſanctè polliceor. De rebus meis privatis nuper ad te copiosè diligenterq́; perſcripſi, ut quod præterea jam ſcribam, non reperiam. Unicum hoc abs te peto: ut, quod facis, me ames, meq́; tuum & eſſe jam & fore perpetuò confidas. Vale.

AD COMMENDATIONEM *respondendi formulæ.*

NUmerium Numesticum libenter accepi in amicitiam, & hominem gravem & prudentem, & dignum tuâ commendatione cognovi:

Cratoni re, & verbis ostendi, quid tua commendatio ponderis haberet. Itaque in intimis est meis, cùm anteà notus non fuisset.

Quid ego audio? vis tibi ignosci, quod me tuis commendatitiis literis oneras. Imò sic interpretor, ingens beneficium abs te datum, qui tali viro me conciliâris.

Quid possim, tu videris. Quis sit exitus rei futurus, fortunæ in manu est. Illud efficiam, ut Antonius intelligat nostram amicitiam haudquaquam vulgarem esse.

Et tu diligenter commendas hominem, & ille mihi visus est dignus, cui tantoperè faveas. Sed temporum iniquitas in causa fuit, quò minùs licuerit, illi tantum præstare, quantum volebamus.

Qui mihi tuas attulit literas, ei ego meam omnem operam, si qua in re vellet uti, atque omninò quidquid valeo, tuâ caussâ detuli, visus est meam amicitiam plurimi facere, & à me, præter eam, nihil expetere, quod illi faciliùs

cilimum fuit impetrare: Nam cùm omnibus naturâ pateo, tùm verò, qui à te diliguntur, amore meo nunquam excludentur.

Germano tuo cupio meherculè satisfacere, sed adversantur multa, maximè peregrinitas, haud satis apta nostris moribus, & ignoratio sermonis Italici: meum tamen illi studium nullo loco deerit, si monuerit: Sin ipse aliquid videro, in quo liceat ejus rationibus consulere, aggrediar, & quantum in me erit, perficiam.

DE EPISTOLA
Conciliatoria.

CONciliatoria Epistola est, qua nos in benevolentiam alicujus insinuamus. Hoc epistolarum genus commendatitio non dissimile est.

In hujus tractatione exordiri licebit à prædicatione, vel spe egregia humanitatis, benevolentiæ, auxilii ejus ad quem literas damus.

Deinde petemus, ut nos in suorum amicorum numerum asscribat.

Pòst argumenta adhibebimus, quæ ad nos amandos atque promovendos amicum impellere posse videntur. Qua in re assentationis speciem, & bonorum prudentumq;

offensionem summo studio fugiemus. Nimiis evehere laudibus, cujus conciliare nobis benevolentiam volumus, molestum ac ingratum est: Multa magnaq́, de nobis ipsis polliceri, stultum & invidiosum.

Si quid in nobis erit, quod illum ad amorem mutuum provocare possit, id sine arrogantia subjudicabimus: ut sunt observantia, amor, admiratio doctorum & magnorum virorum: studium & diligentia in capessendis artibus & disciplinis: honestæ laudis & gloriæ cupiditas. Præterea quàm sit hoc nobis honestum ac necessarium, ei verò ad quem scribimus, laudabile, vel etiam utile futurum demonstrabimus ab Exordio.

Postremò totos in eo nos fore pollicebimur, ut magnorum virorum non indigni favore videamur, observantia, memoria, fides in nobis, & gratitudo debita unquam desideretur. Vel petemus ut flagranti nostro amori ignoscere, commendatosq́; sibi nos habere amicus dignetur.

Exemplum Conciliatoriæ epistolæ, observatum in Epist 9. lib V. ad Fam, qua Vatinius Ciceronem adversus malevolorum invidiam sibi defensorem parare studet. Partes Epistolæ illius sunt quatuor: Principio causas Vatinius recenset, quibus adductus Ciceronis

nis sibi conciliare benevolentiam conetur. In Propositione rogat, ut sese commendatum sibi habere velit. In Confirmatione petitionis caussas & rationes ponit. Conclusio gratitudinis pollicitatione absolvitur.

S.V.B.E.E.V. Si tuam consvetudinem in patrociniis tuendis servas, P. Vatinius cliens advenit, qui pro se caussam dicere vult. Non, puto, repudiabis in honore; quem in periculo recepisti. Ego autem quem potius adoptem, aut invocem, quàm illum, quo defendente vincere didici? an verear, ne qui potentissimorum hominum conspirationem neglexerit pro mea salute, is pro honore meo pusillorum ac malevolorum obtrectationes, & invidias non prosternat atq; obterat? Quare si me, sicut soles, amas, suscipe me totum: atq; hoc quicquid est oneris ac muneris, pro mea dignitate tibi tuendum ac sustinendum puta. Scis, meam fortunam nescio, quomodo facilè obtrectatores invenire, non meo quidem mehercule merito: sed quanti id refert, si tamen fato nescio quo accidit: Si quis fortè fuerit, qui nostræ dignitati obesse velit: peto à te, ut tuam consvetudinem & liberalitatem in me absente defendendo mihi præstes: literas ad senatum de rebus nostris gestis quo exemplo miseram, infrà tibi perscripsi. Dicitur mihi tuus servus anagnostes fugitivus cum Vardæis esse: de quo tu mihi nihil mandasti, ego tamen, terra,

mariq; ut conquireretur, præmandavi: & profecto tibi illum reperiam nisi in Dalmatiam aufugerit, & inde tamen aliquando eruam. Tu nos fac ames. Vale. ad III, Id. Quinctileis ex castris Narona.

† IMITATIO HVIVS EPISTOLÆ, *qua petimus à docto alique claroq; viro, ut in suorum nos amicorum aut clientum numero habeat.*

SI pristinam adhuc consvetudinem in amandis atq; promovendis bonarum artium studiosis servas: Nunc ad te venio: Et ut tuo dignum me amore ac patrocinio judices, etiam atque etiam rogo. Non opinor, me aspernaberis & rejicies, qui alios plurimos singulari es humanitate ac benevolentiâ complexus. Cujus verò ego potiùs amorem & patrocinium expetam, quàm illius, qui, cùm propter ingenii monumenta præclara, tùm egregias virtutes plenâ, quod ajunt,

ajunt, manu collaudatur ab omnibus? An verear ne, qui nemini unquam ſuam benevolentiam denegârit, illiteratos quoq; amicitiâ dignos ſuâ judicârit, is me repudiet? Cùm illud fieri plerumq, videamus: ut qua quiſq; in arte maximè excellit, eos qui ejuſdem ſunt amantes & ſtudioſi, amore perſequatur. Neq; ad hominum animos benevolentiâ conglutinandos ſtudiorum quicquam ſit ſimilitudine aptius atq; accommodatius. Quare, ſi non doctum quidem: ſed tamen doctorum obſervantem diſcendiq; cupidum, ſuſcipe ac commendatum habe. Nota tibi ætatis eſt noſtræ imbecillitas, inſcitia, temeritas. Scis quàm in ſtudiis inſtituendis adoleſcentes errent ſæpè: quàm crebrò inſtitutum mutent: quàm multa iiſdem objiciantur, ex quibus, ſine prudentum ac

doctorum virorum expedire sese consilio auxilioq́;, nequeunt. Idem ego quoq; expertus hactenus sum sæpè: Et adhuc experior quotidiè. Quocircà tua inprimis prudentia mihi est opus: quæ fluctuantem regat: &, uti spero, prompta mihi parataq; erit. Fateor sanè, & ingenuè libenterq́; fateor: Me à tua insigni pietate, nominis celebritate præclara: doctrinâ eximiâ: autoritate summâ longissimè abesse. Neque quot quantisq́, distentus ac districtus negotiis tenearis ignorant ii, quibus tua juvandi alios, cùm voluntas, tùm facultas est cognita. Veruntamen si ad eos, de quibus benè mereris quotidiè, me quoq; unum minorem, quàm mediocrem aggregaveris: dies noctesq; in illud incumbam: ut gratum me fuisse, teq; alterum quasi parentem coluisse atq; observâsse intelligas. Benè

vale

vale vir doctiſſime, & literis hiſce meis ignoſce, nec, quàm in iiſdem exarandis ſim infans, ſed tui amans, conſidera.

CONCILIATORIÆ EPI-ſtolæ Exordia.

Literæ Q. Fratris, & T. Pomponii neceſſarii mei tantùm mihi ſpei dederant, ut in te non minùs auxilii, quàm in tuo collega mihi conſtitutum fuerit. Itaque ad te literas ſtatim miſi: Per quas, ut fortuna poſtulabat, & gratias tibi egi, & de reliquo tempore auxilium petii.

Niſi certò cognoſcerem tuam erga me ſummam, verùm etiam in omnes, tametſi alienos, bonarum literarum ſtudioſos non vulgarem benevolentiam, vererer profectò, vir humaniſſime, ſtudiorum tuorum tranquillitatem temerè appellare.

Cùm ſciam quàm non illibenter ab amicis te ſolicitari patiaris, audacter te paucula ſolicitaturus accedo.

Singularis tua humanitas mihi hanc fiduciam miniſtrat, ut tametſi nihil promeritus; audeam tamen tuum officium liberè requirere.

Cùm & mihi conscius essem, quanti te facerem, & tuam erga me benevolentiam expertus essem, non dubitavi meis te literis interpellare.

Quod meis te literis appellare sim ausus, vir optime, non tàm impudentiæ meæ, quàm tuæ, quam ab omnibus præd cari audio, benevolentiæ asscribere debes.

Cùm ex tui studiosissimis eum te esse intellexissem, qui non solùm oblatas amicitias diligenter coleres, verùm tuâ sponte soleas etiam alios provocare, tuam amicitiam vehementer ardere cœpi.

Non reperio, vir humanissime, qua verborum forma tibi explicem, quantum tibi debere velim: quando tu vir ista auctoritate & præstantia, tam honorificè de me sentias & loquaris.

Miram sanè rem, & tibi, ut opinor, auditu jucundissimam, non potui non ad te perscribere.

Amor inter nos mutuus, meaque de tua virtute opinio fecit, ut &c.

Deerat omninò quod scriberem, & inani te epistolâ interpellare nolebam: mihi tamen illud est gravissimum, ut existimes nullis adhuc meis literis meum in te animum atque amorem satis esse testatum: tantus enim

eſt, ut de illo magis ipſe ex te & tui ingenii dexteritate, quàm ex oratione & infantia mea judicare te velim.

Cùm neq; haberem, quod tua magnoperè intereſſet à me ſcribi, & te ſcirem ſummis occupationibus aſſiduè diſtrictum, tamen faciendum mihi putavi, ut aliquid omninò ad te literarum darem : ad meum enim officium valdè pertinet, te de nobis optimè meritum intelligere, & quo te ſtudio colam, & qua tuorum in me meritorum memoriam religione conſervem, quod, ut ſpero, conſequar literarum bono : Nam ut remunerari unquam poſſim, ſperare vix audeo.

Nihil eſt; mihi crede, virtute formoſius, nihil pulcrius, nihil amabilius. Semper te propter ſummum ingenium, ſvaviſſimos mores, ſingularem probitatem & conſtantiam amavi, ad quem amorem hoc tempore tantum acceſſit, ut mirarer locum fuiſſe augendi in eo, quod mihi jampridem cumulatum etiam videbatur.

Summa ejus erga me officia extiterunt his noſtris temporibus, ex quibus facilimè bonam benevolentiam hominum & fidem perſpicere potui.

Te mei amantiſſimum cognovi in omni varietate rerum mearum, tùm patris tui plu-

ribus

ribus beneficiis, vel defensus tristibus temporibus, vel ornatus secundis. Quare necesse est, ut & sim totus vester, & esse debeam; cùm præsertim matris tuæ gravissimæ, atq; optimæ fœminæ, majora erga salutem dignitatemq; meam studia, quàm erant à muliere postulanda, perspexerim.

Tuam erga me singularem benevolentiam vel in labore meo, vel in honore perspexi; totamque domum vestram vel salutis vel dignitatis meæ studiosissimam, cupidissimamque cognovi.

Quantæ tibi curæ fuerim, & quàm idem exstiteris in me ornando & amplificando, qui fueris semper cum parentibus tuis, & cum tota domo, etsi res ipsa loquebatur: cognovi tamen ex meorum omnium literis: itaque nihil est tantum, quod ego non tuâ caussâ debeam, facturusq; sim cùm studiosè, tùm libenter.

Studium tuum, curaque tua de salute mea, nulla me nova voluptate affecit: non solùm enim usitatum: sed etiam quotidianum est, aliquid audire de te, quod pro nostra dignitate fideliter atque honorificè dixeris, aut feceris.

OFFE-

OFFERENDI SEIPSVM FORmulæ, *quarum creberrimus in Conciliatoriis epiſtolis uſus eſt.*

EGo omne ſtudium atque ingenium conferam ad gloriam laudemq́ue tuam celebrandam.

Ego meam operam tibi nunquam defuturam eſſe, profiteor.

Omnes vigilias, curas, cogitationes in tua ſalute figam, defigam.

Conſilio, quantum potero, labore, plus penè quàm potero excubabo vigilaboq́ue pro te.

Me tibi in omnibus rebus affixum habebis, neque à me ulla res quæ ad te pertineat, negligetur.

Tu velim tibi ita perſvadeas, nullam rem eſſe minimam, quæ ad te pertineat, quæ mihi non carior ſit, quàm meæ res omnes.

Quantum literis, quantum ſtudiis, veteribus noſtris delectationibus conſequi poterimus, id omne ad arbitrium tuum, qui ſemper hæc amaſti, libentiſſimè conferemus.

Ego omnia ſtudia, omnem operam, curam, induſtriam, cogitationem, mentem deniq; omnem in te fixi & locavi.

Ego, ut me tibi amiciſſimum eſſe, & æqui & iniqui intelligant, curabo.

Me

Me tibi non amicum modò : verùm etiam amicissimum esse existimes velim : profectò omnibus meis officiis efficiam, ut ita esse verè possis judicare.

Ego quæ pertinere ad te intelligam, studiosissimè omnium, diligentissimeque curabo, tuorumque tristissimo meo tempore meritorum erga me memoriam conservabo.

De mea in te voluntate sic velim judices, me quibuscunq; rebus opus esse intelligam, opera, consilio, studio, rei, famæ, saluti tuæ præstò futurum.

Ego quæ ad te & ad tuos pertinere arbitrabor, omnia studiosè diligenterque curabo, quæ cùm faciam, benevolentiam tuam erga me imitabor, merita non assequar.

Polliceor tibi studium quidem meum & operam, sine ulla exceptione aut laboris, aut occupationis, aut temporis; gratiam autem & autoritatem cum exceptione hac, quantum valeam quantumq; possim.

Nullum officium erga te hominis amantissimi, diligentissimi, fidelissimi prætermittam.

Ego, ut debeo, ad tuas me rationes adjungam, ad tuam me voluntatem conformabo.

Amplector adeò libenter tuam familiaritatem :

tatem: nam ante hunc diem non ſum in tuam me conſvetudinem, quam meus mihi pudor clauſit, auſus inſinuare.

Qua in re ſi tuam mihi declares benevolentiam, incredibilem tibi amorem, omniaq; ſumma & ſingularia ſtudia libenter debebo & præſtabo.

Hoc tibi viciſſim polliceor, ſemperq; præſtabo, ſi quid ingenio, labore, diligentia poſſum, totum me illud ad amplitudinem tuam converſurum: neq; ullam rem, quæ quidem ad te pertinet, & à me confici poſſit, futuram unquam, in qua non ego vel vitæ periculo faciam omnia, quæ te velle arbitrabor. In retinenda amicitia noſtra atque colenda ſic contendam atq; laborabo, ut omnibus amplisſimis rebus dignus videaris.

Ego quid poſſim neſcio: illud tamen tibi polliceor, me quæcunq; ſaluti, dignitatique tuæ conducere arbitrabor, tantô ſtudio eſſe facturum, quanto ſemper tu & ſtudio & officio in meis rebus eris.

Velim tibi perſvadeas, me nullo loco, tempore, aut caſu tuæ gloriæ defuturum.

Quod meum eſt, illud libenter & ſtudiosè faciam: ac tibi tuiſq; omnia mea officia, ſtudia, curas, cogitationes polliceor, quæ ad tuam laudem & gloriam pertinebunt.

Velim tibi persvasum haberi, te mihi carissimum esse, in cujus salute non detrecto omnem meum laborem, omnem operam, curam & studium consumere.

Vide Officiosæ Epistolæ formulas, à p. 188.

DE EPISTOLA officiosa.

EPistolæ *Officiosæ* sunt, quibus amicis, etiamsi nihil petant, operam nostram ultrò deferimus.

Harum Exordium constat vel significatione lætitiæ ac voluptatis ex amici benevolentia perceptæ; vel excusatione simultatum superioris temporis: vel occasione scribendi: vel certè commemoratione amoris, benevolentiæ, meritorum.

Deinde nihil tàm promptum & paratum esse scribemus, quàm omnem nostram operam, curam, diligentiam, auctoritatem, gratiam, & facultates ad omnia, quæ ad amici voluntatem, commodum, & dignitatem pertinere cognoscemus.

Ideò rogabimus, ut nostra, quantulacunq; sit opera, aliisq; rebus & ipse, & sui in omnibus utantur negotiis: nos in omnibus paratissimos fore.

Addemus etiam (si adrem facere videbitur)

tur) nos ſemper deſideraſſe tempus dari, quo & ipſe, & alii cognoſcerent, quanti à nobis fiat: vel doluiſſe nunquam datam nobis fuiſſe occaſionem præſtandi officii jam diu debiti.

Pòſt rationes & cauſſas afferemus, cur amico benè velimus.

Deniq; nihil nos prætermiſſuros pollicebimur, quod ad utilitatem honeſtatemq; ejus ſpectaverit: ſi quid prætermiſſum fuerit, & crebritate & magnitudine officiorum nos reſarturos pollicebimur: vel petemus, ut ad nos ſæpè ſcribat, & tantùm, quid fieri velit, ſignificet: vel etiam mutuo in amore reſpondeat.

Exemplum Officioſæ epiſtolæ obſervatum in Epiſt. 8. lib. 5. ad Fam. quâ Craſſo Cicero ſcribit, quænam abſenti præſtet: eiq; omnia ſua ſtudia atq; officia defert. Partes illius ſunt quatuor. Exordium partim commemoratione officiorum, partim excuſatione & translatione culpæ in temporis iniquitatem, & homines malevolos conſtat. Propoſitio officiorum & ſtudiorum pollicitationem habet. Confirmatio cauſſas & rationes ponit, quibus ſcilicet adductus Cicero non poſſit non benè & velle, & facere Craſſo. Concluſio petitione abſolvitur: Rogat enim Craſſum Cicero, ut omnibus in negotiis ſuis liberè ſua opera utatur.

Quan-

QVantum meum studium exstiterit dignitatis tuæ vel tuendæ, vel etiam augendæ, non dubito, quin ad te omnes tui perscripserint: non enim fuit aut mediocre, aut obscurum, aut ejusmodi, quod silentio posset præteriri. Nam & cum consulibus, & cum multis consularibus tantâ contentione decertavi, quantâ nunquam antea ulla in caussa; suscepiq; mihi perpetuam propugnationem pro omnibus ornamentis tuis, veteriq; nostræ necessitudini jam diu debitum: sed multa varietate temporum interruptum officium cumulatè reddidi. Neq; mehercule unquam mihi tui aut colendi, aut ornandi voluntas defuit: sed, quædam pestes hominum laude aliena dolentiũ, & te nonnunquam à me alienarunt, & me aliquando immutarunt tibi. Sed exstitit tempus optatum mihi magis, quàm speratũ, ut florentissimis tuis rebus, mea perspici possit & memoria nostræ voluntatis, & amicitiæ fides: sum enim consecutus, non modò ut domus tua tota: sed ut cuncta civitas me tibi amicissimum esse cognosceret. Itaq; & præstantissima omnium fœminarum uxor tua & eximia pietate, virtute, gratia tui Crassi meis consiliis, monitis, studiis, actionibusq; nituntur: & senatus populusq; Rom. intelligit, tibi absenti nihil esse tàm promptum, aut tàm paratum, quàm in omnibus rebus, quæ ad te pertineant, operam, curam, diligentiam, auctoritatem meam. Quæ sint acta,

quæq;

quæq; agantur, domesticorum tibi literis declarari puto. De me sic existimes, ac tibi persuadeas vehementer velim, non me repentina aliqua voluntate, aut fortuitò ad tuam amplitudinem meis officiis amplectendam incidisse: sed ut primùm forū attigerim, spectasse semper, ut tibi possem quam maximè esse conjunctus. Quo quidem ex tempore memoria teneo, neq; tibi meam observantiam, neq; mihi tuam summam benevolentiam ac liberalitatem defuisse: Si qua interciderunt non tàm re, quàm suspicione violata, ea cùm fuerint & falsa & inania, sint evulsa ex omni memoria, vitaq; nostra. Is enim tu vir es, & eum me esse cupio, ut quoniam in eadem Reipub. tempora incidimus, conjunctionem, amicitiamq; nostram utriq; nostrûm laudi sperem fore. Quamobrem tu quantum tuo judicio tribuendum nobis esse putes, statues ipse, &, ut spero, statues ex nostra dignitate. Ego verò tibi profiteor, atq; polliceor eximium, & singulare meum studium in omni genere officii, quod ad honestatem & gloriam tuam spectet, in quo etiamsi multi mecum contendent, tamen cùm reliquis omnibus, tùm Crassis tuis judicibus, omneis facilè superabo: quos quidem ego ambos unicè diligo; sed in Marco benevolentia impari: hoc magis sum Publico deditus, quod me quanquā à pueritia sua semper: tamen hoc tempore maximè, sicut alterum parentem & observat, & diligit.

Has

Has literas velim existimes fœderis habituras esse vim, non epistolæ: neq; ea, quæ tibi promitto ac recipio, sanctissimè esse observaturum diligentissimeq; facturum. Quæ à me suscepta defensio est, te absente, dignitatis tuæ, in ea jam ego non solùm amicitiæ nostræ: sed etiam constantiæ meæ caussa permanebo. Quamobrem satis esse hoc tempore arbitratus sum, hoc ad te scribere: Me, si quid ipse intelligerem, aut ad voluntatem, aut ad commodum, aut ad amplitudinem tuam pertinere meâ spontè id esse facturum? Sin quidpiam aut à te essem admonitus, aut à tuis: effecturū, ut intelligeres, nihil neq; te scripsisse, neq; quenquā tuorum ad me frustra detulisse. Quamobrem velim ita & ipse ad me scribas de omnibus minimis, maximis, mediocribusq; rebus, ut ad hominem amicissimū: & tuis præcipias, ut opera, consilio, auctoritate, gratia mea sic utantur in omnibus publicis, privatis, forensibus, domesticis, tuis, amicorum, hospitum, clientum tuorum negotiis, ut quoad ejus fieri possit, præsentiæ tuæ desiderium meo labore minuatur. Vale.

† *IMITATIO HUIUS Epistolæ.*

QUanto ego studio negotia promovere tua conatus fuerim,

rim, ex amicorum tuorum literis intellexiſſe te arbitror. Neq; enim illud, aut ita eſt leve atq; exiguum, ut negligi, aut obſcurum, ut ignorari queat. Tanta profectò contentione cum adverſariis tuis adhuc decerto quotidiè, quantâ nunquã ante vel in meis, vel propinquorum meorum rebus decertare ſum ſolitus. Faciam etiam illud impoſterum, operamq; dabo, ut ſi quid fortè neglectum à me ſuperioribus temporibus fuerit, compenſem ac ſarciam. Quanquam tui juvandi, aut ornandi non mihi ſtudium, ſed facultas defuit: quam tempora partim, partim homines quidam malevoli ademerunt. Lætor ergò, & ex animo lætor, tempus aliquando extitiſſe, quo meam erga te promptam voluntatem, & amicitiæ perſpicere fidem poſſes. Me etiam conſecutum ut & ij, qui iſtam hîc cau-

sam agunt, meis consiliis atq; studiis nitantur, & cæteri, qui tibi favent, tui me amantissimum ac studiosissimum; prompta officia, operam, curam, diligentiam paratam intelligant. Neq; dubito, quin de eis, quæ hactenus sunt acta & adhuc aguntur, tuorum jam sis literis factus certior. De me sic tibi persvasum habeas, rogo; non casu aut temeritate quadam amare me te, atq; colere cœpisse: Sed illud multis jam annis propositum habuisse, ut conjunctus esse tibi possem. Recordor etiam, nunquam tuam humanitatem mihi atq; benevolentiam defuisse. Si quæ interim simultates intervenerunt, vel potiùs suspiciones leviculæ ex rumusculis incertis aut malevolorum sermunculis ortæ, sint oblivione illæ perpetuâ sepultæ, omniq; è memoria nostra evulsæ. Eâ enim tu pietate, doctrinâ,

vir-

virtute, autoritate præditus vires: Eum quoq; me esse cupio; ut amicitiam atque conjunctionem istam nostram, & voluptati nobis, & nostris ornamento, & Reip. usui emolumentoq; fore confidam. Itaque quo me deinceps habere loco velis, ipse statues, &, ut spero, meo ex commodo & honore statues. Ad me quod attinet: studium meum eximium in omni genere officii, sine ullâ ullius, vel laboris, vel occupationis, vel periculi exceptione defero. Neq; hac in re amicis tuis, aut propinquis cedam: quos ego, & quia sanguinis te communione attingunt: & quia viri sunt boni, unicè diligo. Quæ quidem ad te perscribere nunc placuit. ut scires, primùm in suscepta semel tui defensione constantem me permansurum. Deinde in cæteris quoque rebus, si quæ ad tuam, vel dignita-

tem, vel utilitatem, vel voluntatem pertinere intellexero, ultrò me ſeduloq́; facturum. Tum admonitum à te vel per literas, vel amicos, in eo totum futurum, ut nihil à me fruſtrà fuiſſe poſtulatum intelligas. Itaq; velim audacter tua mihi credas committaſq́; omnia: tuis etiam præcipias: ut mea quantulacunque opera, gratiâ, auctoritate in negotiis, cùm publicis, tùm privatis, quotieſcunque placuerit, utantur. Vale.

DEFERENDI ALICVI SVVM Officium formulæ.

TUum negotium agam, ſicut debeo, diligenter.

Omni meâ curâ atq; operâ providebo.

Omni ope atq; operâ enitar.

Summo ſtudio diligentiâq; curabo.

Defero tibi officium meum, promptamq; omnem voluntatem meam.

Si quid eſt, in quo tibi poſſim gratificari, nihil ſum recuſaturus.

Non

Non ſum defuturus officio meo, ſicubi queam tibi eſſe commodo.

Quæ te velle arbitrabor, facturus ſum omnia cùm ſtudiosè, tùm libenter.

Si quid erit, in quo queam tibi gratum facere, facito periculum, an ex animo te diligam? Animum ad quidvis obſequii promptiſſimum polliceor in omnibus, in quibus deſiderabis amici officium.

Illud cave dubites. Tu velim certò confidas.

Tu velim ita tibi perſvadeas: De me ſic velim judices, me tibi ſemper præſtò futurum, me tibi nullâ re unquam defuturum.

De me ſic velim judices, quantum ego poſſim, me tibi ſaluti tuæ, liberiſq; tuis ſummo cum ſtudio ſemper præſtò futurum.

Singula perſequi non eſt neceſſe: Univerſum ſtudium meum, & benevolentiam ad te defero.

Mea in te omnia ſumma neceſſitudinis officia conſtabunt.

Me tibi non amicum modò, verùm etiam amiciſſimum exiſtimes velim: Profectò omnibus meis officiis efficiam, ut ita eſſe verè poſſis judicare.

De me tibi ſic promitto atq; confirmo, me pro tua dignitate, rogando deprecatoris, &c,

suscepturum officia atq; partes. Omnia volo à me & postules & exspectes: vincam meis officiis cogitationes tuas.

Reliquum est, ut tibi me in omni re eum præbeam, præstemq;, ut ad omnia, quæ tui velint, ita sim præstò, ut me non solùm omnia debere tuâ caussâ: sed etiam quæ non possim, putent.

Tu verò ut intelligas, homini amicissimo te tribuisse officium, re tibi præstabo.

Ego, quæ pertinere ad te intelligam, studiosissime omnium diligentissimeq; curabo, tuorumq; tristissimo meo tempore meritorum erga me memoriam conservabo.

Ego te mihi semper amicum esse volui, me ut tibi amicissimum esse intelligeres, laboravi. Maneo in voluntate, & quoad voles tu, permanebo, citiusq; amore tui, fratrem tuum odisse desinam, quàm illius odio quidquam de nostra benevolentia detraham.

Ego tibi profiteor, atq; polliceor eximium & singulare meum studium in omni genere officii.

Has literas velim existimes fœderis habituras esse vim, non epistolæ; meq; ea, quæ tibi promitto ac recipio, sanctissimè esse observaturum, diligentissimeq; facturum.

Hoc existima, neminem me tui amantiorem habere.

Tu

Tu ei velim ſcribas, ut nullam rem, neque tàm magnam, neque tàm parvam putet, quæ mihi aut difficilis, aut parùm me digna videatur.

Omne meum conſilium, operam, ſtudium, certè velim exiſtimes, tibi tuiſque liberis eſſe debitum.

Quare velim ità ſtatutum habeas, me tui memoriam cum ſumma benevolentia tenere, tuaſq; omnes res non minori mihi curæ, quàm meas eſſe.

Studium, officium, operam, & laborem meum, & pollicitus ſum, & detuli totum.

A me tibi liberiſq; tuis omnia paratiſſima eſſe confidas velim: Id enim & vetuſtas noſtri amoris, & mea conſvetudo in me, & tua multa erga me officia poſtulant.

Quæ mihi venient in mentem, quæ ad te pertinere arbitrabor, & meâ ſponte faciam, ſi quid ignorabo, de eo admonitus omnium ſtudia vincam.

Me ſcito omnem meum laborem, omnem operam, & ſtudium in tua ſalute conſumere.

Ego quid poſſim neſcio, vel potiùs me parum poſſe ſentio. Illud tamen tibi polliceor, me quæcunque ſaluti dignitatique tuæ conducere arbitrabor, tanto ſtudio eſſe factu-

 rum.

rum, quanto semper tu studio & officio in rebus meis fuisti.

Quare de omnibus rebus, fac ut quam primùm sciam, aut consolando, aut consilio, aut re juvero.

Quod quando uterque nostrûm consecutus est, reliquum est, ut officiis certemus inter nos, quibus æquo animo vel vincam te, vel vincar abs te.

Tuæ dignitati ita favemus, ut omne nostrum consilium, studium, officium, laborem, diligentiam ad amplitudinem tuam conferamus.

Ita facilimè & Reipublicæ, quæ mihi carissima est, & amicitiæ nostræ, quam sanctissimè nobis colendam puto, me intelligo, satisfacturum.

Quapropter in privatis rebus nullum neq; officium, neq; studium meum desiderabis.

Interea quæ ad dignitatem tuam pertinere arbitrabor, studiosè diligenterq; curabo.

Nullum in te officium ne minimum quidem, sine maxima culpa videor, posse præterire.

Quare, mi Cicero, persvade tibi, te meum esse, in quo ego colendo patriam mihi constituerim sanctitatem.

Me tuorum consiliorum adjutorem, dignitatis

tatis fautorem, omnibus in rebus amicissimum fidelissimumq; cognosces.

Faciam illud, quod meum est, ut omnia tibi mea officia, studia, curas, cogitationes pollicear, quæ ad laudem tuam & gloriam pertinebunt.

Exploratum habeto, tuis laudibus nullo loco nec consilium, nec studium meum defuturum esse.

Illud tibi persvadeas velim, me omnia quæ ad tuam dignitatem augendam pertinebunt, quæ est per se amplissima, summo semper studio suscepturum & defensurum, quod quanquam intelligo me cum multis esse facturum, tamen appetam hujus rei principatum.

Quod tuum judicium, nisi mea summa benevolentia erga te omnibusq; meritis comprobâro, ipse me hominem non putabo.

Interim velim sic tibi persvadeas, mihi cùm Reip. quàm semper carissimam, tùm amoris nostri causâ, maximæ curæ esse tuam dignitatem.

Nullum officium, nullum certamen, in quo illis prodesse potero intermittam.

Te ita existimare volo, quibuscunq; officiis Atticum obstrinxeris, iisdem me tibi obligatum fore.

Nihil est tantum, quod ego non tuâ caussâ

debeam, facturusque sim & studiosè ac libenter.

Quod si à te erit impetratum, sic velim existimes, me de tua liberalitate ita interpretaturum, ut tuo summo beneficio me affectum judicem. Ego quæ te velle, quæque ad te pertinere arbitrabor, studiosè diligenterque curabo, &c.

Quod si feceris, me, quem voluntate & paternâ necessitudine conjunctum semper habuisti, maximo beneficio devinctum habebis, idq; ut facias, te vehementer etiam atq; etiam rogo.

Nostram fidem omnes, & amorem tui absentis præsentes tui cognoscent.

Ut quàm rectissimè agantur, omni meâ curâ, operâ, diligentiâ, & gratiâ providebo.

A me autem omnia summa in te studia, officiaque exspecta: Non fallam opinionem tuam.

Quæ ad me de tuis rebus domesticis scribis, quæq; mihi commendas, ea tantæ mihi curæ sunt, ut me nolim admoneri; rogari verò sine dolore magno vix possim.

Ego & memoriâ nostræ veteris amicitiæ & virtute atq; filii tui observantiâ monitus, nullo loco deero, neq; ad consolandum, neq; ad levandum fortunam tuam.

Tu

Tu si quid ad me fortè scripseris, perficiam, ne te frustrà scripsisse arbitrêre.

Meus animus erit in te liberosq; tuos semper, quem tu esse vis, & qui esse debet.

RESPONSIO AD OFFICIOSAM *Epistolam.*

RESponsurus ad officiosam, non perceptam modò amici voluntatem, humanitatem, & benevolentiam, officiiq; pollicitationem laudabis, verùm etiam cum gratiarum actione roges amicum oportet, ut deinceps quoq; benè in te animatus esse velit.

Principiò vel amici amorem, studium, benevolentiam laudabis: Vel gratias, pro benè in te affectâ voluntate ages: vel breviter, quod & aliis Epistolarum responsionibus commune est, te amici literas recepisse, legisse, gratas tibi fuisse commemorabis.

Deinde præstita beneficia recensebis per tesq;, ut in te amando & promovendo constantiam amicus tueri velit. Polliceberis etiam operam tuam, certandumq; officiis esse dices, quibus æquo animo vel vincas illum, vel vincaris ab illo. Tuam spem significabis in illo uno, vel in illo maximè post Deum ipsum, à quo bona omnia primò emanant, positam esse.

Tandem tantam humanitatem & benevolentiam, tot tantaq; officia nullam unquam obscuraturam oblivionem polliceberis.

Exemplum responsionis ad officiosam, observatum in Epist. 11. lib. X. ad Fam. qua Ciceroni primùm Plancus gratias agit. Deinde in se collata beneficia enumerat. Tùm eundem rogat, ut deinceps in senatu se defendere velit. Postremò suam in defendendâ Repub. fidem, in amicitia grati animi memoriam promittit.

Quibus omnibus affabrè expressis, quæ in bello contra Antonium gerendo proposita habebat, consilia, indicat.

IMmortales ago tibi gratias, agamq; dum vivam: Relaturum me affirmare non possum; tantis enim officiis non videor mihi respondere posse, nisi fortè, ut tu gravissimè disertissimeq; scripsisti, ita sensurus es, ut me tum referre gratiam potes cum memoria tenebo. Si de filii tui dignitate esset actum, amabilius certè nihil facere potuisses. Prima tua sententia infinitis cum muneribus, posteriores ad tempus, arbitriumq; amicorum meorum composita, oratio assidua & perpetua de me, jurgia cum obtrectatoribus propter me notissima mihi sunt. Quare non mediocris adhibenda mihi est cura, ut Reipub. me civem dignum tuis laudibus præstem, in amicitia tua memorem

morem

merem atq; gratum. Quod reliquum est, tuum munus tuére, & me, si quem esse voluisti, eum exitu rebusq; cognoscis, defende ac suscipe. Cùm Rhodanum copias trajecissem, fratrem cum tribus millibus equitum præmisissem, ipse iter ad Mutinam dirigerem: In itinere de prælio facto, Brutoq; & Mutina obsidione liberatis, audivi. Animadverti, nullum alium receptum Antonium reliquiasq; quæ cum eo essent, habere, nisi in his partibus: Duasq; ei spes esse propositas, unam Lepidi ipsius, alteram exercitus. Quod quædam pars exercitus non minùs furiosa est, quàm qui cum Antonio fuerunt, equitatum revocavi. Ipse in Allobrogibus constiti, ut proinde ad omnia paratus essem, ac res me moneret. Si nudus huc se Antonius conferet, facilè mihi videor per me sustinere posse, remq; publicam ex vestra sententia administrare, quamvis ab exercitu Lepidi recipiatur. Si verò copiarum secum aliquid adducet, etsi decima legio, veterana, quæ nostrâ operâ revocata cum reliquis est, ad eundem furorem redierit: Tamen ne quid detrimenti fiat, dabitur opera à me, idq; me præstiturum spero, dum isthinc copiæ trajiciantur, conjunctæq; nobiscum facilè perditos opprimant. Hoc tibi spondeo, mi Cicero, neq; animum, neq; diligentiam defuturam. Cupio mehercule nullam residuam solicitudinem esse: sed si fuerit, nec animo, nec benevolentia, nec pa-

tientia cujusquam pro vobis cedam. Do quidem ego operam, ut etiam Lepidum ad hujus rei societatem incitem, omniaq; ei obsequia polliceor, si modò Rempublicam respicere velit. Vtor in hac re adjutoribus, interpretibusq; fratre meo, & Laterense & Furnio nostro. Non me impedient privata offensiones quò minùs pro Reipub. salute etjam cum inimicissimo, consentiam, quod si nihil profecero, nihilominus maximo sum animo, & majore fortassè cum meâ gloria vobis satisfaciam. Fac valeas, meq; mutuò diligas.

IMITATIO HVIVS Epistolæ.

MAgnas tibi nunc, uti debeo, ago gratias: majores habeo, & habiturus sum, dum animâ spirabo meâ; Relaturum me affirmare mea me non sinit tenuitas. Tot enim tantaq; tua in me extant promerita: ut vix illa percensere numerando, nedum remuneratione explere aliquâ possim. Nisi fortè quæ tua est humanitas, retulisse me gratiam existimaveris, si memoriâ ea tenuero.

nuero. Si de propinquorum, aut etiam liberorum agendum tibi rebus esset, majorem profectò curam, fidem, diligentiam adhibere non posses, quàm in hoc meo molesto sanè ac difficili negotio adhibere te intelligo. Quot enim quantosq; mei causâ labores sustineas; quorum hominum odium tibi atq; invidiam concilies: quibus cum jurgiis propter me contendas: Cognitum jam dudum exploratumq; habeo. Itaq; hæc hunc cura animo erit meo infixa perpetuò, ut & publicè dignum tuâ me laude atque commendatione geram: & verò privatim minimè committam, ut tuorum officiorum memoria meo ex animo effluxisse videatur. Vale, & quem semel tuâ benevolentiâ atq; defensione dignum judicâsti, eundem & deinceps amare, fovere, tueri, perge.

AD OFFICIOSAM RE-
spondendi formula.

QUod grata tibi mea officia scribis esse, facis tu quidem vehementiâ amoris, ut etiam grata sint ea, quæ prætermitti sine nefario scelere non possunt.

Magnum est hoc, Sauli clarissime, humanitatis & amoris in me tui argumentum, quod, cùm in istis locis nunc sis, ubi multam diei partem cum singulari viro, Cardinale Polo, gravissimis, sanctissimisq; sermonibus traducas, non modò tamen de me cogites, quo ego uno contentus esse poteram, verùm etiam idipsum mihi declarandum literis existimas.

Debeo tibi, mi Conrade, tot jam nominibus, prorsus ut non videam, qui solvendo esse possim. Scripsisti ad me sæpè, tantumne? sunt alia: humanissimè, elegantissimè: Laudes in me contulisti eas, quas si agnoscam, ipse me nimium videar amare. Tibi tamen habeo gratias de istâ tâm liberali, tamque erga me prolixâ voluntate, eamque, si gratus, id est, vir bonus esse volo, ut certe volo, puto mihi esse inter summa beneficia collocandam.

Profectò nihil est uberius amore in me tuo: nec amori cedit ingenium: Itaq; meâ causâ

& vis omnia, & idem facilè præstas; quod cùm ita sit, nimis tamen facerem impudenter, atq; adeò neq; ipse te amarem, nec amore tuo dignus essem, si plus oneris tibi imponerem, quàm occupationes patiantur tuæ.

DE COMMVNICATORIA *Epistola.*

COmmunicatoriam illam appellare possumus epistolam, qua nostra cum amico communicamus consilia, eundemque rogamus, ut quid faciendum, omittendumvé nobis ille censeat, indicet. *Hoc epistolarum genus, quàm proximè ad petitorium accedere videtur.*

Principiò studium & cupiditatem nostram communicandi cum amico, ob singularem ejus doctrinam, prudentiam experientiamq; significare possumus, vel certè causam nostræ scriptionis aperiemus.

Deinde rem ipsam, quæ in consultationem venit, proponemus.

Pòst caussas & rationes illas, quæ dubios nos reddunt, enumerabimus.

Postremò petemus, ut pro sua erga nos benevolentia, vel nos conveniat, vel saltem per literas significet, quid sentiat, quid agendum, aut omittendum arbitretur; pollicebimur etiam, nos in sententiam suam modò, quid

quid ille constituerit, sciverimus, ultrò ituros.

Exemplum communicatoriæ observatum in Epist. 3. lib VIII ad Atticum, qua Cicero sua cum Attico consilia de bello communicat. In cujus Exordio se cupidissimum esse coràm cum Attico deliberandi significat. Deinde consultationem ponit. Confirmatio dubiam, difficilemq; reddentia consultationem argumenta complectitur. Conclusio petitione constat.

Maximis & miserrimis rebus perturbatus, cùm coràm tecum mihi potestas deliberandi non esset: uti tamen tuo consilio volui. Deliratio autem omnis hæc est, si Pompejus Italiâ cedat (quod eum facturum esse suspicor, quid mihi agendum putes, & quo facilius consilium dare possis, quid in utramq; partem mihi in mentem veniat, explicabo brevi Cùm merita Pompeii summa erga salutem meam, familiaritasq; quæ mihi cum eo est, tùm ipsa Reip. caussa me adducit, ut mihi vel consilium meum cum illius consilio, vel fortuna conjungenda esse videatur. Accedit illud si maneo, & illum comitatum optimorum & clarissimorum civium desero, cadendum est in unius potestatem, qui etsi multis rebus significat, se nobis esse amicum, & ut esset, à me est (tute scis) propter suspicionem hujus impendentis tempestatis

multò antè provisum: tamen utrumq; considerandum est, & quanta ei fides sit habenda: &, si maximè exploratum sit, eum nobis amicum fore, sitné viri fortis & boni civis esse in ea urbe, in qua cùm summis honoribus, imperiisq; usus sit, res maximas gesserit, sacerdotio sit amplissimo praeditus, non futurus sit sui juris, subeundumq; periculum sit cum aliquo fortè dedecore si quando Pompeius Remp. recuperarit. In hac parte haec sunt. Vide nunc quae sint in altera. Nihil actum est à Pompeio nostro sapienter, nihil fortiter, adde etiam nihil, nisi contra consilium, auctoritatemq; meam. Omitto illa vetera, quod istum in Remp. ille aluit, auxit, armavit, ille legibus per vim, & contra auspicia ferendis auctor: ille Galliae ulterioris adjunctor: ille gener: ille in adoptando P. Clodio augur: ille restituendi mei, quàm retinendi studiosior: ille provinciae propagator: ille absentis in omnibus adjutor: idem etiam tertio consulatu postquam esse defensor Reip. coepit, contendit, ut X. tribuni pleb ferrent, ut absentis ratio haberetur: quod idem ipse sanxit lege quadam sua, Marcoq; Marcello Cos finienti provincias Gallias Kalend. Martiis restitit. Sed ut haec omittam, quid foedius, quid perturbatius hoc ab urbe discessu, sive potius turpissimâ fuga? Quae conditio non accipienda fuit potiùs, quàm relinquenda patria? Malae conditiones erant. Fateor, sed nunc quid hoc peius?

At recuperabit Remp. Quando? aut quid ad eam spem est parati? non pecunia omneis & publica, & privata, adversario tradita? Deniq; nulla caussa, nulla vires, nulla fides, nulla sedes, quò concurrant, qui Remp. defensam velint. Apulia delecta est, inanissima pars Italiæ, & ab impetu hujus belli remotissima: fuga & maritima oportunitas visa quæri desperatione. Invitè cepi Capuam: non quò munus illud defugerem: sed sine causa in qua nullus esset ordinum, nullus apertus privatorum dolor: bonorum autem esset aliquis, sed hebes, ut solet: &, ut ipse sensissem: multitudo, & infimus quisq; propensus in alteram partem: multi mutationis rerum cupidi: Dixi ipsi, me nihil suscepturum sine præsidio, & sine pecunia. itaq; habui nihil omninò negotii, quod ab initio vidi, nihil quæri præter fugam. Eum si nunc sequor, quonam? Cum illo non: Ad quem cùm essem profecturus, cognovi in his locis esse Cæsarem, ut tutò Luceriam venire non possem. Infero mari nobis, incerto cursu hyeme maximâ navigandum est. Age jam, cum fratre, an sine? Cum filia? An quomodo? In utraq; enim re summa difficultas erit. summus animi dolor: Qui autem impetus illius erit in nos absentes, fortunasq; nostras. Acrior, quàm in cæterorum, quod putabit fortassè in nobis violandis aliquid se habere populare. Age jam, has compedes, fasces, inquam, hos laureatos,

efferre ex Italia quàm molestum est? Qui autem locus erit nobis tutus, ut jam placatis utamur fluctibus, antè, quàm ad illum venerimus? Qua autem, aut quò, nihil scimus. At, si restitero, & fuerit nobis hac in parte locus: idem fecero, quod in Cinnæ dominatione L. Philippus, quod L. Flaccus, quod Qu. Mutius, quoquo modo ea res huic quidem cecidit, qui tamen ita dicere solebat, se id fore videre, quod factum est: sed hoc malle, quàm armatum ad patriæ mœnia accedere. Aliter Thrasibulus, & fortassè meliùs: sed est certa quædam illa Mutii ratio, atq; sententia: est illa etiam Philippi: &, cùm sit necesse servire tempori, & non amittere tempus, cùm sit datum. Sed in hoc ipso habent tamen ijdem fasces molestiam. Sit enim nobis amicus, quod incertum est: sed sit: deferet triumphum. Non accipere ne periculosum sit: an accipere, invidiosum ad bonos? O rem, inquis, difficilem & inexplicabilem. Atqui explicanda est. Quî enim fieri potest? Ac, ne me existimaris, ad manendum esse propensiorem, quod, plura in eam partem verba fecerim: Potest fieri quod fit in multis quæstionibus, ut res verbosior hæc fuerit, illa verior. Quamobrem, ut maxima de re æquo animo deliberanti, ita mihi des consilium velim. Navis & in Cajeta est parata nobis, & Brundusii. Sed ecce nuncii scribente me hæc ipsa noctu in Caleno;

ecce

ecce litera, Cæsarem ad Corfinium, Domitium Corfinii cum firmo exercitu & pugnare cupiente. Non puto etiam hîc Cn. nostrum commissurum, ut Domitium relinquat: Etsi Brundusium Scipionem cum cohortibus duabus præmiserat, legionem à Fausto conscriptam, in Siciliam sibi placere à Coss. Duci, scripserit ad Coss. Sed turpe Domitium erit deserere, implorandum ejus auxilium. Est quædam spes mihi quidem non magna, sed in his locis firma. Affranium in Pirenéo cum Trebonio pugnâsse, pulsum Trebonium, etiam Fabium tuum transisse cum cohortibus: Summum autem Affranium cum magnis copiis adventare. Id si est, in Italia fortasse manebitur. Ego autem, cùm esset incertum iter Cæsaris, quod vel ad Capuam, vel ad Luceriam iturus putabatur, Leptam ad Pompejum misi, & literas: Ipse, ne quo inciderem, reverti Formias. Hæc te scire volui, scripsique sedatiore animo, quàm proximè scripseram, nullum meum judicium interponens, sed exquirens tuum.

† IMITATIO HUIUS EPISTOLÆ, quæ cum amico de instituenda studiorum & peregrinationis ratione nostra consilia communicamus.

MAgna & necessaria de re consultatio est mihi suscipienda,

quam

quam hisce tibi nunc literis exponere volui, cùm coràm tecum agendi facultas non concedatur. Est autem hæc omnis deliberatio; Cùm studiorum meorum cursum ad finem propè hac in schola perduxerim, ideoq; de alia jam sit mihi cogitandum; quid mihi agendum existimes: Manendumne in Germania diutiùs, an verò in Galliam, aut Italiam eundum? Et, quò faciliùs tuo mihi adesse consilio queas, quid utramq; in partem occurrat, paucis indicabo. Cùm, & clarissimorum virorum exempla intueor, & studiorum meorum considero finem, omninò necessariam mihi esse peregrinationem video. Etenim cum ad Reipublicæ tractandæ gubernacula sapientiâ sit magnâ opus, eaque non tàm ex libris, quàm usu & experientiâ paretur: Utile omnino, imò necessa-

rium videtur, exteras me nationes lustrare: Earundemq; linguas non modò addiscere, aut viros audire doctissimos; verùm etiam leges, instituta, mores cognoscere. Movet me deinde & illud, quod negligi contemniq; passim eos animadverto qui limine paterno pedem nunquam extulerunt, licèt ab eruditione illi fuerint atq; doctrinâ præclarè instructi. Huc accedit, quod si maneo diutiùs, & commilitonum meorum optimorum adolescentum comitatum desero, soli alio tempore, aut fortè cum ignotis sit mihi profectio suscipienda: qui licèt amicos sese interdum simulent: tamen fidere illis tutum satis non videtur. Etsi maximè exploratum sit, fideles eos fore: longè tamen utilius est ac jucundius cum doctis, & iis, quibus aliquandiu usus fueris familiariter, quàm cum mer-

mercatoribus, aut aliis non literatis iter facere. Habes in hac parte, quæ ad profectionem hoc instituendam tempore me potissimum hortantur: Nunc quæ sint in altera parte accipe. Omnia molestiarum atq; difficultatum plena in peregrinationibus esse longinquis solent. Mitto sumptûs, quos maximos facere eos audio, qui in Gallia, Italia, aliisq́; locis studiorum nunc gratiâ vivunt. Quot & quàm præclarorum adolescentum corrumpi ingenia atq; mores istis peregrinationibus videmus? Quàm multa itineribus magnis, molestiis infinitis, cum vitæ etiam periculo, ab improvidis adolescentibus addiscuntur, quæ majorum nostrorum verè germana detestata simplicitas, integritas, probitas fuisset? Ut enim in sole, qui ambulant, etsi non propterea ambulent, ut colorentur; Nihilo

tamen minùs colorari solent: Et qui in unguentaria aliquandiu commorantur taberna, illius secum odorem ferunt: Ita & qui peregrinantur, vel inviti peregrinos induere mores: vitia imitari consveverunt. Ætatem deinde meam cum considero; talis ea est, ut nondum peregrinationibus longinquis maximè apta videatur. Movent præterea me non parùm tempora, in quibus vivimus: Bellaq; ferè omnibus nunc in locis, aut geruntur: aut metuuntur: insidiæ quæ bonorum adolescentum, & vitæ, & fortunis struuntur: Annonæ caritas summa; Morbi varii, iidemq; periculosi: Exempla multorum, qui paucos intra annos cum spe atque exspectatione sui magnâ parentes & cognatos complevissent, miserè atq; procul à patriæ finibus remoti; avulsi à parentibus dulcissimis:

A cognatis & amicis abſtracti, ex hominibus abierunt. Tandem & parentum me ancipitem atque dubium voluntas reddit; qui tantum me viæ capeſſere nolunt. Ac ne me putes ad manendum proniorem eſſe, quod plura de peregrinationum incommodis ſcripſerim. Poteſt fieri, ut quemadmodum in aliis: ita hac quoque conſultatione plus verborum poſterior: veritatis prior pars habuerit. Itaque à te, quem ſecundum patrem meum omnium hominum maximè colo, etiam atq; etiam peto, ut de re utili cumprimis ac neceſſaria deliberanti tuo mihi adeſſe conſilio velis. Quicquid ſvaſeris, fixum apud me ratumq; erit: neq; ullo unquam tempore committam, ut vel fruſtrà conſilium mihi dediſſe, vel malè apud me tua poſuiſſe beneficia conqueri poſſis. Vale.

COMMVNICATORIIS EPIstolis servientes formulæ.

MAgna de re consultatio mihi suscipienda est, quam tibi literis his exponere volui, cùm coràm tecum agendi facultas non concedatur.

Hujus epistolæ non solùm ea causa est, ut ne quis à me dies intermittatur, quin dē ad te literas: sed etiam hæc justior, ut à te impetrarem, ut sumeres aliquid temporis, quo, quia tibi perexiguò opus est, explicare mihi tuum consilium planè volo, ut penitus intelligam.

Quoniam justas caussas adfers, quod te hoc tempore videre non possim: quæso, quid mihi sit faciendum.

Hæc ad te scribo, non ut queas tu demere solicitudinem, sed ut cognoscam, ecquid tu ad ea afferas, quæ me conficiunt.

Prorsus nihil abest, quin sim miserrimus. Sed ad primum revertor, quid putes faciendum, occultène alique propiùs veniendum, an mare transeundum? Nam hîc maneri diutiùs non potest.

Considerandum vobis etiam atque etiam animæ meæ diligenter puto, quid faciatis, Romæne sitis, an mecum aliquo tuto loco. Id non solùm meum consilium est: sed etiam vestrum.

Magno-

Magnoperè te hortor, pro tua singulari perpetuoq; studio in Remp. ut te ad nos conferas, ut communi consilio Reip. afflictæ opem atq; auxilium feramus.

Testatum, apud animum tuum relinquam, quid senserim: ut, si quando (quod nolim) displicere tibi tuum consilium cœperit, possis meum recordari.

Sed tamen si sciam, quid tu constitueris, meum consilium accommodabo potissimùm ad tuum; Quare exspecto tuas literas.

Atq; utinam primis illis, quas Luceriâ miseras, paruissem: sine ulla enim molestia dignitatem meam retinuissem.

Nemo est omnium, quocum potiùs mihi, quàm tecum communicandum putem. Nec enim clarissimorum virorum, quorum similes esse debemus, exempla, neq; doctissimorum, quos semper coluisti, præcepta te fugiunt.

Quamobrem quicquid habes ad consulendum, collige, & illa scribe, non ex doctrina, neq; ex libris (nam id quidem domi est) sed nescio quomodo imbecillior est medicina, quàm morbus, hæc potiùs conquire.

Ego tuum consilium, propter singularem animi tui de virtute judicium, audire desidero.

Freti tuâ humanitate, quod verissimum nobis videbitur de eo, quod ad nos scripsisti, tibi consilium dabimus: Quod si non fuerit prudens, at certè ab optimo animo proficiscetur.

Tibi autem id consilij do quod mihimetipsi, ut vitemus oculos hominum, si linguas minùs facilè possumus.

RESPONSIO AD COMMVNICATORIAM *Epistolam*.

HIc primum videndum cujusmodi sit id, quod in consultationem cadit. Deinde considerandum, sententiamné nostram cum amico communicare, an suspendere velimus? vel enim quæritur ab amico simpliciter, placeatné hoc, vel illud fieri, aut non fieri? vel propositis duobus & comparatione factâ, utrum horum placeat fieri, & quæ Electio instituenda?

In responsione quâ sententiam nostram explicamus ac probamus aliquid, aut improbamus, exordiri licebit à commendatione & laude amoris, benevolentiæ, humanitatis ejus, qui nos consuluit: vel à repetitione acceptarum literarum.

Deinde sequetur approbatio, vel improbatio ejus sententiæ, in quam inclinare magis amicus noster videtur.

Tùm

Tùm argumenta ponentur, quæ nos commovent, ut probandum, faciendum, eligendum aliquid esse statuamus: Quia honestum, quia utile, quia jucundum, quia necessarium, quia sine labore & molestia fieri possit: Cùm persona sufficiat, conveniat locus, tempus sit accommodatum, modus sese offerat agendi expeditus. Aut improbandum, omittendum, fugiendum, quod contraria omnia deprehendantur: obstet difficultas: impendeat damnum: sit metuenda turpitudo: Nulla illud ipsum suscipere necessitas cogat.

Postremò nostram operam officium ac studium deferemus: vel sententiam repetemus.

Si liberam eligendi potestatem amico relinquere placuerit.

Principiò amicum laudabimus, verecundè & modestè extenuantes ea, quæ amicus nobis tribuit. Ostendemus favere ex animo nos studiis ac commodis ejus, qui nos consulit: Pro virili provehere eadem nos cupere: Non tamen agnoscere prudentiam, doctrinam, usum rerum atq; experientiam, & id genus alia, quæ amicus nobis tribuit: Esse illum talem, ut nostro consilio sibi non sit opus. Deinde ad deliberationem aditum faciemus, eamq; esse difficilem, & arduam affirmabimus, ita ut, quid potissimùm faciendum sit, hæsitemus.

Tum argumentorum quæ utrinq; sese offerunt, comparationem instituemus.

Tandem concludemus permissione, ut cùm nondum nobis constet, utrum sit melius, ipse statuat amicus, quod sibi maximè profore existimaverit, aut in consilium alios adhibeat: vel petitione, ut nos communicandi gratiâ conveniat.

Exemplum responsionis ad communicatoriam in medio consultationem relinquens, observatum in Epist. 2. lib. IV. ad Fam. quâ Sulpitio Cicero respondet, qui de instituendis rebus suis ipsum consuluerat. Partes illius sunt quatuor: Exordium scribendi occasione & laude prudentiæ Sulpitij & sui ingenij doctrinæq; extenuatione constat. Propositio dubitatione facta est. Confirmatio utilitatis & honestatis comparationem continet. Conclusio querelâ & petitione absolvitur.

AD III. Kalend. Majas, cùm essem in Cumano, accepi tuas literas: quibus lectis cognovi, non satis prudenter fecisse Philotimum: qui, cùm abs te mandatum haberet, ut scribis, de omnibus rebus, ipse ad me non venisset, literas tuas non misisset: Quas intellexi breviores fuisse, quod eum perlaturum putasses: Sed tamen postquam literas tuas legi, Posthumia tua me convenit, &

Ser-

Servius noster. His placuit, ut tu in Cumanum venires, quod etiam mecum, ut ad te scriberem, egerunt. Quod meum consilium exquiris; id est tale, ut capere faciliùs ipse possim, quàm alteri dare. Quid enim est, quod audeam suadere tibi homini summâ auctoritate, summâq; prudentiâ? si, quid rectissimum sit quærimus, perspicuum est, si, quid maximè expediat, obscurum. Sin hi sumus, qui profectò esse debemus, ut nihil arbitremur expedire, nisi quod rectum honestumq; sit: non potest esse dubium, quid faciendum nobis sit. Quod existimas meam caussam conjunctam esse cum tua, certè similis in utroq; nostrûm, cùm optimè sentiremus, error fuit: Nam omnia utriusq; consilia ad concordiam spectaverunt. Quia cum ipsi Cæsari nihil esset utilius: gratiam quoq; nos inire ab eo defendendâ pace, arbitrabamur. Quantum nos fefellerit, & quem in locum res deducta sit, vides: Neq; solùm ea perspicis, quæ geruntur, quæq; jam gesta sunt, sed etiam qui cursus rerum: qui exitus futurus sit. Ergò aut probare oportet ea, quæ fiunt: aut interesse, etiamsi non probes: Quarum altera mihi turpis, altera etiam periculosa ratio videtur. Restat ut discedendum putem: In quo reliqua videtur esse deliberatio, quod consilium in discessu, quæ loca sequamur. Omninò cùm miserior res nunquam accidit, tùm ne deliberatio quidem difficilior: Nihil

enim constitui potest, quod non incurrat in magnam aliquam difficultatem Tu si videbitur, ita censeo facias: Ut, si habes jam statutum, quid tibi agendum putes, in quo non sit conjunctum consilium, cum meo, supersedeas hoc labore itineris; sin autem est quod mecum communicare velis: ego te exspectabo, Tu quod tuo commodo fiat, quamprimùm velim venias sicut intellexi, & Servio & Posthumio placere. Vale.

† IMITATIO HUIUS EPISTOLÆ, qua respondere conamur ei qui tempore aliquo periculoso, aut bello aut tumultu exorto nostram de instituendis rebus suis sententiam exquirit.

ACcepi tuas literas, quibus lectis malè amicum fecisse tuum intellexi; qui cùm rogatus abs te esset, me ipse ut conveniret, deque rebus omnibus certiorem faceret, per alios missis tuis literis discessit. Sed tamen paulò pòst quidam ad me amici tui venerunt, quibus placuit, ut certo aliquo in loco conveniremus: aut saltem ad te primo

quoq;

quoq; tempore ſcriberem. Quod meum conſilium exquiris: quid faciendum tibi eſſe exiſtimem: Equidem is ego ſum, qui vix mihi ipſi, nedum aliis conſulere poſſum. Tibi præſertim homini eâ, & doctrinâ & prudentiâ & experientiâ prædito, ut neque meo, neque cujuſquam alterius opus conſilio habeas. Quod ſi tamen hæc animo ſtat ſententia: ſic habeto. Si pietatem ſpectamus aut propoſitam honeſtatem habemus, res jam eſt explicata. Si quid conducat maximè quærimus: obſcura, intricata, difficilis. Sin tales ſumus, quales eſſe meritò debemus: ut nihil, niſi quod pium rectumque fuerit, utile eſſe ſtatuamus: quid faciendum, aut omittendum ſit, dubitare minimè poſſumus. Religionis, libertatis, juſtitiæ defenſione, gratiam & favorem ſeſe hominum conciliaturum, uter-

que noſtrûm ſperavit. Sed quàm ſpes iſta longè nos fefellerit: quem res ſint in locum deductæ: quis earundem curſus: Facilè intelligis, Intereſſe negotiis ſi cupis: Ea quæ fiunt, geruntur q; aut probes, aut improbes neceſſe eſt: Quorum illud turpe, hoc periculoſum: Utrumq; à verè prudentis alienum officio eſt. Reſtat igitur, ut aliorum curâ abjectâ, de nobis tantùm ſoliciti ſimus. Verùm & hæc ipſa deliberatio difficultatis non parum habet. Neq; enim boni cordatiq; eſt viri in tantâ rerum perturbatione atq; confuſione ſua ſolùm ſpectare: Trahantur nec ne pedibus cætera, ſuſq; deq; ferre. Et fieri plerumq; videmus, ut qui medii eſſe & quieſcere cupiunt, utrinq; premantur, idemque illis accidat, quod in media domus parte habitantibus evenire ſolet. Planè aqua, quod ajunt,

ajunt, hac mihi in re hæret: nec deliberatio unquam oblata fuit difficilior. Tu, si fortè coràm communicare toto illo de negotio volueris, id quod amicis placere tuis intellexi, locum mihi atq; tempus, quo conveniamus, designabis. Quod si verò certi jam quid constituisti; labore hoc supersedere facilè poterimus. Vale.

DE DISPUTATORIA *Epistola.*

DIsputatorium Epistolarum genus illud dicitur, quo proposita quæstione viri docti sententiam exquirimus: vel aliorum opinionibus expositis, quid nos sentiamus, ostendimus.

Cùm quæstione proposita alicujus sententiam audire desideramus.

In Exordio benevolentiam conciliare licebit, à laude eruditionis & humanitatis illius, ad quem scribimus: vel veniæ deprecatione, atq; excusatione modestâ.

Deinde quæstio & controversia ipsa proponenda est,

Pòst enumeratio diversarum opinionum & rationum, quæ utrinq; adferuntur, & dubios nos reddunt, instituenda.

Postremum rogandus ille, cui scribimus, ne suam nobis de quæstione & controversiâ propositâ, explicare sententiam gravetur: eidemq; grati animi memoria deferenda est.

In disputatoriis illis Epistolis, quibus aliorum expositis opinionibus, quæ nostra sit sententia, declaramus. Partes præcipuæ sunt duæ Narratio, quæ enumeratione diversarum opinionum, quæ in proposita quæstione reperiuntur, constat: Et Conclusio, quæ nostri judicij, sententiæque expositione, absolvitur. Nonnunquam Exordium etiam Ciceronis Epistolis præmittitur, ut in epistola proximè sequenti videre licet.

Exemplum disputatoriæ Epistolæ, observatum in Epist 23 lib. VII ad Fam. qua Cicero cum Trebatio de actione hæredis contra furtum ante hæreditatem commissum, disceptat. Cujus exordium, à circumstantiis & occasione agitatæ quæstionis sumptum est: Deinde controversia ipsa ponitur. Tùm auctores varii recitantur: Postremò Cicero suam sententiam aperit.

ILluseras heri inter scyphos, quod dixeram, controversiam esse, possetne hæres, quod furtum antea

antea factum esset, recte furti agere. Itaq; etsi domum bene potus, seroq; redieram: Tamen id caput, ubi hac controversia est notavi, & descriptum tibi misi: ut scires, id quod tu neminem sensisse dicebas, Sex. Ælium, M. Manlium M. Brutum sensisse. Ego tamen Scevola, & Testa assentior. Vale.

† *IMITATIO HVIVS Epistola.*

ILluseras proximo in colloquio, quod dixeram, inter ipsos Philosophos controversiam esse, possetne hac in vita certò aliquid sciri aut cognosci? Itaque etsi domum reversus alia negotia inveneram: tamen locos quosdam notavi, descriptosq; tibi misi: ut scires Herillos, Pyrrhonios, & Academicos maximè recentiores scientiam omnem è medio sustulisse. Ego tamen Platoni & Aristoteli assentior, qui ut sciri posse omnia, minimè asserunt: Ita sciri quoq, nihil verè negant: Cùm, ut alia nunc mittam, discen-

scendi ardorem restingui : Artes & disciplinas cunctas corruere ; legum honestatis omnis ruinam sequi necesse sit, si sciri à nobis nihil hâc posse in vita statuatur. Vale.

DISPVTATIONIBVS SER-*vientes formulæ.*

SI liberius tecum, quàm naturæ meæ moderatio vel etiam usus postulat, agere videar, quæso obtestorq; , ne id consvetudini meæ potiùs , quàm hujus disputationis magnitudini attribuere velis. Libenter enim, quæcunq; tribui dignitati fidei , auctoritati tuæ velis, concedam omnia: neq; committam,ut tuam sententiam propter singulare meum de animi tui præstantia judicium sprevisse videar, sed tamen sustinebis me quoq; aliqua in parte conformare eam, vel emendare : Non quo prudentiam tibi ostentem meam , sed ut ex me, quid alii sentiant, cognoscas.

Quanquam ego non ingrato animo : sed obstinatione quadam sententiæ à tuis dissentiam consiliis : Malo tamen prudentiæ hîc , quàm vel amicitiæ, vel consvetudinis nostræ jacturam aliquam facere.

Tuum mihi omninò quasi pro lapide Ly-

dio

dio judicium debet esse. Nam ut illo purum dignoscitur aurum ab adulterino, sic apud me de tua facilè sententia verum videtur posse falsumq; discerni.

Nec est, in quo tàm benè de propriis mihi studiis spondeam, quàm quod ita disputare soleo, de ambiguis, ut plus invento vero gaudeam, quàm victoriâ.

Quanquam autem abs te tantæ auctoritatis homine provocatio non est, tamen pro tuâ singulari humanitate quæso, benignè audias, quid ad ista respondeam.

Cupio & de cæteris quid sentias audire; tantò majorem tibi adhibiturus quotidiè gratiam, quantò ab erroribus me vel sæpiùs, vel liberiùs, vel postremò etiam severiùs vindicaveris.

Quod Plinium redarguis nostrum, in hoc ego ut liberè agam & amicè, longè à te dissentio. Nec autem verebor ejus viri patrocinium suscipere audacter, qui fuerit de vita & literis tàm præclarè meritus, præsertim adversus te, hoc est, adversus eminentem Philosophum, cui nihil veritate ipsâ debeat esse antiquius. De vestris enim illa sunt scholis; *Amicus Socrates, amicior veritas*, & idem: *Amici ambo, plus tamen habendum honoris veritati est.*

Hæc

Hæc habui, quæ tibi pro Plinio (veranè an falsa nescio: sed mihi tamen verisimilia) objicerem. Quæ si tibi doctissimo homini probabuntur, lætabor equidem. Sin minùs, exspecto jam quid ad hæc nostra qualiacunq; respondeas: Etenim cùm gravissima sit apud eruditissimum quemque Plinii auctoritas, aut non tentanda fuit, aut aliquando fortiùs, quàm certè adhuc fecisse videris, convellenda.

Hæc ego ad te liberè quidem, sed & amicè scripsi, mi Scala, non tàm meipsum videlicet asserens à risu tuo, quo equidem non offendor, quàm Hermolaum ipsum Barbarum leviter defendens, hominem seculi nostri eruditissimum, deq; literis & Philosophiâ, dum vixit, optimè meritum. Liceat autem mihi per te, quæ tua est in rebus omnibus animi æquitas, sentire aliud omninò in literis, quàm tu sentias, dum modò nulla inter nos amoris, hoc nomine benevolentiæq; mutuæ jactura fiat.

Si quis nos arguat hebetudinis & tarditatis, age amabo quicunque is est, pedem conferat.

Quorum sententiæ nec ego planè accedo, nec ingenuo cuiquam ac liberali accedendum puto.

DE

DE MANDATORIA Epistola.

MAndatoria illa Epistola appellatur, in qua potestati nostræ subjectis mandamus, ut, quæ volumus, primo quoque tempore expediant. Est hoc Epistolarum genus proprium Magistratuum, Parentum, Præceptorum, aut potestatem aliquam gerentium. Sed cùm illi per alios ut plurimùm scribant præcepta tradenda, brevitati hîc maximè studendum. Sunt præcidenda & rejicienda hîc multa: neque de argumentis multis cogitandum, cùm dominorum voluntas locum rationum suppleat.

Omnibus qui per literas aliquid mandaturi sunt, sive suo, sive alieno nomine id agant; tria potissimùm consideranda sunt: 1. *Quibus* imperetur: 2. *Quid* imperent: 3. *Quomodo* imperent?

Nam etsi omnibus benignè mansveteque imperandum est (omnes enim humanitati, quàm superbiæ potiùs obtemperant) ingenuis tamen & generosis animis mansvetiùs & consideratiùs imperandum est: spontè enim quæ agenda sunt, agunt.

Retinenda etiam est semper majestas Imperatoris, ne, cui præest subesse, aut quem cogere potest, rogare videatur.

In hoc genere, quod ad collocationem attinet, aut nullo, aut quàm breviſſimo Exordio utendum eſt: Id ſi res poſtulabit, ſumetur vel à ſcribendi occaſione, vel negotii, quod expediri volumus: vel occupatione, quâ diffidentiæ ſuſpicioni occurritur.

Deinde ipſum mandatum, aut directè, aut obliquè cum præteritione proponendum.

Tum rem, quæ imperatur, fieri poſſe: Imò etiam facilem, aut certè non difficilem, honeſtam præterea aut utilem, non ei qui imperat ſolùm; ſed ei quoq;, qui imperium ſuſtinet, & ſi poterit, etiam neceſſariam oſtendendum. Modus quoq; rei gerendæ, facultaſque præbenda: & quid ex ea re emolumenti vel laudis ſit uterque conſecuturus, aperiendum.

Tandem mandatum repetendum, & ut ſine mora & ſine tergiverſatione diligenter curetur negocium, monendum eſt.

Hæc ſæpè nihil artificii præter ſermonis elegantiam habet.

Prohibendi ratio non ſanè ab imperando multum diſcrepat. Quibus enim rationibus imperamus, iiſdem quoque prohibeamus neceſſe eſt. Sed prohibemus aſperiùs: & præmii loco pœnam ignominiamq; proponimus.

1 Exem-

† Exemplum mandatoriæ Epiſtolæ obſervatum lib. XVI. Epiſt. 24. ad Famil. qua Cicero Tironi maximè ſua negocia mandat. Exordium ſumitur ob occaſione ſcribendi. Narratio eſt de penſione extorquendâ. Poſteà per quandam tranſitionem monet de publicis negociis & de ſuo conſilio. In fine eſt brevis adhortatio.

ETſi manè Harpalum miſeram: tamen cum haberem, cui rectè darem literas, etſi novi nihil erat, iisdem de rebus volui ad te ſæpiùs ſcribere: Non quin conſiderem diligentiæ tuæ; ſed rei me magnitudo movebat. Mihi prora & puppis, ut Græcorum proverbium eſt: fuit à me tui dimittendi, quod rationes noſtras explicares; Ofilio atq; Aurelio utiq; ſatisfiat. A Flamma ſi non potes omne, partem aliquam velim extorqueas: Inprimisq; ut expedita ſit penſio Kalend. Ianuar. De attributione, conficies: de repræſentatione videbis. De domeſticis rebus hactenus. De publicis omnia mihi certa, quid Octavius, quid Antonius, quæ hominum opinio, quid futurum putes. Ego vix teneor, quin accuram, Sed literas exſpecto: Et ſcito Balbum tum fuiſſe Aquini, cum tibi eſt dictum, & poſtridiè Hirtium: puto utrumq; ad aquas Semas. Quid egerint Dolabellæ procuratores fac ut admoneantur, Appellabis etiam Papiam. Vale.

† *IMITATIO HUIUS EPISTOLÆ, qua ablegato à nobis famulo mandamus, ut commissa negotia diligenter & primo quoq; tempore expediat.*

Etsi paucos ante dies omnibus rebus prolixè ad te scripseram: Tamen cum certum hominem ad vos euntem nactus essem, denuò de iisdem ad te dare literas volui. Non quod de tua diligentia dubitem, quam hactenus ego probavi semper, sed quia rei me ita anxium solicitumque magnitudo reddit, ut, nisi ea expedita, tranquillo pacatoque esse animo nequeam. Quo ego consilio, quantisque te sumptibus ablegârim, non ignoras. Prora, quod ajunt, & puppis mihi fuit te ablegandi: ut & privatas res meas expedires: & de publicis me certiorem faceres. Creditoribus, ut primo quoq; tempore satisfiat, operam dabis. Ab iis, quorum no-

stris

ſtris in tabulis nomen exſtat, ſi non omnem, ſaltem aliquam partem extorquebis, neq; committes, ut tua nobis fraudi lenitas eſſe queat. Inprimis autem curabis, ut in nundinis noſtris proximis expedita ſit penſio. De rebus aliis privatis videbis. De publicis omnia mihi certa: Quid ex Italia, Gallia, Anglia ſcribatur quæ hominum de bellis opinio. Apud nos varia, ſine tamen capite & autore certo, ſparguntur. Ego niſi negociis impedirer, ipſe ad vos excurrerem, ſed noſti rerum mearum ſtatum & conditionem. Itaque totus in eo eris, & de omnibus, primâ quaq; oblatâ occaſione, certiorem me facias. Et debitores vel per procuratores noſtros admoneas, vel ipſe appelles. Vale.

MANDANDI FORMULÆ.

PRæſtare hoc ratione officii tu debes.

Non mediocris adhibenda eſt tibi cura, ut, &c.

Man-

Mandata mea pro tuâ fide diligentiâque cures.

Non minimam quidem moram interpones, quin quàm primùm jussa mea exsequaris.

Rem administrandam tibi sine ullâ morâ & confestim gerendam censeo. Ut præsens te multùm diuque admonui, cave quicquam meo injussu tentaveris.

Tu fac, ut quemadmodum soles, & æquum est, officio tuo fungare: Erit apud me diligentiæ tuæ præmium.

Curabis hæc & diligenter, & quàm primùm.

Quod facto tibi videbitur opus, id perinde, ac si ego auctor essem, exsequitor.

Si quâ in re sedulò tuo functus es officio, fac hoc in negocio omnem fidem, industriam, diligentiam, ingenium expedias.

Etsi ante dies non ita multos pluribus ad te quid fieri velim, scripserim; tamen in præsentia, oblato hoc tabellario, eadem mihi paucis repetenda putavi: Non quod tua apud me diligentia in dubium venerit: sed quia rei magnitudo me ita anxium solicitumq; reddit, ut, nisi ea expedita, tranquillo sedatoque animo esse nequeam.

Totus in eo eris, ut omnibus de rebus me quamprimùm certiorem facias.

Quid

Quid agas, & te acturum quid putes, facito me statim certiorem.

Fac sciam, quid agas, quod sine solicitudine summa nescire non possum.

Si quid erit, quod intersit me scire, perscribe ad me diligentissimè.

Quid futurum putes, ad me perscribas.

Quicquid erit in te industriæ, operæ, diligentiæ, virium, ad hanc rem conferes.

Dabis operam, quantum in te erit, pro eo quod in te erit, quantum in te positum, quantum vales, quoad potes, ut mihi primo quoque tempore à Demea satisfiat.

Summè conaberis, omni studio contendes, omnibus tùm animi, tùm corporis viribus enitéris, summo conatu adnitéris. Nullum studium prætermittes, toto pectore in hoc incumbes, ut honestissimæ parentum de te expectationi aliquando satisfacias.

Ages pro viribus, pro tuâ virili, pro virili, ut hoc propediem mihi effectum des.

Mandatorium epistolarum genus minimum abest à Petitorio: Mandamus enim cum auctoritate: Petimus ab iis, in quos nullum nobis mandandi jus est,

DE IVDICIALIS GENERIS Epistolis.

JUdiciale causæ genus id Rhetores dicunt, quod

quod in lite ordinandâ positum est. Hujus partes præcipuæ sunt duæ: *Accusatio* & *Defensio*, quibus partibus aliæ subsunt: Accusatio enim querelam, minas &c. Defensio, quæ ad easdem responsiones instituuntur, comprehendit.

DE ACCVSATORIA SEV *expostulatoria Epistola.*

ACcusatoria seu Expostulatoria illa epistola dicitur, quâ vel cum inimicis de illatâ injuriâ, vel cum amicis de neglecto officio expostulamus.

Accusamus illum, qui, quod promiserat, non præstitit: Item accusamus aliquem brevitatis Epistolæ, tarditatis, negligentiæ, intermissionis literarum: modestè tamen & ingeniosè. Accusamus illum, qui quod factum oportuit, non rectè fecit: Item qui nos vel nobis charos deseruit.

Cùm alium accusant docti, de aliové conqueruntur, caussas addere solent, lenissimis utentes verbis, cur mirentur, cur expostulent, cur illud rectè factum non sit: Illud solùm agentes, ut illud imposterum nolint fieri, magisq; soliciti videantur esse de futuro, quàm dolere de præterito.

Ideò aut petunt, aut hortantur, aut rogant,

ne posthac ea non faciat solùm, verùm etiam aliquâ virtute compenset.

Interdum nos etiam ipsi excusamus amicum, cur aliquid prætermiserit, omiseritve, vel non credentes, illum fuisse in caussa, vel errorem vitiumvé aliquo modo extenuantes.

Debet prætereà, qui alios reprehendit, omni vacare culpâ, ne illud fortasse occinatur Horatianum:

Cùm tua pervideas oculis mala lippus inunctus,
Cur in amicorum vitiis tàm cernis acutum?

Idcircò Cicero, cùm alicujus se suspectum esse rei arbitratur, diligenter se expurgat, factúmque suum cum facto illius, quem accusare paratus est, si opus est, comparat.

Collocatio in hujus generis epistolis hic institui potest. Nonnunquam à principio abrupto hîc exordiri convenit: quo statim & nostrum dolorem & rei atrocitatem indicemus. Id erit, si ab exclamatione aut dubitatione, aut ab aliâ figurâ, quæ modò ad rem quadret initium capiemus. Possumus etiam hîc, ut & in aliis Epistolarum formis, ab occasionis, & caussarum institutæ scriptionis expositione, incipere.

Deinde ipsam rem verisimili narratione explicabimus.

Mox probabilibus argumentis rem demonstrabimus: Eaque adferemus, quæ factum ipsum exaggerent, dignumq; expostulatione & reprehensione doceant: quia scilicet contra pietatem, leges, vel divinas, vel humanas, mores bonos, consvetudinem, promissa & facta commissum: neq; aut casu, aut errore, aut necessitate, sed datâ operâ atque studio commissum: Et commissum contra eum, qui vir sit bonus, non de aliis meritus malè, ob ætatem, doctrinam, prudentiam, auctoritatem colendus: & commissum ab eo, qui facere hoc minimè debeat: Possumus quoq; acceptorum & neglectorum officiorum contentione factâ illud ipsum exaggerare.

Postremò Epilogum subjiciemus: factum aut adhortatione, ne iterum amicus peccet, nevé inimicus, quàm amicus esse malit: Aut petitione, ut, quod neglectum, compenset, vel, quod perperàm factum, corrigat: Aut comminatione: aut excusationis & expostulationis mitigatione, & officii nostri pollicitatione.

Exemplum Expostulationis, observatum in 5. Epist. lib. V. ad Famil. qua Antonii ingratitudinem Cicero accusat. In cujus Exordio, caussas Cicero exponit, quibus adductus ad Antonium nunc scribat. Propositio

ſitiò expoſtulationem continet. In Confirmatione ab Antonio ingratè commiſſa bonorum virorum teſtimoniis, & acceptorum neglectorumq; beneficiorum collatione amplificantur. Concluſio comminatione, & adhortatione abſolvitur.

ETſi ſtatueram nullas ad te literas mittere, niſi commendatitias (non quod eas intelligerem, ſatis apud te valere; ſed ne iis, qui me rogarent, aliquid de noſtrâ conjunctione imminutum eſſe oſtenderem) tamen cum T. Pomponius, homo omnium meorum in te ſtudiorum & officiorum maximè conſcius, tui cupidiſſimus, noſtri amantiſſimus, ad te proficiſceretur, aliquid mihi ſcribendum putavi, præſertim, cum aliter ipſi Pomponio ſatisfacere non poſſem. Ego ſi abs te ſumma officia deſiderem, mirum nemini videri debeat; Omnia enim à me in te profecta ſunt, quæ ad tuum commodum, quæ ad honorem, quæ ad dignitatem pertinerent, pro iis rebus, nullam mihi abs te relatam eſſe gratiam, tu es optimus teſtis. Contrà etiam eſſe aliquid abs te profectum, ex multis audivi. Nam comperiſſe me non audeo dicere, ne fortè idipſum verbum ponam, quod ajunt à me ſolere proferri; ſed ea, quæ ad me delata ſunt, malo te ex Pomponio, cui non minùs moleſta fuerunt, quàm ex meis literis, cognoſcere. Meus in te animus quàm ſingulari officio fuerit, & Senatus & popu-

populus Rom. testis est: tu quàm gratus erga me fueris, ipse existimare potes: quantum autem mihi debeas, cæteri existiment. Ego quæ tuâ causâ anteà feci, voluntate sum adductus, ut facerem, posteaq; constantia. Reliqua verò, mihi crede, multò majus studium meum, majoremq; gravitatem & laborem desiderant: quæ ego si non profundere ac perdere videbor, omnibus meis viribus sustinebo: sin ingratum esse sentiam, non committam, ut tibi ipse insanire videar. Ea quæ sint, & cujusmodi, poteris ex Pomponio cognoscere, atq; ipsum tibi Pomponium commendo, ut quanquam ipsius causâ confido, te omnia esse facturum: Tamen abs te hoc petam, ut, si quid residet, in te amoris erga me, id omne in Pomponii negocio ostendas. Hoc mihi nihil gratius facere potes. Vale.

† *IMITATIO HVIVS EPISTOLÆ, qua cum amico de ἀχαριστίᾳ expostulamus.*

Etsi constitueram nullas ad te prorsus dare literas: quod valere apud te parùm eas scirem: Tamen cùm ad te viri aliquot proficiscerentur boni, & utriusque nostrûm amantissimi atq; cupidissimi, ali-

aliquid ad te ſcribendum mihi eſſe ſum arbitratus. Ego ſi quæ tua in me deſiderarem officia, non, opinor, malè facerem, aut in bonorum virorum reprehenſionem incurrerem. Quæ enim cunq; à bono veroque expectari amico poſſunt, ea pro virili præſtita à me tibi eſſe memini. Nihil profectò tuis me commodis atq; honoribus habuiſſe antiquius: tui nôrunt amici ac propinqui: Gratiam, quam mihi retuleris, ipſe ſcis. Sed quid de gratia ego nunc ſcribo, cùm etiam maleficiis mea te compenſare beneficia ex multis jam audierim? Nolo enim ſcribere compertum hoc exploratumq; habere, ne in idem levitatis crimen incidam, quod in te multi mecum viri boni reprehendunt. Quæ verò ſint illa, quæ ad me amici detulerunt, literis hiſce non committam: Ex aliis cognoſces, quibus

æquè atque mihi auditu illa gravia molestaq; extiterunt. Quàm tui ego amans extiterim semper, quàm de studiis senserim præclarè: Quàm ad hæc eadem provehenda promptus semper paratusq; fuerim, non amici modò & qui sanguinis te attingunt communione sciunt: sed alii quoq;, & quidem senatorii ordinis viri testes mihi erunt. Quàm tu interim erga me fueris gratus, & his & aliis pluribus cognitum est. Jam enim pervulgata res est, inque omnium ore versatur; Et tu ipse existimare poteris, si tua quædam in me cùm dicta, tùm facta in memoriam redigere volueris. Quæ tuâ causâ hactenus feci; primùm opinione quadam tuarum virtutum: Deinde amore: tùm constantiâ adductus feci. Sed quia ejusdem esse dementiæ ajunt, & in undis marinis sementem facere; & in homi-
nem

nem ingratum beneficium conferre; non committam, ut vel tibi vel aliis insanire videar. Interim illud tibi Plautinum occurrat velim: *Improbus est homo, qui beneficium scit sumere, & reddere nescit.* Ista ad te nunc cur scribam: ex iis, qui hasce meas tibi literas tradunt, cognoscere poteris. Quos etiam ita tibi commendo: ut quanquam ultrò facturum te omnia confido, tamen precibus meis abs te hoc contendam: ut si quid amoris in me tui adhuc est reliquum, illud omne in viris hisce optimis, nostrique amantissimis ostendas, atq; ita eos tractes, ut domum reversi apud me gratias agere tibi queant.

ACCVSANDI ET EXPOstulandi formula.

TU punctum temporis nullum vacuum peccato præterire passus es.

Hujus te suspicionis affinem esse ajunt.

Expertus ſum jam pridem tuam perfidiam, prodeundi tibi in publicum poteſtas negatur.

Totius familiæ, noſtriq; nominis famam tuis probris, flagitiiſq; violâſti.

Seditionis ſtimulator & concitator tu fuiſti.

Tibi nulla lex eſt, nulla religio, nullus exiſtimationis pudor, nullius apud te gravis auctoritas, nullum egregium exemplum, quod ſequi velles.

Tu in manifeſto maleficio teneris.

Præ cupiditate neq; officii tui, neq; periculi, neq; pietatis, neq; humanitatis rationem habuiſti unquam.

Quis contumacior, quis inhumanior, ſuperbior, acerbior, crudelior unquam fuit?

Tu quis ſis, non ſolùm vita; ſed etiam corpore atq; ore ſignificas.

Immenſa es aliqua vorago, gurges vitiorum, turpitudinumq; omnium.

Ita cæcus crudelitate & ſcelere ferris, ut cupiditatem tuam nulla unquam turpitudo retardârit.

Quæ nota turpitudinis non inuſta vitæ tuæ!

Quæ libido ab oculis, quod facinus à manibus unquam tuis, quod flagitium à toto corpore tuo abfuit? Incredibili ſcelere hoc ſcelus cumulâſti.

Tu is non es, ut te aut pudor à turpitudine, aut metus à periculo, aut ratio à furore revocet.

Usum vitæ, & mores tuos, omnes respuunt.

Homo ineptus es & loquax: sed tu tibi videris ita doctus, ut etiam magistrum aliorum esse te putes.

Verbis locupletem te facis, cùm tamen nihil præter impudentiam habeas.

Discipulos tuos dimidio stultiores reddis, quàm accepisti: Nihil apud te, nisi literarum ignorantiam, discunt.

Neminem adeò infatuare potuisti, ut tibi nummum ullum crederet.

Sermo tuus habet quandam volubilem & præcipitem celeritatem.

Prudentissimum atque optimum virum, splendidissimum atque ornatissimum civitatis suæ, probris omnibus maledictisque vexâsti.

Religionem tu omnem omni flagitio polluisti, dedecore maculâsti, scelere obligâsti.

Tu tuis vita, quam turpiter egisti, magnas offudisti tenebras: ut etiamsi fuerint egregii cives, certè venerint in oblivionem.

Sic ad nos omnes ferè deferunt, nihil, cùm absit iracundia, te fieri posse jucundius: sed

cùm te alicujus improbitas perversitasque commoverit, sic te animo incitari, ut ab omnibus desideretur humanitas.

Quid juvat alios docere, quid ornatissimis semper verbis de virtutibus loqui prodest, si te interim ipse non audias?

Tu eos, quos beneficio prosequi, pietate colere, veneratione suscipere atq; observare debebas, inauditâ crudelitate perdidisti.

Tu adolescentiam quam virtutis instituere præceptis ac tueri singulari prudentiâ atq; integritate debebas, ad summam stultitiam nequitiamque adduxisti.

Quem officiis tuis tueri ac colere debuisti, eum negligendo ingratus impiusque contempsisti.

Ciconiæ defessos ætate & senio languentes parentes in humeris deferunt; Cætera quoq; bruta animalia venerationem parentum non abjiciunt; Tu verò patrem, cui vitam, cui fortunas, cui dignitatem omnem debes, illiberaliter atq; impiè contemnis; & cujus solicitudine tot tantisque curis educatus, ab omniq; injuria fueris conservatus, eum necessitate intermori, cùm opem auxiliumq; ferre possis, sustines.

Nihil turpius, quàm eum, cujus plurimis & necessariis usus officiis sis, non solùm non colere, sed etiam contemnere.

Exi-

Existimaveram pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliata gratia, nec absentem ludibrio læsum iri me, nec Metellum fratrem ob dictum capite ac fortunis per te oppugnatum iri. Nunc video illum circumventum, me desertum, à quibus minimè conveniebat. Te tàm mobili in me meosq; esse animo non sperabam.

Antonii tanta est non insolentia, sed immanitas, non modò ut vocem, sed ne vultum quidem liberum possit ferre cujusquam.

Vix adduci possim, ut credam, quod mihi de te ab auctoribus alioquin minimè vanis adfertur. Est enim & à mea de te existimatione, & à tuis moribus pristinis longè alienum.

Antonius tibi diem dicit, & sponsorem appellat: Non enim præstas, quod receperas.

Ego verò tibi vehementer etiam irascerer, qui toties tàm accuratè monitus à nobis non auscultâris: nisi parùm esset humanum, irasci calamitoso.

Arcanum, quod nuper tibi commisi, utpotè ei, quem nihil unquam celare solebam, id audio jam prolatum in lucem, quotidiè ad plures serpere. Te rumoris hujus auctorem esse necesse est, quando ipse mihi sum consci-

us, cum nemine illud præter te unum mortalium communicâsse. Quod si falsò est mihi obnunciatum, est quod vehementer gaudeam. Malim enim in illis vanitatem accusare, quàm in te amici fidem desiderare: sin verè, haud te dignum fecisti. Quid enim tàm perfidum, quàm amicorum arcana prodere? Res est non tàm expostulatione, quàm acri reprehensione digna. Sed nondum de tua fide diffido. Tu fac hoc scrupulo me quàm primùm leves.

Carior mihi es, quàm ut tibi possem irasci. Sed tamen vehementer & miror & doleo, quòd contempto meo consilio & fideli & salutari, in tantum periculum teipsum conjeceris.

Tantus in te meus est amor, ut nullâ exhauriri possit injuriâ: sed tamen non commoveri non possum.

Absolvi non potes, ne Cicerone quidem patrono, in culpa tam manifesta.

Hæc ad te scripsi liberiùs, fretus conscientiâ officii mei, benevolentiâq; quam à me certo judicio susceptã, quoad tu voles, conservabo.

ACCVSANDI LITERARVM intermissarum formulæ.

BReves tuæ literæ, breves dico, imò nullæ, tribusné versiculis his temporibus Brutus

ad

ad me? Nihil ſcripſiſſem potius; & requiris meas: Quis unquam ad te tuorum ſine meis venit? Quæ autem epiſtola non pondus habuit?

Omnia enucleatè ad te ſcripſi, ſed me illa cura ſolicitat angitque vehementer, quod dierum jam ampliùs decem intervallo nihil à te, nihil à Cæſare, nihil ex iſtis locis, non modò literarum, ſed ne rumoris quidem affluxit.

Nimium rarò nobis abs te literæ afferuntur, cùm & multò tu faciliùs reperias, qui Romam proficiſcantur, quàm ego, qui Athenas. Et certiùs tibi ſit me eſſe Romæ, quàm mihi, te Athenis: Itaque propter hanc dubitationem meam brevior hæc epiſtola eſt, quod cùm incertus eſſem, nolebam illum noſtrum familiarem ſermonem in alienas manûs devenire.

Jam pridem nullas abs te accipio literas: Ego verò binas ad te dedi eodem exemplo, de quibus nihil addubito, quin alteræ ſaltem ſint redditæ, quæ erant benè longæ, & multis de rebus, quas ipſe, nî fallor, cupiebas cognoſcere.

Etſi magnam mihi putem fieri injuriam, quod tot epiſtolis provocatus, nihil reſponderis: Humanius tamen eſſe duxi, peccare offi-

officio, quàm silentio rependere injuriam.
Audi igitur, optime Tondi, in quo statu res meæ sint.

Puto te jam suppudere, cùm hæc te tertia jam epistola antè oppressit, quàm tu schedulam aut literulas ad me. Sed non urgeo: Longiores enim exspectabo, vel abs te potiùs exigam.

Irascor, & graviter irascor, quod à te jam literæ nullæ. Exorare me potes uno modo, si nunc saltem plurimas & longissimas miseris: Hæc mihi sola excusatio vera, cæteræ falsæ videntur.

Demiror te jam diu nihil scribere, neque enim opinor te sic occupatum, ut non vacaris, neq; tàm fortunæ successu elatum, ut veteres congerrones fastidias.

Expectanti mihi abs te quotidiè literarum aliquid, sæculum penè præteriit, & multæ ad te scribendi occasiones è manibus elapsæ, dum aliquid semper puto suscepturum, cui responderem.

Tu licèt mutus sis: ego tamen non desinam frequentibus tibi epistolis obstrepere, & te amabo, si me contempseris etiam.

Quod tàm diu nihil ad me scribis, mi *Schelgere*, non irascor tibi: Irascerer tamen, si fas esse crederem.

Doleo

Doleo tibi chartam deesse: si ejus inopiâ ad me & rariùs scribas & breviùs.

Sæculum mihi exisse videtur, humanissime *Haslere*, quod nihil abs te redditur.

Video te occupatissimum esse, qui ad quaternas meas literas non responderis.

Nimis diu jam videor mihi à te literas exspectare. Quod si nihil habes, quod ad me scribere necesse sit, saltem inter nos mutuam veteremq; benevolentiam taciti conservemus. Sin offensus es proximis meis literis: quæ tecum liberiores fuerunt, quæso tu concedas hoc naturæ ac libertati meæ

Si *Fidlerum* meum non nôssem, suspicarer me illi excidisse, quia non scribit: Nunc verò de tàm cognito atq; explorato amico tantum metuo, ne quid aliter agat, quàm velit: Quia jam pridem nihil audio. Est enim amor mirè meticulosus. Tu igitur scribe, quo mihi hunc timorem adimas.

Jam pridem nihil abs te accipio, quod non contigit sine magna mea solicitudine, non quod exciderim tibi: Nihil enim minùs est mihi abs te metuendum; sed ne incommodiore valetudine impediaris: Tu si me amas, exime mihi hanc curam, seu anxietatem veriùs si non crebris literis, certè crebrâ salutatione, per eos, qui proficiscentes huc, te convenerint.

Re-

Responsio ad Accusatoriam seu Expostulatoriam epistolam, ex cujus institutione ratio scribendi epistolas Excusatorias, seu Apologeticas, & Deprecatorias plenissimè percipitur.

In accusationis seu expostulationis responsione quadripartita consideratio est: Aut enim id, cujus causâ accusamur, nos neque dixisse, neque fecisse dicimus: Aut rectè nos fecisse dixisséve rationibus honestis comprobamus: Aut rem ipsam extenuamus: Aut deniq; peccatum nostrum aliorumvé, quorum causâ scribimus, planè aperteque confitemur, idq; ut nobis, vel aliis ignoscatur, supplices petimus.

Cùm id de quo expostulatio instituitur, negare volumus, ne quidem illud cujus nos causâ alii reprehendunt, nobis in mentem, ut faceremus vel diceremus venisse: Non potuisse nos odisse vel oblivisci amicum, quia eum nemo odio prosequatur, quia optimè de nobis meritus, quia nemo nos instiget, ut hoc vel illud maleficium committamus: Exiguam utilitatem, vel nullam potiùs; imò damni plus, quàm emolumenti inde nos percepturos fuisse, asseremus. Nec temporis nos satis, nec locum opportunum, nec occasiones rei gerendæ habuisse, ostendemus: Ita vitam hactenus instituisse, ut nulla improbitatis,

in-

invidiæ, odii, nequitiæ; verùm benevolentiæ, morum, probitatis, vitæ integræ plurima in nobis deprehensa vestigia fuerint. Nos etiam optimorum virorum testimoniis evincere posse, tale à nobis dictum factumvé esse nunquam. Deniq; petemus ne rumoribus, præsertim si capite illi auctoreq; caruerint, temerè fidem habeat. Memor illius : *Qui citò crediderit, falletur sæpè.*

Cùm verè non negare aliquid: sed ut rectè factum defendere placet, ostendemus; *Primò* honestum, justum & æquum esse id, quod in nobis reprehenditur, conjunctum etiam cum utilitate, vel privatâ, vel publicâ illius, qui nobiscum expostulat. *Deinde* judicia doctorum ac prudentum proferenda : Sententiæ & auctoritates sacræ scripturæ, Philosophorum, Poëtarum, aliorumvé scriptorum producendæ: Leges depromendæ : Exemplis denique utendum : Propterea quod exemplis, quæ fiunt, rectè fieri judicantur: Maximè si illa hominum probatorum & præditorum auctoritate extiterint. Gravem nobis non fuisse illam accusationem, sed gratam potiùs, cùm ab amico animo, à prudenti, à fideli venerit.

Quoties autem id, quod nobis objicitur, non simpliciter ut rectè factum, defendendum:

dum: sed utcunq; excusandum est: demonstrabimus, non consultò, non odio aliquo, non nocendi studio, non aliâ simili de caussâ rem esse commissam, verùm aut imprudentiâ, aut casu, aut necessitate, aut fortunâ adversâ. Difficultates quoq; & impedimenta colligenda, quæ nobis obstiterint, quò minùs ea, quæ erant facienda præstaremus: Hæc à personis, locis, temporibus, instrumentis, ignorantiâ, orationis paupertate, occupationibus, morbis, periculis, sumentur.

Quandoq; non crimen: sed culpam à nobis amovemus, in aliumq; hominem vel in quampiam rem conferimus: Sæpè comparatâ caussâ dicimus, necesse fuisse alterum facere, & id, quod fecerimus, satius fuisse: *E duobus enim malis, cùm fugiendum majus sit, minus est eligendum.*

Ingenui tamen hominis est, pro loco & tempore rem non modò fateri: sed petere etiam, ut sibi ignoscatur, & polliceri, se negligentiam, jacturam temporis, non præstita beneficia, & reliqua id genus, assiduâ diligentiâ, multo labore, curâ, studio, & amore, vel cum fœnore compensaturum. Perquam festiva tamen & venusta habetur excusatio, cùm eodem crimine amicum condemnandum esse dicimus, quo nos vel condemnat, vel condemnare posset.

Huc

Huc pertinet, cùm vel non accusati excusamus nos, rationésq; in medium afferimus, cur aut aliquid fecerimus, dixerimusve, aut amicum hortati ad aliquid fuerimus.

Utputa, cùm semel atq; iterum, vel sæpiùs aliquem eidem commendas, viderisq; illius liberalitati, cui scribis diffidere: tùm enim causas, quamobrem id facias, explicabis.

Postremò, cùm ita sese res habet, ut excusationi locus non sit, peccatum confitebimur, & ut venia tribuatur, orabimus, quam ut faciliùs impetremus, nos lapsos esse ætate, imprudentiâ, errore, nunc primùm, antehac tale quid nunquam, perpetrâsse: nos, seu illum, pro quo scribimus, in magno mœrore versari, præ pudore domo pedem non efferre: timere omnia, & non mediocrem ob admissam culpam dolorem præ se ferre: polliceri emendationem: ipsum delictum ejusmodi non videri, ut tàm acrem expostulationem mereatur. Ostendemus, æquum & honestum esse, ut imprudentiâ lapsis venia detur: maximè, si ignosci sibi petant, atq; meliora deinceps promittant: pænè, quod *Seneca* ait, *innocentem esse eum, quem peccâsse pæniteat*; labi humanum esse: & neminem tàm lynceum, quin aliquando offendat. Exempla quoque proferenda eorum, quibus simili in caussa,

aut

aut etiam majori, data venia fuerit: Atque etiam ejus, qui nunc nobiscum expostulat. Ubi maximè DEI exemplum valet, qui gravissimè offensus, misso tamen Filio hominibus ignovit, & adhuc quotidiè benefacit.

Deniq; ejus, quem placare voluerimus, lenitatem clementiamq; laudabimus, & ex antecedente probitate hominis, qui peccavit, spem bonam illi faciemus, ut ipsi supplicanti veniam impertivisse non pœniteat.

Collocatio in hujusmodi responsionibus sic instituenda, ut *Exordium* constet aut significatione doloris, ex amici accusatione percepti: ac reprehensione institutæ expostulationis: aut excusatione silentij & intermissionis literarum, aut occasione scribendi: aut obtestatione: aut execratione.

Pars altera complectetur aut negationem facti: aut defensionem absolutam, aut remotionem & translationem culpæ in alias personas, & in imprudentiam, in fortunam, in necessitatem in occupationes, in ætatis imbecillitatem.

Pars postrema absolvatur aut testificatione amoris & benevolentiæ, aut eorum, quæ amicus requirere videtur, pollicitatione, aut mitigatione & excusatione acerbitatis in respondendo adhibitæ; aut petitione, ut

bonam

bonam in partem, quod factum, amicus interpretetur: suspicionibus depositis optima quæque sibi de nobis polliceatur: non temerè fidem adhibeat iis, quæ deformandi gratiâ à malevolis adferuntur: sed Agesilaum, & Alexandrum imitatus, puram & obstructam quoq; aurem absenti relinquat: nec minùs reprehendentium, quàm reprehensorum vitam & mores consideret.

Exemplum lenis & modestæ responsionis ad accusationem, seu expostulationem, observatum in Epist. 1. lib. II. ad Fam. quâ Curioni se Cicero purgat: à quo ob literarum raritatem accusatus fuerat. Cujus Exordium significationem doloris ex Curionis accusatione percepti continet. Pars altera purgatione, partim negatione, partim remotione facta, constat. Postrema pars præcisione & rejectione longioris excusationis & officii in scribendo pollicitatione constat.

QUanquam me nomine negligentis suspectum tibi esse doleo: tamen non tàm mihi molestum fuit, accusari abs te officium meum, quàm jucundum requiri. Præsertim cum in quo accusabar, culpâ vacarem; in quo autem desiderare te significabas meas literas, præ te ferres, perspectum mihi quidem illum, sed tamen dulcem & optatum

amorem tuum. Equidem neminem prætermisi, quem quidem ad te perventurum putarem, cui literas non dederim. Etenim quis est tàm in scribendo impiger, quàm ego? A te verò bis, terve ad summum, & eas perbreves accepi. Quare, si iniquus es in me judex: condemnabo eodem ego te crimine. sin me id facere noles, te mihi æquum præbere debebis. Sed de literis hactenus: non enim vereor, ne non scribendo te expleam: præsertim si in eo genere studium meum non aspernabere. Ego te abfuisse tam diu à nobis & doleo, quod carui fructu jucundissimæ consvetudinis tuæ: & lætor, quod absens omnia cum maxima dignitate es consecutus: quodque in omnibus tuis rebus, meis optatis fortuna respondit. Breve est, quod me tibi præcipere meus incredibilis in te amor cogit; tanta est exspectatio vel animi vel ingenii tui, ut ego te obsecrare, obtestarique non dubitem, sic ad nos confirmatus revertare, ut quam exspectationem tui concitâsti, hanc sustinere ac tueri possis. Et quoniam meam tuorum erga me meritorum memoriam nulla unquam delebit oblivio: te rogo ut memineris, quantæcunque tibi accessiones fient & fortunæ & dignitatis, eas te non potuisse consequi, nisi meis puer olim fidelissimis atque amantissimis consiliis paruisses. Quare hoc animo in nos esse debebis, ut ætas nostra jam ingravescens in amore atque in adolescentia tua conquiescat. Vale.

† IMI-

† IMITATIO HUIUS *Epiſtolæ.*

ETſi doleo, ob literarum me raritatem atq; infrequentiam accuſari: Tamen non tàm hoc mihi grave moleſtumq́; extitit, quàm gratum cognoſcere, memoriam adhuc te mei tenere. Idq́ue eo fuit mihi gratius, quod de quo expoſtulationem mecum inſtitueras, in eo culpâ me vacare omni ſcirem. Ego tuæ familiæ ſplendorem, uti debui, magnifeci ſemper: Teipſum ob doctrinam ſingularem, autoritatem ſummam, incredibilem humanitatem, egregias virtutes alias colui: propter plurima maximaq́; beneficia non Patroni modò; verùm etiam parentis loco habui. Eadem adhuc mea eſt voluntas, & erit, quamdiu lucis hujus frui uſurâ contigerit: neq; illa, vel temporis diuturnitate, vel locorum interval-

lis, vel re ullâ aliâ immutabitur. Qua de re, quia propter silentium subdubitare videris, quæso æquum te præbeas: neque suspiciones te meque dignas parùm, aut concipias ipse, aut suscitatas ab aliis foveas, atq; confirmes. Literas tu meas requiris, equidem quoties fuit, cui rectè tutòque eas dare possem: sine illis ad te ire neminem sum passus. Sed non notum illud mihi semper esse potest: quando ad vos quisque proficiscatur. Deinde non, opinor, ignoras, cujusmodi esse tabellarii nostri soleant, qui ad scribendum spacium concedunt nullum; petasati accedunt: aut ad portam à comitibus, aut domi à suis, vel a-fiis, à quibus ablegati, expectari se se clamitant: ut saltem literas sese petiisse affirmare queant: nisi etiam inaurati fuerint, easdem vel ei, qui primò sese offert, tradunt: vel in pro-

proximum flumen projiciunt. Huc accedit, quod eo sum ingenio prædirus, ut non temerè literas scribam, nisi quid offeratur, quod aut me scribere, aut eos, ad quos scribo, scire necesse sit: Præsertim si docti illi, aut publicis districti negociis fuerint. Quanquam, cùm, quoties ad me scripseris, cogito; non sanè video; quomodo meam in scribendo reprehendere negligentiam possis. Bis aut ter ad summum, easq; admodum breves literas à te accepi: ut, vel hoc nomine, æquum te mihi facilemque futurum minimè dubitem. Sed utut sit: quia istud officii genus non displicere tibi video: operam dabo sedulò, ut scribendo te expleam: &, vel cum argumento vel sine argumento literas ad te mittam. Vale.

Exemplum acerbioris responsionis ad accusationem, observatum in Epist. 28. lib. VII. ad Fam. quâ ad capita accusationis Galli cujusdam Cicero ita respondet, ut se extra culpam, illum verò accusatione dignum demonstret. Cujus Exordium reprehensione institutæ accusationis constat, mox objecta refutantur crimina. Conclusio adhibitæ in reprehendendo acerbitatis caussam, & mitigationem continet.

Miror, cur me accuses, cùm tibi id facere non liceat, quod si liceret: tamen non debebas, Ego enim te *(inquis)* in Consulatu observaram. *Et ais fore, ut te Cæsar restituat. Multa tu quidem dicis, sed tibi nemo credit. Tribunatum plebis dicis te mea caussa petiisse. Vtinam semper esses tribunus: Intercessorem non quæreres. Negas me audere, quod sentiam dicere. Quasi tibi, cùm parùm prudenter me rogares, parùm fortiter responderim. Hæc tibi scripsi, ut isto in genere, in quo aliquid posse vis, te nihil esse cognosceres. Quod si humaniter mecum questus esses, libenter tibi me & facilè purgâssem: non enim mihi ingrata sunt, quæ fecisti, sed, quæ scripsisti, molesta. Me autem propter quem cæteri liberi sunt, tibi liberum non visum demiror. Nam si falsa fuerunt, quæ tu ad me, ut ais, detulisti, quid ego tibi debeo? sin vera, tu es optimus*

testis,

testis, quid mihi populus Romanus debeat. Vale.

† *IMITATIO HVIVS EPISTOLÆ, qua amico respondemus, qui de ingratitudine, & injuriis nostris expostulationem per literas instituit.*

MIror, cur per literas mecum expostules: & quidem ita expostules acerbè, cùm nec habeas, de quo verè accusare me possis: nec si haberes, ita mecum agere debebas. Quid enim est, quod tantam tibi in nasum bilem concivit? Tuæ, inquis, fortunæ autor solus extiti: Fore, ais, brevi, ut tuo rursus auxilio consilioq; indigeam: Multa addis alia, quæ tamen nemo, aut perquam pauci credunt: quia longè rem se habere aliter, nôrunt. Sed sint sanè, quia ita vis, tua in me promerita neq; nulla, neq; parva; quâ obsecro in re ingratum me es aut immemorem expertus? Quid est,

quod non, quantum quidem per tenuitatem fieri meam potuit, abundè tibi sit concessum? Negas audere me in promovendis iis, quos caros acceptosq; habes, offendere alios. Quasi verò, non rogatus, ultrò sese quis, sine impudentiæ suspicione, inferre queat: Aut major ejuscemodi in rebus gratiæ atque amicitiæ, quàm publicæ utilitatis sit ratio habenda. Nihil ego jam ad reliqua accusationis tuæ capita respondeo. Teipsum quæso paulisper collige: locum non affectibus: sed rationi & consilio relinque: superioris temporis memoriâ acta recole: Audi amicos & propinquos tuos, & quàm justè honesteque me accuses, facilè intelliges. Sed nimirum hoc me natum sydere video: ut in vitæ meæ cursum, licèt obscurum, veluti scopum aliquem, conjectos oculos malevoli habeant.

Qui-

Quibus tamen aut aures accommodare, aut fidem habere temerè, alienum ab amicitiâ, contrarium pietati, repugnans gravitati est. Quod si certare cum istis hominibus criminationibus vellem, næ haberem, quæ illis, & verè objicerem. Verùm hic *Gelo* mihi ille apud Herodotum placet, qui monet, ne convitiis, quasi in Symbolo congestis, respondeamus. Probatur & *Socrates*, qui ab amico admonitus, ut calumniatori responderet, *num, inquit, asinus te si calcitraret, calce eum rursus percuteres?* Et sanè hac ipsa in responsione, libenter me tibi facilem præbuissem, si paullò tu mecũ humaniùs egisses. Neq; enim de te ego unquam, nisi summo cum honore sum locutus. Neq; in optatis quicquam habui magis, quàm ut meam tibi fidem, gratique animi probare memoriam possem, neque

reprehendi unquam, quæ gessisti: sed quæ scripsisti nuper, laudare omnia non potui. Si enim vera fuerunt ea, quæ tu mihi aliquando tribuisti: cur nunc ita exagitas? si falsa, quid tibi quæso debeo? Itaque æquiorem deinceps te mihi exhibebis. Quod si verò aliorum obtrectationibus irritatus, renuntiare planè mihi amicitiam volueris: Officii mei benevolentiæque fretus conscientiâ, non sanè multum laborabo. Idq; Agamemnonis usurpabo: πάρ' ἔμοιγε καὶ ἄλλοι, μάλιστα δὲ μητίετα ζεύς. Vale.

EXemplum Deprecationis, observatum apud *Plinium* Epist. 22. lib. IX. ad Sabinianum. Hæc insigne, & imitatione dignum Deprecandi (cujus nullum adeò illustre in Ciceronis Epistolis ad Fam.) exemplum continet.

Libertus tuus, cui succensere te dixeras, venit ad me, advolutusq; pedibus meis tanquam tuis hæsit, flevit multùm, multùm rogavit, multùm etiam tacuit. In summa, fecit mihi

mihi fidem pœnitentiæ. Verè credo emendatum, quia deliquisse se sentit. Irasceris, scio; & irasceris meritò. Id quoque scio. Sed tunc præcipua mansvetudinis laus, cùm iræ caussa justissima est: amâsti hominem, & spero amabis. Interim sufficit, ut exorari te sinas. Licebit rursus irasci, si meruerit: quod exoratus excusatius facies. Remitte aliquid adolescentiæ ipsius, remitte lacrymis, remitte indulgentiæ tuæ: ne torseris illum, ne torseris etiam te: torqueris enim, cùm tâm lenis irasceris. Vereor ne videar non rogare, sed cogere, si precibus ejus meas junxero. Jungam tamen tantò pleniùs & effusiùs, quantò ipsum acriùs, severiusque corripui, districtè minatus, nunquam me postea rogaturum. Hoc illi, quem terreri oportebit: tibi non idem: Nam fortassè iterum rogabo, iterum impetrabo, sit modò tale, ut rogare me, ut præstare te deceat. Vale.

ACCVSATIONI RESPONdendi formula.

QUod me sæpè accusas, cur hunc meum casum tàm graviter feram, debes ignoscere.

Nihil equidem feci, cur me tàm graviter accuses. Quare velim nihil sinistri de me

suspiceris. Non te decet calumniæ fidem habere, & mendaci famæ: *Belli enim mater est Calumnia.*

Jam etiam graviùs accusas, quàm patitur tua consvetudo.

Accusasti me per literas gravioribus verbis, quàm tua consvetudo ferebat.

Lenissimis, amantissimis verbis utens, te graviter accusas.

Nos aliquando objurgare desine.

Tu me, ut facis, operâ, consilio, gratiâ juva. Consolari jam desine: objurgare verò noli.

Hæc eò scripsi, ut potiùs relevares me; quàm ut castigatione aut objurgatione dignum judicares.

Ad omnia accipe, & cognosce quæso æquitatem expostulationis tuæ.

Quod me scribis rationibus tuis obstare, sic velim existimes, nihil me unquam aut contra rem tuam, aut existimationem fecisse, voluntatemque tuam commodis meis omnibus anteposuisse: sed tamen in communibus nostris negotiis conficiendis magis secutum fuisse, quod fides me, & dignitas publica ut facerem, coëgit, quàm tua, quæ mihi non mala, sed nimia visa est cupiditas.

Si ea fuisset studii mei suffragationisque liber-

libertas, qua ante hoc tempus usus semper fui, non desiderares ullum in te officium meum vel benevolentiam: nunc verò cùm unius hominis crudeli ambitione omnia sint impedita, neq; quidquam quod ad te pertineat, hoc tempore confici possit, ignosces solicitudini meæ.

Suspicio quædam significatur in tuis literis & dubitatio tua, de qua alienum tempus est mihi tecum expostulandi; purgandi autem mei necessarium: Ubi enim ego cuiquam legationi fui impedimento, quo minùs Romam ad laudem tuam mitteretur? &c.

Scribis ad me te existimâsse, pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliata gratia; nunquam te à me ludibrio læsum iri, &c.

Quod autem ita scribis, pro mutuo inter nos animo: quid tu existimes esse in amicitia mutuum, nescio: equidem hoc arbitror, cùm par voluntas accipitur, & redditur.

Quod scribis de reconciliata nostra gratia, non intelligo, cur reconciliatam esse dicas, quæ nunquam immutata est, &c.

Quod scribis non oportuisse Metellum ob dictum à me oppugnari: Primùm hoc velim existimes, animum mihi istum tuum vehementer probari, & fraternam, plenam humanitatis ac pietatis, voluntatem, &c.

Hæc volui per literas, ut haberes, quod diceres, si quando in vituperatores meos incidisses.

In quo si peccat, magis ineptiis, quàm improbitate peccat.

Tibi gravissimo atq; integerrimo viro rationem mei facti probabo.

Qui possum sermones iniquorum effugere ?

Præmium dignitatis, quod majoribus meis semper detulistis, miror cur mihi denegetis. Non sum beneficii hujus obtrectator, aut virtutis hostis, aut laudis invidus.

Me unum vis ferum præter cæteros, me asperum, me inhumanum existimari ? me singulari immanitate & crudelitate præditum : cum tamen natura me misericordem esse voluerit.

Me hujus criminis nemo unquam insimulavit.

Equidem vehementer lætor, eum esse me, in quem tu, cùm cuperes, nullam contumeliam jácere potueris. Nemo mihi unquam hoc objecit, etiam cùm multi mihi inviderent.

Sapientissimi homines interdum etiam lapsi sunt.

Adeò

Adeóne nobis alienus à sanitate, adeò oblitus constantiæ meæ videor?

Nemini injustè periculum creavi, nemini innocenti calamitatem.

Nihil feci unquam, quod contra illius existimationem esse vellem.

Illud quidem scio, meos multos & illustres labores, & ex superiore, & ex æquo loco sermones habitos, cùm tua summa laude, & cum magna significatione nostræ familiaritatis, ad te verè potuisse deferri.

Hoc verò, ex quo suspicio nata est, me exquisivisse aliquid, in quo te offenderem, translatitium est.

Quod si essem eâ perfidiâ, quâ sunt ii, qui in nos hæc conferunt: Tamen eâ stultitiâ certè non fuissem. Ut aut in obscuro odio apertas inimicitias, aut in quo tibi nihil noceret, summam ostenderem voluntatem nocendi.

Si me virum bonum, si dignum iis studiis, eaq; doctrinâ, cui me à pueritia dedi, si satis magni animi, non minimi consilii in maximis rebus perspectum habes; Nihil in me non modò perfidiosum & insidiosum, & fallax in amicitia: sed ne humile quidem aut jejunum debes agnoscere: Sin autem me astutum & occultum libet fingere, quid est quod minùs

cadere in ejusmodi naturam possit, quàm florentissimi hominis aspernari benevolentiam?

Nec in te (ut scribis) animo fui mobili, sed ita stabili, ut in mea erga te voluntate, etiam desertus ab officiis tuis permanerem.

Bis ad te scripsi, me purgans diligenter, te leviter accusans in eo, quod de me citò credidisses.

Adeoné me injustum esse existimâsti, ut tibi irascerer, quod parùm mihi constans & nimium cupidus discedendi viderere, ob eamque causam me arbitrarere literas ad te jamdiu non misisse. Mihi perturbatio animi tui, quam primis literis perspiciebam, molestiam attulit: Neq; alia fuit ulla causa intermissionis literarum, nisi quod, ubi esses, planè nesciebam.

Conscius mihi eram, nihil à me commissum esse, quod boni cujusquam offenderet animum.

Amabo te, mi frater, ne si uno meo facto & tu & omnes mei corruistis, improbitati & sceleri meo potiùs, quàm imprudentiæ assignes: nullum est meum peccatum, nisi quod iis credidi; à quibus nefas putâram esse me decipi, aut etiam quibus ne id expeditè quidem arbitrabar; intimus, proximus, familiarissi-

rissimus quisq; aut sibi pertimuit, aut mihi invidet.

Opinionem falsam de me in vestris mentibus concepistis, quam ratio ipsa labefactabit, & veritas extorquebit.

Non consvevi homines asperius appellare, nisi lacessitus. Ego à luxuria & levitate sum remotissimus.

Ego non modò à facto, verùm etiam à conscientiæ suspicione abfui. Istius facti non modò non suspicione, sed ne infamiâ quidem sum aspersus.

Quem bonorum non colui? cujus fortunæ dignitatique non cessi? Versatus in intima familiaritate potentissimi hominis, atq; præclarissimi, neminem unquam aut re, aut verbo, non vultu deniq; offendi.

Quid dictum à me cum contumelia? quid non moderatè? quid non amicè?

Quo auctore ista proferuntur? unde ista erumpunt?

Quod si toties sim tibi literis purgandus, quoties illi falsò insimulabunt, & ego scribendo, & tu legendo defatigaberis.

Libet ex universo hominum contubernio in extremas fugere solitudines, quoties illorum hominum mores in mentem veniunt, qui ad hoc unum se natos arbitrantur, ut

ut alienam innocentiam, ſua putida mendaciq; lingua contaminent.

Ais te feciſſe amico animo; ſed meâ quid refert, utrum me amicè jugules, an inimicè?

Scio te, quæ facis, optimo animo facere. Quid enim mihi exploratius eſſe poteſt, quàm animus tuus erga me? Sed tamen, ut ingenuè dicam, quod ſentio, videris mihi quædam facere, non auſim dicere inconſultiùs, virorum prudentiſſime non dicam inimicè, vir ſinceriſſimæ fidei; ſed tamen parùm circumſpectè.

Quid ergò iſtis maledicentiſſimis nebulonibus, qui noſtræ benevolentiæ invident, ac ſemper aliqua commiſcuntur, quò eam vel exſtinguant, vel diminuant, imprecer, niſi ut penitus obmuteſcant?

Quod mandata tua ita ut tu juſſeras, & ego receperam nondum peregi: facultas mihi hactenus defuit, non voluntas.

Et ipſe mallem, & tu promeritus es, ut officio potiùs, quàm purgatione apud te uterer, niſi utrique noſtrûm fortuna mea invideret.

In hoc tibi Jovem lapidem jurare non dubitem, me inſciente facta omnia.

Sanctè tibi dejero, vel juranti crede.

LITE-

LITERARUM SILENTIUM *excusandi formulæ.*

DE literarum intermissione sine causa abs te accusor: nunquam enim ab ullo certior factus sum, esse, cui literas dare possem: Porrò autem neq; mihi accidit, ut haberem, qui ad te proficisceretur.

Quod tàm longo temporis intervallo nihil ad te dederim literarum, excusationem accipe, non peccati, sed silentii. Pudet quidem me tam diu nihil tibi scripsisse: sed profectò, si scias, quantis hìc distinear occupationibus, facilè habeas silentio meo veniam.

Quod tanto tempore intervallo nihil ad te dederim literarum, nec veteris meæ ergà te observantiæ benevolentiæq; memoriam renovarim, non meâ negligentiâ neq; adeò oblivione mutui nostri amoris: sed potiùs pudore quodam accidit.

Puto tibi molestum jam esse silentium meum, at mihi silentij causa longè molestior: nam toto ferè biennio neq; corpori valetudo, nec animo quies contigit: Ita, qui absentes amicos literis saltem colere consvevi, jucundissimam mihi consvetudinem intermittere, & in officii cursu languere sum coactus. Quod si tibi fidem mea non facit affirmatio, testes

testes habeo, &c. Hanc excusationem probari à te cupio, nec omninò despero.

Etsi pudet me post diuturnam cessationem nunc ad te scribere: Tamen non dubito, quin pro tua in amore constantia, meæ, si qua fuit, negligentiæ, benignus interpres sis futurus, præsertim cum nihil esset privati, quod scriberem: Publica verò omnia copiosè ab aliis ad te perscribi non ignorarem.

Longum intervallum est, cùm literas ad te dedi nullas, quod accidit non remissione observantiæ in te meæ, nec oblivione virtutis, humanitatis, & benevolentiæ erga me tuæ; sed quia multis & molestis occupationibus impeditus, alia quoq; officia permulta deserere coactus sum.

Diu est, quod nihil ad te dedi literarum, non oblivione amicitiæ nostræ: sed quod cum nihil haberem, quod scriberem, tuâ lectione dignum, nullas volui potiùs, quâm inanes esse meas literas. Nunc verò cùm se mihi occasio, & propè necessitas quædam obtulerit scribendi ad te, libenter hac opportunitate usus sum.

Non oblivione amicitiæ nostræ, neq; intermissione consvetudinis meæ, superioribus temporibus ad te nullas misi literas.

Non ea res me deterruit, quò minùs literas

ras ad te mitterem, quod tu ad me nullas miseras: sed quia nec quid tibi pollicerer, nec quid consolationis reperiebam. Hæc quanquam nihilo meliora sunt, tamen inanes esse meas literas, quàm nullas volui.

Quod epistolæ tuæ non responderim, mi Celse, non voluntas in caussa fuit, quæ est erga te, ut potuisti cognoscere, profectò summa: sed valetudo adversa mea, quæ per ingentes dolores tùm corporis tùm animi vires valdè afflixit. Neq; nunc scriberem, nisi vererer, ne quid tu de immutata mea erga te voluntate secus suspicarére, quàm res habet, & ego vellem: Cupio enim ut intelligas, me in ratione ista amicitiæ paria tecum facere, & tantoperè amantem non mediocriter redamare.

Non ausus fui dare ad te antehac quicquam literarum, quod, cùm res non esset ulla digna, quæ scriberetur, inanem sermonem literarum tibi injucundum fore putavi.

Jam diu est, cùm ego ad te nihil literarum dedi, quod accidit non oblivione tui meâ, neque pigritiâ aut negligentiâ nostrâ, sed quod ipse meis occupationibus impeditus; dubitans de tuis, veritus sum, ne mea sedulitas forsitan tibi molesta esset, si te à gravioribus & sanctioribus curis, inanium lectione

lite-

literarum avocâssem, etsi inanes epistolæ nunquam esse solent, quæ ut aliud nihil afferant; testes tamen sunt amoris, & conservatæ optimæ voluntatis. Verùm hoc testimonium neq; ut ego arbitror, tu à me desideras, neq; ego abs te requiro; Satis enim nostra vetus constansq; amicitia testimonii utriq; nostrûm præbet, esse nos inter nos, quales esse debemus, amicissimo animo videlicet & constantissimâ voluntate conjunctos.

Etsi ratio officij mei postulabat, ut post tuum à nobis discessum crebras ad te literas darem, quibus & de rebus publicis, & de privato rerum statu, fieres certior, nescio tamen quo pacto factum esse dicam, ut cùm dies nullus esset, quo non id facere cogitarem, omnes tamen re, ut ita dicam, infectâ elaberentur. Cùm verò tandem me diuturni silentii suppuderet, constituissemq; omninò imposterum ejusmodi negligentiæ maculam epistolarum frequentiâ delere, repentè redditus est mihi à te fasciculus.

LITERARVM RARITATEM *excusandi formulæ.*

SI fortè rariùs tibi à me, quàm à cæteris literæ redduntur, peto à te, ut id non modò non negligentiæ meæ, sed ne occupationi

qui-

quidem tribuas: quæ etsi summa est: tamen nulla esse tanta potest, quod interrumpat iter amoris nostri & officii mei.

Ego ad te propterea minùs scribo sæpè, quod certum non habeo, ubi sis, aut ubi futurus sis? Huic tamen, nescio cui, quòd videbatur is te visurus esse, putavi dandas esse literas.

Puto te existimare, me nunc oblitum consvetudinis & instituti mei rariùs ad te scribere, quàm solebam: Sed cùm loca & itinera tua nihil habere certi viderem, nemini, nisi ad te proficiscenti dedi literas; neq; enim eæ sunt epistolæ nostræ, quæ si perlatæ non sint, nihil ea res nos offendat.

Meas literas quid requiris? Impedior inopiâ rerum, quas nullas habeo literis dignas, quippe cui nec quæ accidunt, nec quæ aguntur, ullo modo probentur.

Nollem te existimare aut negligentiâ fieri meâ, aut oblivione nostræ veteris amicitiæ, ut raras ad te dem literas: Non enim ea caussa fuit, sed quod, &c.

Quod nihil literarum ad te dedi, non id quidem causæ fuit, quod scribendi argumento destituerer, quo planè abundabam: sed quod, &c.

Non committam posthac, ut me accusare

de

de epistolarum negligentia possis, tu modò videto in tanto ocio, ut mihi par sis.

Miraris, amice, quod non scripserim; mirari desine, jam scribo: & si placet, Laconicus Laconico respondebis.

Si quid haberem, quod ad te scriberem, facerem id, & pluribus verbis & sæpiùs: Nunc quæ sint negotia vides.

Ad te ideò rariùs scripsi, quòd non habebam idoneum, cui darem, nec satis sciebam, quod ad te scriberem.

Nolim me putes oblivione tui rariùs ad te scribere, quàm solebam.

Vereor ne literarum à me officium requiras, quas tibi & jam pridem & sæpè misissem, nisi quotidiè lætiora, quæ ad te scriberem, exspectarem.

Jam diu nihil literarum ad te dedi, quod cùm non haberem fermè quid scriberem (quæcunque enim hîc agerentur, ad te perscribi à tuis sciebam) nolui te inanibus literis meis obtundere.

Segniorem me facit ad scribendum non oblivio tui, sed quod me deterreant epistolarum *vestigia, omnia te adversum spectantia, nulla retrorsum.*

Quod raras adhuc misi ad te literas, scito rationem esse habitam à me occupationum tua-

tuarum. Hac enim solùm impedior verecundiâ, ne te sæpiùs interpellem, quamobrem tu nobis aliquam debes gratiam.

Non oblivione mutuæ benevolentiæ nostræ rariùs ad te do literas, quàm forsitan usus veteris nostræ conjunctionis postulet: sed pudore quodam id fit potiùs, quod vereor, ne tuis gravioribus curis intempestiviùs obstrepam.

Quod pristinam meam scribendi consvetudinem intermissam miraris, nihil est quod suspiceris mali: Neque enim, ut semper fui, tui amantissimus esse vel desino, vel esse desinam, *dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus.*

Cùm longo locorum intervallo disjuncti simus, per literas tecum loqui cuperem: Quod si rariùs fiet, quàm tu exspectabis: Id erit causæ, quod non ejus generis meæ sunt literæ, ut eas audeam cuivis temerè committere.

Diu est, quod destitimus inter nos missitare literas: Neque enim inveteratæ amicitiæ tanta conjunctio talem operam ullam aut oblectamentum requirebat: Nec fuére alia, de quibus esset opus alterum nostrum ab altero certiorem fieri.

Cum me vides præter institutum meum lite-

lite-

literas ad te non tàm sæpè, quàm solebam, mittere, nimirùm etiam me tacente, quàm sim occupatus, intelligis. Ternas te dedisse scribis, omnes accepi. Nihil amabilius, nihil etiam elegantius.

Ego ad te rariùs solitô do literas, quod non dubitem, te & negociis occupatum, & gravitate valetudinis defessum minùs libenter ad exercitium hoc scribendi epistolas venire, sed nec amicitia nostra fulcimentis illis indiget, quibus vulgares permultæ. Rogo te etiam atque etiam, ut posthac, quoties mihi scribes, quemadmodum & corpore & animo sis affectus, paucis verbis significes.

LITERARUM TARDITATEM *excusandi formula.*

MIraberis, & quidem non injuriâ, responsum à me literis tuis multò serius, quàm tu fortassè desiderabas, & ipsæ literæ tuæ meritò postulabant. Id cur ita evenerit, paucis accipe. Iturus erat isthuc Vulturius noster &c.

Non licuit mihi id, quod vehementer optavi, aut celeriùs aut uberiùs ad te scribere, quod adversâ valetudine mensem ampliùs afflictatus, in hunc usque diem convalescere adhuc omninò non potui.

Tuis

Tuis literis, menſe Januario ex urbe datis, quod adhuc non reſponderim, juſta hæc apud te erit excuſatio, quod minùs commodè valui.

Literas tuas accepi: tabellarium, cui dederas, non vidi: Sin ſtatim non reſponderim, omnem in illum culpam refundendam putato.

Decreveram ſcribere ad te, verùm intervenére, neſcio quæ, quæ mihi hoc propoſitum excuterent.

Diſtuli tuis reſpondere literis, quod exiſtimavi fore, ut præſens præſentem amplecteretur.

Non eſt quod ſuccenſeas nobis, ſi aliquantò tardiores fuerimus in ſcribendo, multa fuére impedimenta.

Noli mirari, ſi tuis ſanè jucundis mihi & ſvavibus literis ſeriùs reſpondi, quàm æquum fuit.

Epiſtolæ tuæ, quæ mirificam mihi attulit voluptatem, nondum reſpondi, occupatus in nihil agendo, & ita aſſvefactus deſidiæ, ut qui olim ad omnia ſolebam mihi otium facere, ipſe nunc negotiis negotia opponam, ficta utiq; & opinione animi mei ſimulata, ut vera ac ſeria excludam.

Noli admirari, ſi & meâ & tuâ exſpectatio-

ne feriùs hasce dedi ad tuas amicissimè atque humanissimè scriptas literas: Morbo impeditus satisfacere officio non potui, quo tamen levari jam video. Itaq; ut primùm facultatem nactus sum, non commisi, ut diutius desiderares à me hoc officium.

Vulgare est, ut qui feriùs paulò ad amicorum literas respondeant, nimias occupationes suas excusent: Ego verò, qui minùs maturè rescripserim non tàm culpam confero in occupationes (quanquam ne ipsæ quidem defuerunt) quam in acerbissimum potiùs hunc dolorem, quem mihi patrui mei obitus attulit.

Allatæ sunt mihi tuæ literæ aliquantò feriùs, quàm dierum ratio postulabat: quibus in literis facilè amorem erga me & memoriam veteris nostræ consvetudinis recognovi: Sed quò minùs ad eas celeriter responderim, publica negocia, quæ nos hic anxios & solicitos habent, aliquandiu retardârunt.

LITERARUM BREVITATEM *excusandi formulæ.*

PRæposteros habes tabellarios, etsi me quidem non offendunt: tamen cùm à me discedunt, flagitant literas, cùm ad me veniunt, nullas offerunt: Atque idipsum facerent com-

commodiùs, si mihi ad scribendum aliquid spatii darent: Sed Petasati veniunt, comites ad portam exspectare dicunt.

Pluribus verbis ad te scriberem, si aut tua humanitas longiorem orationem exspectaret: aut id fieri nostra amicitia pateretur: aut res verba desideraret, ac non pro se ipsa loqueretur.

Sed ad te brevior in scribendo incipio fieri, dubitans Romæne sis, an jam profectus sis? Quod tamen quoad ignorabo, scribam aliquid potiùs, quàm committam, ut tibi cùm possint reddi à me literæ, non reddantur, nec tamen jam habeo, quid aut mandem tibi aut narrem.

Vereor ne putidum sit scribere ad te, quàm sim occupatus: sed tamen ita distinebar, ut vix huic epistolæ tempus habuerim, atque id ereptum è summis occupationibus.

Tàm multum est, quod scribam, ut nec initium inveniam nec exitum: propter hanc dubitationem meam brevior hæc epistola.

Copiosissimam ad te scribere epistolam gestiebat animus, nî & otium deesset, & propediem vos ipse visere decrevissem.

Pluribus tecum verbis agere non licet, ita multis distrahor curis: Unum hoc: Cratonius &c.

Ad literas tuas mihi longè gratissimas tribus verbis respondebo, velut occupatissimus.

Nihil unquam accidit mihi, mi Frater, tuis literis mellitius: ad quas, si breviter respondeo, facilè tu quidem ignosces, si scias, quantis studiorum laboribus pænè confectus sim, à quibus simul atq; dabitur otium, scribam epistolas alias super alias.

Exspectanti mihi quotidiè à te literas, Thorus noster, subitò denunciavit, ut ad te scriberem, si quid vellem. Ego verò, etsi quod scriberem, non habebam, inanem autem sermonem literarum, tibi injucundum esse sciebam, brevitatem secutus sum te magistro.

Nimium raro nobis abs te literæ referuntur, cùm & multò tu faciliùs reperias, qui Romam proficiscatur, quàm ego qui Athenas, & certiùs tibi sit, me esse Romæ, quàm mihi, te Athenis. Itaq; propter hanc dubitationem meam, brevior hæc epistola est, quod cùm incertus essem, nolebam illum nostrum familiarem sermonem in alienas manûs devenire.

Quòd non perinde ac debeam tuis eruditissimis literis responderim, velim æstimes nullâ id negligentiâ meâ factum esse: sed occupationibus his, quibus necessariò distineor,

neor, in maximo ut ſcis munere perfungendo: quo fit, ut frequenter, &c. eam ob rem ignoſces & cunctationi & brevitati mearum literarum, quando iiſdem de cauſis, quibus in hanc deveni tarditatem, adhuc impedior, ne longior ſim. Jam verò illud, quod abs te rogatus ſum, faciam ſedulò ac perlibenter.

LITERARUM BREVITATEM excuſandi in calce earum formula.

PRoperantibus tuis tabellariis alienis hanc epiſtolam dedi, eò breviorem etiam, quod eram miſſurus meos.

Brevitas tuarum literarum me quoq; breviorem in ſcribendo facit; & verè ut dicam, non ſatis occurrit, quid ſcribam.

Longior fuiſſet epiſtola, niſi eo ipſo tempore petita eſſet, cùm jam iretur ad te.

Scribam ad te pluribus aliàs, cùm plus otij nactus ero.

Oro, obſecro, ignoſce; non poſſum plura ſcribere.

Hæc ſcripſi feſtinans, ſubitò, raptim, raptiſſimè, ex tempore, pluſquam ex tempore.

Cùm plus otii nactus ero, uberiores à me literas exſpectato.

Breviloquentem jam me tempus ipsum fecit.

Brevitate temporis tàm pauca cogor scribere.

Habes Epistolam plenam festinationis & pulveris.

Plura scriberem, si jam putarem te libenter legere posse.

Sum brevior, quòd, ut spero, coràm quæ volumus, brevi conferre licebit.

Quid prætereà scribam non habeo, & eram in scribendo conturbatus.

Pluribus ad te scriberem, ni mihi dolor facultatem mentis ademisset.

Pluribus verbis tecum agerem, nisi pro me res ipsa loqueretur.

Scribentem me hæc, nunc cœna, nunc alia multa interpellant.

Ignosces brevitati mearum literarum: nam celeriter unà futuros nos arbitror.

Plura me ad te de hac re rescribere pudet; ne videar amicitiæ nostræ diffidere.

LITERARVM LONGITVDINEM excusandi sub finem earundem formulæ.

HAbes epistolam verbosiorem fortassis, quàm velles: quod tibi ita videri putabo, nisi mihi longiorem remiseris. Ego, si, quæ vo-

volo, expediero, brevi tempore te, ut spero, videbo.

Longiùs me provexit dulcedo quædam tecum loquendi: sed jam finem faciam, ne modum, quem etiam orationi adhibendum puto, excedam.

Hæc scripsi ad te pluribus verbis, quàm soleo, non otii abundantiâ: sed amoris erga te, quo me quadam epistolâ invitàras.

Velim mihi ignoscas, quòd tanta harum prolixitate te pænè obtundam: otiabar jam enim & tuas volebam elicere.

Longior fui in his literis, ac putavi me fore; sed svavitate consvetudinis tuæ, & studio tecum colloquendi ve[illegible]us sum, longiùs fortasse, quàm debebam.

Hæc amore magis impulsus scribenda ad te putavi, quàm quod arbitrarer te monitis & præceptis meis egere.

Hæc ad te scripsi paulò fusiùs, quàm par est, ut, &c.

Hæc ad te scripsi fortasse pluribus verbis, quàm necesse fuit, benevolentiâ magis adductus, quàm quòd res ipsa postularet.
Sed hæc satis multa, vel plura potiùs, quàm necesse fuit; facit autem non loquacitas mea: sed benevolentia longiores epistolas.

Sed jam modum, aut finem potiùs scriben-

di faciam : Modum enim epistolæ jam diu multumq; excessi : Valebis igitur.

Sed provehor longiùs, quàm volebam, & charta me deserit, ut vides, tecum svavissimè colloquentem. Fac igitur valeas.

Sed jam ultra metas epistolam porrigo, dum tui amore mei ipsius oblitus rapior. Vale igitur, & nos, ut soles, dilige.

Sed de his quoq; satis. Extremum est, ut te orem, ut me tui amantissimum diligas absentem, & cùm opus erit, tuo patrocinio protegas ac tueare. Vale.

DEPRECATIONIS formula.

ABsque pero, ut mihi hoc ignoscas, & me existimes humanitate esse prohibitum, ne contra amici summam existimationem, miserrimo hoc tempore venirem : cùm is omnia sua studia & officia in me contulisset. Quòd si voles in me esse durior, ambitionem mihi putabis obstitisse. Ego autem arbitror, etiam si id sit, mihi ignoscendum esse, *θεῖον γὰρ ἀγαθὸν ἡ τιμή*: id est, *divinum enim bonum honor.*

Nunquam putavi fore, ut supplex ad te venirem; sed herclè facilè patior datum tempus, in quo amorem experirer tuum. Atti-

cum

cum quanti faciam scis. Amabo te, da mihi & hoc: obliviscere meâ caussâ, illum aliquando suo familiari adversario tuo voluisse consultum, cùm illius existimatio ageretur: Hoc primùm ignoscere, est humanitatis tuæ. Suos enim quisq; debet tueri. Deinde, si me amas, omitte Atticum Ciceroni tuo, quem quanti facias, præ te soles ferre. Totum hoc, ut, quod semper existimavi, nunc planè intelligam, me à te multùm amari.

Orat, confitetur, purgat, pœnitet. Quid quæris? *quod factum est, infectum fieri non potest.* Non tàm tibi hoc factum displicet, quàm ipsi, qui fecit. De reliquo futurum illum emendatum ego in me recipio: meo periculo pro illo fidejubeo. Si rursum peccaverit, vel me ipsum ad supplicium deposcito. Ut jure peccanti succensebas, ita pœnitenti æquum est ignoscere, præsertim puero, & alienâ malitiâ ad delictum impulso. Non quid hujus stultitia: sed quid tua clementia postulet, tibi considerandum puto. Eja ne nimium durus sis pater. Nihilne tu peccas vel senex? & puero nihil vis condonare? Vin' tuos continuò senes nasci? Adeoné excidit, qualis istâ in ætate fueris?

Si quid in te peccavi, ac potiùs quoniam peccavi, ignosce. In me enim ipsum peccavi vehementiùs.

Erravi, temerè feci, pœnitet: Ad clementiam tuam confugio; Delicti veniam peto ut ignoscas oro.

Tantum mihi dolorem cruciatumque attulerunt errata ætatis meæ, ut non solùm animus à factis: sed aures quoq; à commemoratione abhorreant.

Castigabat quidam filium suum quod paulò sumptuosiùs equos & canes emeret. Huic ego juvene digresso, heus tu nunquamne fecisti, quod à patre corripi possit? Fecisti dico, non interdum facis, quod filius tuus, si repentè pater ille, tu filius, pari gravitate reprehendat? Nonné omnes homines aliquo errore ducuntur; non hic in illo sibi, in hoc alius indulget? Hæc tibi admonitus immodicæ severitatis exemplo, præ amore mutuo scripsi, ne quando tu filium tuum acerbiùs duriusq; tractares. Cogita & illum puerum esse, & te fuisse: Atq; ita hoc, quod es pater, utere & memineris hominem te esse, & hominis patrem. Vale.

Ignoscas oro, fer opem; qui spem dare innocenti, qui dolore justo moveri, qui caussæ æquitate adduci soles: Moveat tua te misericordia, flectat pietas, alliciat humanitas: in commiserationem deniq; adducat, cùm sortis humanæ miseræ & semper incertæ, tùm communis casus recordatio.

Oro atq; obſecro, fave innocentiæ, ſubve-ni ſolicitudini. Quæſo abs te, ut aliquam dolori meo veniam tribuas, & mecum contra eos pugnes, qui humanitatem opprimunt, virtutem lædunt, induſtriæ ſunt inimici.

Vos imploro atque obteſtor judices, ut ſi omnes meæ curæ, vigiliæ, cogitationeſq; ad communem civium ſalutem, innocentiſſimorumque hominum defenſionem laboraverint, ſi hunc miſerum afflictum, & infelicem reum cùm acerba fortunæ invidia, tùm pertinax certorum hominum odium oppreſſerit: ſi anteactæ vitæ dignitas & præclara in Rempub. merita ad culpæ deprecationem plurimùm ſemper valuerint, ut quæ mea in hoc defendendo fuerit fides, eadem veſtra in hoc abſolvendo miſericordia ſit atq; pietas.

Veſtræ erit miſericordiæ atque pietatis, judices, levare hunc miſerum afflictum, & in falſa invidia verſatum reum, jacentem atque iniquis criminationibus oppreſſum, ad ſpem ſalutis erigere atque excitare: favere voluntati optimorum hominum, quos hîc ſupplices & multis lacrymis hujus rei culpam non ſtudio, ſed caſu admiſſam deprecari intelligitis.

RESPONSIO AD PVRGATIOnem seu Excusationem.

AD excusationem responsio adeò modesta erit, ut rem non aliter nos accepisse dicamus, quàm ipse vel fecerit, vel dixerit. Ideò si quis se excusat, cur vel sæpè eodem exemplo, vel rariùs scribat, & hujusmodi, accipiemus excusationem, qua usus est, ex ea parte, quæ ad scribentis honorem spectat.

Si modestiæ causâ dicat, vel pauperem se esse orationis, vel indoctum, vel aliquid simile, id nunquam concedere, nostræ etiam est modestiæ, vel potiùs humanitatis.

Dicemus aliquando justam & idoneam esse excusationem; Id tamen ne sæpiùs faciat, rogabimus, rationesq; subjiciemus. Et demum assiduitate potiùs literarum, aut aliquâ aliâ re explendum esse officium, quàm excusatione, ostendemus.

Quod si Excusatio minùs probilis videtur, inveniendæ sunt rationes, quibus modestè ostendamus, non esse accipiendam, admonebimusq;, ut majorem imposterum aut utilitatis, aut honoris sui, aut commodi aliorum rationem habeat.

Hæc tamen omnia ita scribenda sunt, ut ad virtutes potiùs bonosque mores amicus inflammetur, quàm ad ullam provocetur iram.

In

In Deprecationibus initiò culpæ confessionem laudare poterimus, & eâ nos maximè impelli dicemus ad ignoscendum. Cupere nos quantum in nobis est, nemini prorsus irasci, neminem punire: sed aliorum delictis à mansvetudine nostra ad justissimam iram aliquando traduci, imò potiùs trahi.

Nihilominus semper apud nos valuisse illam ad ignoscendum, quàm istam ad puniendum, nec nos tàm aliorum injuriis lædi, quàm summissione placari.

Pollicebimur, si ita se imposterum gesserit, ut promiserit, nos illum multò cariorem habituros.

Licet interim Deprecationibus acerrimè respondere.

Exemplum responsionis ad purgationem, observatum in Epist. 4. lib. IV. ad Fam. qua Cicero Sulpitio, literarum excusanti raritatem & silentium, respondet: atq; ita respondet, ut purgationem partim admittat, partim improbet ac rejiciat. Deinde illius conditionem præ sua evehit. Scribit præterea de benignitate Cæsaris erga Marcellum, & cæteros: ut Servium à reditu non deterreat, monet: illum & filium laudat ejus. Mista est epistola.

ACcipio excusationem tuam, qua usus es, cur sæpiùs ad me literas uno exemplo dedisses; sed accipio ex ea parte, quatenus aut negligentiâ aut improbitate eorum, qui epistolas accipiunt, fieri scribis, ne ad nos perferantur. Illam partem excusationis, qua te scribis orationis paupertate (sic enim appellas) iisdem verbis epistolas sæpiùs mittere, nec agnosco, nec probo. Et ego ipse, quem tu per jocum (sic enim accipio) divitias orationis habere dicis, me non esse verborum admodum inopem agnosco (εἴρωνα δ' εἶναι enim non necesse est) sed tamen idem (nec hoc εἰρωνευόμενος) facilè cedo tuorum scriptorum subtilitati & elegantiæ. Consilium tuum, quo te usum scribis, hoc Achaicum negotium non recusavisse, cùm semper probavissem, tùm multò magis probavi lectis tuis proximis literis; omnes enim causæ, quas commemoras, justissimæ sunt, tuâq; & auctoritate, & prudentiâ dignissimæ. Quod aliter cecidisse rem existimas, atq; opinatus sis, id tibi nullo modo assentior; Sed quia tanta perturbatio & confusio est rerum, ita perculsa & prostrata fœdissimo bello jacent omnia, ut is cuiq; locus, ubi ipse sit, miserrimus esse videatur; Propterea & tui te consilii pœnitet, & nos, qui domi sumus, tibi beati videmur; At contrà nobis, non tu quidem vacuus molestiis, sed præ nobis beatus. Atq; hoc ipso melior est tua, quàm nostra conditio, quod tu, quid doleas, scribere audes:

des: Nos, ne quidem tutò possumus: Nec id victoris vitio, quo nihil moderatiùs: sed ipsius victoriæ, quæ civilibus bellis semper est insolens. Vno te vicimus, quod te Marcelli collegæ tui salute paulò antè, quàm tu, cognovimus: Etiam mehercule, quod quemadmodum ea res ageretur, vidimus. Nam sic fac existimes, post has miserias, id est, postquam armis disceptari cœptum est de jure publico, nihil esse actum aliud, cum dignitate; Nam & ipse Cæsar accusatâ acerbitate Marcelli (sic enim appellabat) laudatâq; honorificentissimè & æquitate tuâ & prudentiâ, repentè præter spem dixit, se senatui roganti de Marcello, ne hominis quidem caussâ negaturum. Fecerat autem hoc senatus, ut, cùm à L. Pisone mentio esset facta de Marcello, & cùm C. Marcellus se ad Cæsaris pedes abjecisset, cunctus consurgeret, & ad Cæsarem supplex accederet. Noli quærere; Ita mihi pulcher hic dies visus est, ut speciem aliquam viderer videre quasi reviviscentis Reip. Itaq; cùm omnes ante me rogati gratias Cæsari egissent, præter Vulcatium (Is enim, si eo loco esset, negavit se facturum fuisse) ego rogatus mutavi meum consilium; Nam statueram non mehercule inertiâ: sed desiderio pristinæ dignitatis, in perpetuum tacere. Fregit hoc meum consilium & Cæsaris magnitudo animi, & senatus officium. Itaq; pluribus verbis egi Cæsari gratias: Meq; metuo, ne etiam

in cæteris rebus honesto otio privârim. Quod erat unicum sôlatium in malis. Sed tamen, quando effugi ejus offensionem, qui fortasse arbitraretur, me hanc Rempub. non putare, si perpetuò tacerem: modicè hoc faciam, aut etiam intra modum: ut & illius voluntati, & meis studiis serviam. Nam etsi à prima ætate me omnis ars & doctrina liberalis, & maximè Philosophia delectavit: Tamen hoc studium quotidiè ingravescit, credo & ætatis maturitate ad prudentiam, & his temporum vitiis, ut nulla res alia levare animum molestiis possit, à quo studio te abduci negociis intelligo ex tuis literis: sed tamen aliquid jam noctes te adjuvabunt. Servius tuus vel potiùs noster, summa me observantia colit, cujus ego cùm omni probitate, summaq; virtute, tùm studiis doctrinaq; delector. Is mecum sæpè de tua mansione aut decessione, communicat. Adhuc in hac sum sententia, nihil ut faciamus, nisi quod maximè Cæsar velle videatur. Res sunt ejusmodi ut si Romæ sis, nihil te præter tuos delectare possit. De reliquis nihil melius ipso est. Cæteri & cætera ejusmodi, ut, si alterutrum necesse sit, audire ea malis, quàm videre. Hoc nostrum consilium nobis minimè jucundum est, qui te videre cupimus; sed consulimus tibi.

Vale.

† IMITATIO HUIUS Epistolæ.

ACcipio excusationem tuam, qua usus es, cur rariùs ad me hactenus scripseris: sed propterea accipio, quod non negligentiâ quadam aut amicitiæ nostræ oblivione: sed tabellariorum, cùm penuriâ, tùm improbitate factum illud esse scribis. Illam autem excusationis tuæ partem, qua non facilè adductus, & publicis districtus negotiis literas te dare inanes affirmas; Nec agnosco, nec probo. An quicquam obsecro, vel summis gravissimisque in occupationibus accidere mihi posse jucundius existimas, literis ab amicis missis, quas ego, dum lego, ipsos mihi compellare videor. Possuntné verò inanes atq; jejunæ ab eo literæ exspectari, qui ab ingenio est præclarè instructus, probè paratus à doctrina, viris literatis ac pru-

prudentibus familiaris : In urbe deniq; eâ nunc vivit, in quâ, præter studia, multa quotidiè notatu relatuq; digna, & audit, & videt? sed subodorari me existimo, quid anxium te maximè solicitumque reddat. Nihil nisi perfectum ab ingenio, politum doctrinâ, elaboratum industriâ, scribi à te oportere existimas. Non equidem istud improbo. Sed esse etiam negligentiam quandam diligentem nosti, quę non ingrata esse viris doctis solet. Neq; ad amicos literas dum exaramus, curâ est & solicitudine magnâ opus: Cùm etiam ipse Cicero quodam in loco in Epistolis plebejo sese cum amicis agere sermone fateatur. Itaq; ejus, quod discedens mihi recepisti memor, quod tandem cunq; in mentem venerit, ad me perscribes. Neq; ob dignitatis & fortunarum nescio quam accessio-

ſionem, alium me eſſe factum exiſtimabis. Vale.

EXCVSATIONEM ACCIpiendi formulæ.

Accipio tuam de intermiſſione literarum excuſationem, ſed eâ demum lege, ut me tibi eodem nomine purgatum eſſe velis: Neque enim ullâ negligentiâ mihi officium deſuiſſe videtur, qui quod ſcriberem, nihil planè haberem: Tum verò vel te, vel à te aliquid unde ſcribendi argumentum naſceretur, in dies ſingulos exſpectarem.

Quod te mihi purges, accipiendam puto excuſationem.

Excuſationem anguſtiarum tui temporis accipio: Scio enim, quàm ſoleas eſſe occupatus.

Etſi literarum tuarum ſemper incredibili deſiderio teneor, propterea, quòd mihi ex eruditione fructus, ex elegantia voluptas, ex auctoritate ſummus honos conciliatur: facilè tamen id ego differri nonnunquam patior, vel ne te à ſtudiis avocem potioribus, vel certè ut exemplum mihi tuum, ſexcentas jam debenti epiſtolas, patrocinetur. Tu verò adeò nihil mihi debes, aut ſilentij, aut officii ali-

alicujus erga me tui nomine, ut mihi literæ tuæ magno etiam rubori fuerint, qui negligentiam meam pro tua deprecaris apud me, cum utrumq; apud te quacunque mercede prius à me redimi debuerit.

Accipio excusationem tuam, cur ad nos rarius hoc anno scripseris: sed accipio eâ ex parte, quatenus aut negligentiâ aut improbitate eorum, qui epistolas accipiunt, accidisse scribis, ne ad nos pervenerint.

EXCUSATIONIS NON NEcessariæ formula.

ANteà tibi nonnihil irascebar; nunc sum vehementer iratus: nec injuriâ: hæc tua tàm diligens purgatio effecit, ut videaris, aut parùm nosse meum ingenium, aut certè de amicissimo homine non amicissimè sentire.

Quod cessationem tuam tàm religiosè excusas, facis tu quidem humaniter: sed nihil sanè, ut te mihi purgatum velles, opus erat, qui mihi negligentiæ nomine suspectus nunquam fueris.

Quod te de literarũ intermissione excusas, facis tu quidem humaniter; sed nihil, mihi crede, opus fuit, ut te apud me eo nomine purgares, qui, & quantis occupationibus distineare, novi, neq; de tuo in me amore quicquam dubitavi.

Justâ & idoneâ quidem usus es excusatione, sed eâ nihil opus erat.

Tuam excusationem non desiderabam, requirebam, exspectabam.

Non erat, cur te excusares.

Officium te excusandi sine causa suscepisti.

Causam excusandi nullam habuisti.

Minimè necessaria fuit excusatio.

Supervacanea fuit apud me tua excusatio.

EXCVSATIONEM REJI-ciendi formulæ.

ETsi justâ & idoneâ usus es excusatione intermissionis literarum tuarum: tamen id ne sæpiùs facias, rogo: Nam etsi Reipub. rumoribus, & nunciis certior fio, & de tua in me voluntate semper ad me perscribit pater: Tamen de quavis minimâ re scripta à te ad me epistola semper fuit gratissima. Quare cùm inprimis tuas literas desiderem; noli committere, ut excusatione potiùs expleas officium scribendi, quàm assiduitate literarū.

Illam partem excusationis nec agnosco, nec probo.

DE QVERVLA SEV INDI-gnatoria epistola.

QUerula, seu Indignatoria epistola dicitur illa, in qua vel de nostris, vel nostrorum, vel

vel Reipublicæ miseriis, adversâque fortunâ querimur, dolemus, ingemiscimus: Et aut in nos ipsos, aut in adversariorum improbitatem, & alia, culpam conferimus.

Gaudet hoc epistolarum genus interrogationibus & exclamationibus, ut & magis illum, ad quem scribimus, movere possimus, & nostrum dolorem ac mœrorem non mediocrem esse significemus. In quibus tamen, ut in aliis omnibus adhibendus est modus. Cavendum ne molliter nimis & indecorè doleamus, nevé in nugis Tragœdias agamus. Hîc ostendendum, meritò nos dolere, queri, lamentari, propterea, quòd quid commissum sit contra leges, mores, æquum ac bonum, non errore, non casu, non fortunâ adversâ, non necessitate: sed datâ operâ, consultò, improbitate, odio, invidiâ: vel etiam nostrâ bonitate, credulitate.

Hîc indicandum damnum, quod nostris infertur opibus, vitæ, famæ, existimationi, quæ vitâ ipsâ carior esse debet.

Hîc planum faciendum, eos gravissimè offendi, lædique, quorum salus & incolumitas inprimis cara esse debebat: & lædi ab iis, de quibus sint optimè meriti: Et lædi eo potissimùm tempore, quo varia magnaque impendebant pericula, quo amicorum præsidia

maxi-

maximè requirebantur: Et lædi eo loco, quo minimè conveniebat, & lædi non vulgariter, sed novo & raro, inusitato contumeliæ genere.

Collatione quoque factâ, & allatis aliorum testimoniis aut rumoribus sparsis, illud ipsum de quo querela instituitur, exaggerandum est.

Collocatio sic institui potest, ut *Exordium* constet querelâ vel indignatione, vel ejus laude, ad quem scribimus, vel excusatione raritatis, tarditatis, brevitatis literarum: vel institutæ scriptionis occasione.

Propositio vel querelam ipsam, vel adhortationem continet.

Confirmatio institutæ querelæ rationes reddit, quæ quales esse debeant, suprà dictum.

Conclusio absolvitur vel exclamatione in rei indignitatem: vel testificatione nostri amoris, benevolentiæ, studii, vel repetitione doloris & mœroris nostri: vel pollicitatione fidei, amoris: vel hortabimur amicum, ut nostras ob injurias æquè atque suas doleat, easque ulciscatur: ut valetudinem curet: ut nobis in amore respondeat: ut sæpè nobis scribat.

Exemplum quomodo de nostrâ calami-

tate querela instituenda sit, observatum in Epist.3. lib. XIV. ad Fam. qua primùm à querela orditur Cicero. Deinde calamitates suas exaggerat. Tùm ad varia Terentiæ uxoris suæ capita respondet. Postremò ad scribendum eam, & valetudinis ut curam habeat, hortatur.

ACcepi ab Aristocrito tres epistolas, quas ego lacrymis propè delevi. Conficior enim mærore, mea Terentia, nec meæ me miseriæ magis excruciant, quàm tuæ, vestræq́ue. Ego autem hoc miserior sum, quàm tu, quæ es miserrima, quod ipsa calamitas communis utriusq́ue nostrûm; sed culpa mea propria est: meum fuit officium, vel legatione vitare periculum, vel diligentia & copiis resistere, vel cadere fortiter, hoc miserius, turpius, indignius nobis nihil fuit. Quare cùm dolore conficior, tùm etiam pudore. Pudet enim me uxori meæ optimæ suavissimis liberis virtutem & diligentiam non præstitisse. Nam mihi ante oculos dies nocteisq́ue versatur squalor vester, & mæror & infirmitas valetudinis tuæ; spes autem salutis perennis ostenditur. Inimici sunt multi, invidi penè omnes. Ejicere nos magnum fuit, excludere facile est. Sed tamen quàm diu vos eritis in spe, non deficiam, ne omnia mea culpa cecidisse videantur. Ut tutò sim quod laboras, id mihi nunc facillimum est, quem etiam inimici volunt vivere

in his tantis miseriis. Ego tamen faciam quæ præcipis. Amicis, quibus voluisti, egi gratias: & eas literas Desippo dedi: Meq; de eorum officio scripsi à te certiorem esse factum. Pisonem nostrum mirifico esse studio in nos & officio, & ego perspicio, & omnes prædicant. Dii faxint, ut tali genero mihi præsenti tecum simul & cum liberis nostris frui liceat. Nunc spes reliqua est in novis tribunis pl. & in primis quidem diebus. Nam si inveterârit, actum est, ea re ad te statim Aristocritum misi, ut ad me continuò initia rerum, & rationem totius negotii posset scribere: Etsi Desippo quoq; ita imperavi, statim ut recurreret: & ad fratrem misi, ut crebrò tabellarios mitteret. Nam ego eo nomine sum Dyrrachii hoc tempore, ut quàm celerrimè, quid agatur, audiam, & sim tutò: Civitas enim hæc semper à me defensa est. Cùm inimici nostri venire dicentur, tùm in Epirum ibo. Quod scribis te, si velim, ad me venturum: Ego verò cùm sciam magnam partem istius oneris abs te sustineri, te isthic esse volo. Si perficitis quod agitis, me ad vos venire oportet. sin autem. Sed nihil est opus reliqua scribere. Ex primis aut summum secundis literis tuis constituere poterimus quid nobis faciendum sit. Tu modò ad me velim omnia diligentissimè perscribas: Etsi magis jam rem quàm literas debeo exspectare. Cura ut valeas, & ita tibi persvadeas, mihi te carius nihil esse, nec

unquam fuisse. Vale mea Terentia, quàm ego videre videor: Itaq; debilitor lacrymis. Vale. Pridie Kalend. Decembr. Dyrrachii.

† IMITATIO HUIUS EPISTOLÆ, *qua uti possumus, quoties apud parentes, aut cognatos de periculis & miseriis nostris conqueri necesse habemus.*

ACcepi tuas & propinquorum meorum literas, quas ego lacrymis propè delevi. Conficior enim ac ferè contabesco mœrore, optatissime ac dulcissime pater; nec mea me magis adversa affligit fortuna: quàm tuus nostrorumque dolor excruciat. Et quidem hoc te sum miserior, qui tamen esse misserrimus videris, quod mihi ipsi non aliis imputanda culpa est. Mei fuit officii, vel intempestivam & periculosam peregrinationem hoc tempore intermittere: vel cautiùs eandem instituere; videre denique cui fide-

fiderem. Propter hoc factum & dolore & pudore conficior. Dolore, quod summi mœroris ac tristitiæ autor tibi sum: Pudore, quod tibi parenti optimo amicis itidem & cognatis fidelissimis minimè obtemperavi, mihi sanè ante oculos omnium vestrum mœror versatur: maximè verò tua me ætas affligit, quæ jam ingravescens atq; inclinata fulciri à me atq; recreari debebat. Spes verò salutis perquam monstratur exigua: Cùm turbarum, tumultus, belli plena sint nunc omnia: Animi magis, quàm unquam antè exacerbati. Faciam tamen ea quæ jubes: iis etiam gratias agam, quibus salutem meam curæ cordique extitisse scribis. Quod verò addis, te, si aliter obtineri res nequeat, ad me venturum: Non profectò video, quomodo fieri illud tutò commodeq; queat. Est

iter non benè solùm longum, verùm etiam periculosum; teq; domi manere, & deprecatorias à Principibus & aliis impetrare literas, multò mihi utilius erit. Eas si fuero nactus, non dubito, quin brevi ad vos rediturus sim. Sin autem sed plura non scribam, ne te mœstum jam, proh dolor, antè satis magis excruciem. Ex primis verò, vel summum secundis literis, quid spei sit reliquum, intelligere potero. Itaque primo quoque tempore ad me, optatissime ac svavissime parens, scribes: Et ex me omnes nostros salutabis, quibus, quò minùs scribam incredibilis dolor facit. Et hæ ipsæ lituræ, quas meis in literis deprehendis, lacrymis factæ tristitiæ meæ testes esse poterunt. Vale.

EXemplum quonam modo de aliorum improbitate queri debeamus, observatum

in Epist.12. lib.II. ad Fam. qua apud Brutum de rei benè contra Antonium gerendæ, neglectâ occasione conqueritur Cicero: sed modestè & personæ factâ commutatione, ne Brutum offendat. Cujus pars prima Exordium, institutæ querelæ caussas & occasiones, continet, Pars altera querela est ipsa, renectè admodum facta: Se enim in Bruto nihil desiderare, sed populum de Bruti tarditate & negligentiâ conqueri, scribit. In Conclusione hortatur, ut provideat, ne qua justa querela & reprehensio esse possit.

TReis uno die à te accepi literas: unam brevem, quam Flacco Volumnio dederas: Duas pleniores, quarum alteram tabellarius T. Vibii attulit, alteram ad me misit Lupus. Ex tuis literis & ex Graccii oratione non modò non restinctum bellum, sed etiam inflammatum videtur; Non dubito autem pro tua singulari prudentia, quin perspicias, si aliquid firmitatis nactus sit Antonius, omnia illa tua præclara in Rempub. merita, ad nihilum esse ventura. Ita enim Romam erit nunciatum, ita persvasum omnibus, cum paucis inermibus, perterritis metu, fracto animo fugisse Antonium. Qui si ita se habet, ut (quemadmodum audiebam de Graccio) confligi cum eo sine periculo non possit: non ille mihi fugisse à Mutina videtur; sed locum belli gerendi mutasse. Itaq; homi-

homines alii fracti sunt: Nonnulli etiam queruntur, quod persequuti non sitis; opprimi potuisse, si celeritas adhibita esset, existimant. Omninò est hoc populi, maximeq; nostri, in eo potissimùm abuti libertate, per quem eam consecutus sit. Sed tamen providendum est, ne qua justa querela esse possit. Res sic se habet: Is bellum confecerit, qui Antonium oppresserit. Hoc quam habeat vim, te existimare malo, quàm me apertiùs scribere. Vale.

† *IMITATIO HUIUS EPISTOLÆ,*
qua de rei benè gerendæ neglecta occasione apud amicum conqueritur.

PLures ego jam diversis ex locis; sed ejusdem propè argumenti accepi literas; ex tua verò epistola, & ex sermone illius, qui eam mihi tradidit, non modò non sedatos exstinctosq; tumultûs: verùm renovatos planè video. Neq; dubium mihi est ullum, quin pro singulari tuâ prudentiâ ipse intelligas, si respirare & colligere sese hostes cœperint, præclara illa in miseros oppres-

pressosq; Tyrannide promerita, interitura esse omnia. Ita enim & rumore, & literis nunciabatur, paucos adhuc atq; eos quidem inermes opprimi delerique potuisse antè facilè, quàm aut sese colligerent, aut armis cæterisque rebus instrherent. Quod si autem ea nunc illorum esset conditio, ut quemadmodum ex amico tuo audiebam, sine periculo magno resisti ipsis ampliùs nequeat, jam majus opinor, quàm unquam antè metuendum periculum videtur: Longeq; fuisset satius, arma contra ipsos nunquam sumere. Itaq; & multorum jam sunt animi mutati: Nonnulli etiam queruntur, quòd, aut avaritiâ, aut ebrietate impediti, optimas occasiones neglexeritis: Neque eam celeritatem adhibueritis, quæ ejuscemodi requiri in rebus solet. Omninò hæc populi esse

naturâ consvevit: ut leviter laudet & reprehendat: Confidat ac metuat; utque ventis agitata unda, rumusculis motus, in transversum rapiatur. Suâ etiam in iis maximè libertate abutatur, quorum operâ atq; laboribus eandem est consecutus. Sed & idem, ut quodam in loco pollitìcus optimus Cicero scribit, magister est maximus. Itaq; ejus judicium non usq; adeò contemnendum; verùm opera danda est, ne quæ ab illo justę moveri querelæ possint. Quid in aliis hactenus populus desiderârit, te cogitare malo, quàm me apertè scribere. Vale.

QVERENDI FORMVLÆ.

NOn possum tibi, quales uterq; volumus, epistolas mittere, cum mihi nihil rerum omnium ex sententia procedat. Sed quid ego, mi *Gasmanne*, te meis querelis exanimo (nisi quod juvat apud familiarissimum amiculum graves animi mei curas deponere.)

Credo

Credo & superos, & inferos in meam perniciem conjurâsse: Ita ubi hoc malum vix effugi, succedit aliud multò acerbius.

Quid vel maximis, vel minimis in rebus à me tentatum est, quid tàm dextero consilio institutum, quod non infelicissimè evenerit? O me omnium, qui sunt, quiq; fuerunt, infortunatissimum! Egoné unus ex universo hominum numero, præposterus ille Polycrates exstiti, cui omnia adversarentur, cui nihil unquam obtigerit optatum? Quantum dolorem acceperim, & quanto fructu sim privatus, & forensi, & domestico, Lucii fratris nostri morte, inprimis pro nostrâ consvetudine, tu existimare potes. Nam mihi omnia, quæ jucunda ex humanitate alterius & moribus, homini accidere possunt, ex illo accidebant. Quare non dubito, quin tibi quoq; id molestum sit, cum & meo dolore moveáre, & ipse omni virtute, officioq; ornatissimum, tuique & suâ sponte, & meo sermone amantem affinem amicumq; amiseris.

Premor cùm luctu, tùm desiderio omnium rerum, quæ mihi me cariores semper fuerant.

Ita sunt res nostræ, ut in secundis fluxæ: ut in adversis, bonæ. In re familiari valdè sumus, ut scis, perturbati.

Amisimus, mi Pomponi, non omnem modò succum ac sanguinem: sed etiam colorem & speciem pristinam civitatis.

Qui sit omnium rerum status noster vides. Nihil est mali, quod non & sustineam, & exspectem. Quarum rerum eò gravior est dolor, quò culpa major.

Quid restat, nisi ut miser fiam?

O rem perditam, ô facinus indignum, ô me infelicem: quid hoc statu vel desperatius vel fœdius?

O me afflictum!

O superbiam inauditam, alios in facinore gloriari, aliis ne dolere quidē impunè licere.

O miseram, & brevi tàm celerem, & tàm variam Reipublicæ commutationem!

O magnum atq; intolerandum dolorem! ô gravem acerbamq; fortunam!

O tempus illud miserum, atque acerbum nobis, ô casum illum multis innocentibus calamitosum atq; funestum! ô istius nequitiam atq; turpitudinem singularem!

De prædio per calumniam erepto graviter angerer, nisi jam animus diuturnâ desperatione ad novum dolorem obduruisset.

Ita animus multis malis obstupuit, ut sensu etiam molestiæ carere cœperit, quod ipsum est omnibus miserius.

Quid

Quid quæris? Nihil me infortunatius. Nos tamen in his etiam miseriis, erecto animo, & minimè perturbato sumus, honestumque & dignitatem nostram magnâ curâ tuemur.

Plura scribere non possum, ita sum animo perculso & ejecto.

Non faciam ut enumerem miserias omnes, in quas incidi propter summam injuriam & scelus, non tàm inimicorum, quàm invidorum, ne & meum mœrorem exagitem, & te in eundem luctum vocem.

Ego & sæpiùs ad te, & plura scriberem, nisi mihi dolor meus, cùm omnes partes mentis, tùm maximè hujus generis facultatem ademisset.

Itaque cùm meus me mæror quotidianus lacerat, & conficit, tùm verò hæc addita cura vix mihi vitam reliquam facit.

Nec tàm miserum quicquam est, quod non in fortunam nostram cadere videatur. Quare quando me afflictum & confectum luctu audies, existimato me stultitiæ meæ pœnam ferre graviùs, quàm evenit. Quod ei crediderim, quem esse nefarium non putâram.

Quæso ecquod tantum malum est, quod in meâ calamitate non sit? Ecquis unquam ex tam amplo statu, tàm bonâ causâ, tantis

facultatibus ingenii, consilii, gratiæ, tantis præsidiis bonorum omnium concidit? Possum oblivisci, qui fuerim, non sentire, qui sim: Quo caream honore, quâ gloriâ, quibus liberis, quibus fortunis, quo fratre? Quem ego, ut novum genus calamitatis attendas, quàm me ipsum semper fecissem, vitavi, ne viderem: aut ne me, quem ille florentissimum reliquerat, perditum illi afflictumque offerrem. Mitto cætera intolerabilia: etenim fletu impedior.

Dies autem non modò non levat luctum hunc: sed etiam auget. Nam cæteri dolores mitigantur vetustate, hic non potest, & sensu præsentis miseriæ, & recordatione præteritæ vitæ non continuò augeri. Desidero enim non mea solùm, neque meos, sed me ipsum. Quid enim sum? sed non faciam, ut aut tuum animum angam querelis, aut meis vulneribus sæpiùs manus adferam.

Non medius fidius præ lacrymis possum reliqua, nec cogitare, nec scribere.

Aut quis me non solùm infelicior, sed jam etiam turpior?

Si in malo hoc fortunæ iniquitatem incidissem, honestior esset plaga: Nunc nostra culpa videmur accersisse, quod commodè vitari poterat.

Luget Senatus, mœret equeſter ordo, tota civitas ſenio confecta eſt, ſqualent municipia, affliƈtantur coloniæ, agri deniq; ipſi tàm beneficum, tàm ſalutarem, tàm manſvetum civem deſiderant.

Magno in dolore ſum, vel mœrore potiùs, quem ex crudeli & miſerabili morte optimi civis moderatiſſimiq; hominis accepi.

O rem acerbam! Sed hæc ſatis diu multumq; defleta ſunt.

Quis liberos, quis conjugem aſpicere poterat ſine fletu? quis domum? tecta? quis larem familiarem? Jam aut fœdiſſimam mortem omnes, aut miſerabilem fugam cogitant.

Perpetuum dolorem, avulſus à meis luſtineo.

Dolebam & acerbè ferebam, ſi tua ſalus ob eam ipſam cauſſam eſſet infeſtior, quod meam ſalutem atq; vitam tuâ benevolentiâ, præſidio, cuſtodiâq; texiſſes.

Tuo in periculo non dolorem meum ſignificarem?

Quis tum non gemuit? Quis non arit dolore?

Conſumptis lacrymis tamen infixus animo hæret dolor.

Sed opprimor interdum, & vix reſiſto dolori, quod ea me ſolatia deficiunt, quæ cæte-

ris, quorum mihi exempla propono, non desuerunt simili in fortunâ.

Doleo, ita communem rem esse delapsam, ut ne spes quidem, aliquando meliùs fore, relinquatur.

Tullia nostra venit ad me, cujus summâ virtute & singulari humanitate graviori etiam dolore sum affectus, nostrâ factum esset negligentiâ, ut longè aliâ in fortunâ esset, atq; ejus pietas ac dignitas postulabat.

Sed hæc omittamus, augemus enim dolorem retractando.

RESPONSIO AD QVERVLAM *Epistolam.*

EAdem est hîc fere, cùm de nostris nostrorumvé miseriis querelam instituimus, respondendi ratio, quæ est consolationum: Cùm verò super adversariorum malitiâ querimur, sequemur respondendi ad expostulatorias epistolas modum: Vel enim simpliciter negatur id, quo de nobiscum amicus conqueritur: vel illud ipsum ut rectè, justè honesteque factum defenditur: vel culpa in rem aut personam aliam transfertur: vel ad confessionem, venjæq; deprecationem confugitur

In hujus collocatione pars prima constabit,

aut

aut significatione doloris ex amici querelis percepti: vel institutæ purgationis caussâ: vel ejus, ad quem scribimus, reprehensione: vel amoris & benevolentiæ amici laude: vel certè excusatione brevitatis literarum.

Pars altera purgationem ipsam complectitur, factam, aut defensione, aut inficiatione ejus, quod objicitur: aut caussæ remotione in ignorantiam, in personas alias, in ipsum, qui de nobis conqueritur, in locum, in tempus, in instrumenta.

Postrema pars absolvetur, aut excusatione libertatis acerbitatisvé in respondendo adhibitæ: aut studij benevolentiæq; nostræ pollicitatione: aut malevolorum reprehensione: aut adhortatione, ut excusationem nostram admittat amicus, nevé calumniatoribus nostris fidem habeat.

Exemplum responsionis ad Querulam Epistolam, observatum in Epist. 26. libr. XI ad Fam qua se Marco Cicero purgat, quod non labefactaverit ejus famam: sed dignitatem potiùs atque auctoritatem defenderit. In cujus Exordio purgationis institutæ occasio indicatur, benevolentiæ etiam conciliandæ ergò, amoris caussæ plurimæ recensentur. Exponuntur deinde querularum caussæ & earundem subjungitur purgatio: Absolvi-

tur adhortatione obliquâ, ut excusationem admittat.

Nondum satis constitui, molestiane plus, an voluptatis attulerit mihi Trebatius noster, homo tùm plenus officii, tùm utriusq; nostrûm amantissimus. Nam cùm in Tusculanum vesperi venissem: postridie ille ad me nondum satis firmo corpore cùm esset, manè venit. Quem cùm objurgarem ut parùm valetudini parceret: Tùm ille nihil sibi fuisse longius, quàm ut me videret. Nam quidnam, inquam, novi: detulit ad me querelam tuam: de qua priusquam respondeo, pauca præponam: Quantum memoriâ repetere præterita possum, nemo est mihi te amicus antiquior. Sed VETUSTAS *habet aliquid commune cum multis: amor non habet. Dilexi te quo die cognovi, meq; à te diligi judicavi. Tuus deinde discessus, isq; diuturnus, ambitio nostra & vitæ dissimilitudo non est passa voluntates nostras consuetudine conglutinari. Tuum tamen erga me animum agnovi multis annis ante bellum civile, cùm Cæsar esset in Gallia. Quod enim vehementer mihi utile esse putabas, nec inutile ipsi Cæsari, perfecisti, ut ille me diligeret, coleret, haberet in suis. Multa prætereo, quæ temporibus illis inter nos familiarissimè dicta, scripta, communicata sunt. Graviora enim sunt consecuta, & initio belli civilis, cum Brundusium versus ires ad Cæsarem,*

venisti ad me in Formianum: primum hoc ipsum quanti, præsertim temporibus illis? Deinde oblitum me putas consilii, sermonis, humanitatis tuæ? Quibus rebus interesse memini Trebatium. Nec verò oblitus sum literarum tuarum, quas ad me misisti, cùm Cæsari obviam venissem, in agro, ut arbitror, Trebulano. Secutum illud tempus est, cùm me ad Pompejum proficisci sive pudor meus coëgit, sive officium, sive fortuna. Quod officium tuum, quod studium, vel in absentem me, vel in præsentes meos defuit? Quem porrò omnes mei & mihi, & sibi te amiciorem judicaverunt? Veni Brundusium. Oblitumné me putas, qua celeritate, ut primùm audieris, ad me Tarento advolâris, quæ tua fuerit accessio, oratio, confirmatio animi mei fracti, communium miseriarum metu? Tandem aliquando Romæ esse cœpimus. Quid defuit nostræ familiaritati? In maximis rebus quonam modo me gererem adversus Cæsarem, usus tuo consilio sum. In reliquis officiis, cui tu tribuisti, excepto Cæsare, præter me ut domum ventitares, horasq; multas sæpe suavissimo sermone consumeres? Tum, cum etiam, si meministi, ut hæc φιλοσοφὺμενα scriberem, tu me impulisti. Post Cæsaris reditum, quid tibi majori curæ fuit, quàm ut essem ego illi quàm familiarissimus? Quod effeceras. Quorsum igitur hæc oratio longior, quàm putâram? Quia sum admiratus, te, qui hæc nôsse debe-

deberes, quicquam à me commissum, quod esset alienum à nostra amicitia credidisse. Nam præter hæc, quæ commemoravi, quæ testata sunt, & illustria, habeo multa occultiora, quæ vix verbis exequi possum. Omnia me tua delectant, sed maximè, maxima tùm fides in amicitia, consilium, gravitas, constantia, tùm lepos, humanitas, literæ. Quapropter redeo nunc ad querelam. Ego, te suffragium tulisse in illa lege, primùm non credidi, deinde, si credidissem, nunquam id sine aliqua justa caussa existimarem te fecisse. Dignitas tua facit, ut animadvertatur, quicquid facias. Malevolentia autem hominum, ut nonnulla durius, quàm à te facta sunt, proferantur. Ea si tu non audis, quid dicam nescio. Equidem si quando audio, tàm defendo, quàm me scio à te contra inimicos meos solere defendi. Defensio autem est duplex, alia sunt quæ liquidò negare soleam, ut de isto ipso suffragio: alia, quæ defendam à te piè fieri & humanè ut de curatione ludorum. Sed te hominem doctissimum non fugit si Cæsar Rex fuerit (quod mihi quidem videtur) in utramq; partem de officio tuo disputari posse, vel in eam, qua ego uti soleo, laudandam esse fidem & humanitatem tuam, qui amicum etiam mortuum diligas: vel in eam, qua nonnulli utuntur, libertatem patriæ vitæ amici anteponendam. Ex his sermonibus utinã essent delatæ ad te disputationes meæ!

Illæ

Illa verò duo quæ maxima ſunt laudum tuarum, quis aut lubentiùs, quàm ego commemorat, aut ſæpiùs: Te & non ſuſcipiendi belli civilis graviſſimum auctorem fuiſſe, & moderandæ victoriæ? In quo, qui mihi non aſſentiretur, inveni neminem. Quare habeo gratiam Trebatio familiari noſtro, qui mihi dedit cauſſam harum literarum, quibus niſi credideris, me omnis officii & humanitatis expertem judicâris. Quo nec mihi gravius quicquam poteſt eſſe: Nec à te alienius. Vale.

† *IMITATIO HVIVS EPISTOLÆ; ad eum, qui conqueſtus eſt, nos in colloquio quodam parùm de ſe locutos honeſtè fuiſſe; quaſdam etiam actiones improbâſſe.*

NOndum affirmare poſſum, pluſné voluptatis & lætitiæ, an doloris, atque triſtitiæ communis noſtri amici adventus tulerit. Cùm enim VVittebergam benè veſperi ex peregrinatione longa rediiſſet: ad me, cùm adhuc de via languere videretur, venit. Quem cùm pro more interrogarem, ecquid novi ille ſecum afferret, commodené vale-

valeres: quo aliorum essent amicorum res loco: tuam ad me querelam detulit. De qua brevissimè respondere conabor, si paucula quædam præmisero. Cùm pueritiæ memoriam ultimam recordor, te antiquiorem amicum neminem reperio. Sed nolo ego vetustate amicitiam nostram: sed mutuâ potius benevolentiâ metiri: Cùm illa communis esse queat multis: Hæc verò paucorum, atq; vera veræ constantisq; amicitiæ caussa sit, amore te sum complexus, quo die te novi, meq; abs te vicissim amari sum arbitratus. Tua deinde peregrinatio, eaq; satis longa ac diuturna, genus præterea vitæ diversum, consvetudinem quidem nostram & familiaritatem diremerunt: At animorum atq; voluntatum divellere conjunctionem non potuerunt. Neque enim tu solùm me benevolentiâ
sin-

ſingulari es proſecutus : verùm etiam tuâ commendatione effeciſti, ut ii, qui autoritate atque potentiâ valent, & me diligerent, & in ſuis haberent. Deinde recenti adhuc in memoria habeo, ut ex itinere domum meam veneris : ut horas benè multas ſvaviſſimis colloquiis tuis mecum conſumpſeris: ut ad ea ſtudia excitaris, in quibus nunc verſor: Ut munus atque officium, quo fungor, mihi comparâris. Quorſum verò, inquies, hæc tàm altè repetita amicitia? Ecquid beneficiorum iſta ſibi vult commemoratio? ut intelligas, mirari me & mirari vehementer, cui hæc nota ſunt omnia, credere potuiſſe quicquam de te parùm commodè atq; honorificè, aut ſenſiſſe me, aut locutum eſſe. Præter enim illa, quæ modò recenſui, manifeſta, teſtata, illuſtria: Etiã alia ſunt minùs aper-

ta, quæ ad constanter te amandum me impellunt: Ego verò verbis assequi vix possum: fides in amicitia, morum amabilitas, candor, integritas, humanitas benè de omnibus merendi prona propensaque voluntas. Itaq; ad querelas nunc tuas revertor. Ego, te in amicorum gratiam fecisse aliquid, quod in bonorum virorum incurrere reprehensionem posset, primò non credidi: Deinde, si credidissem, non profectò sine caussa istud abs te fuisse factum arbitrarer. Sed nimirùm tua & virtus eximia, & natura præstans, & bona alia, quibus longo post te intervallo plurimos alios relinquis, faciunt, ut quicquid, vel dicas, vel facias, animadvertatur ab omnibus: Invidiâ autem & malevolentiâ quorundam duriùs, quàm sunt à te facta, accipiantur & proferantur. Nosti enim, ut alia

nunc mittam, illud viri, & poëtæ optimi:

Obvia res odiis, quanquam liberrima virtus,
Et benè qui meruit, præmia rarus habet.
Invidia premitur, quē nulla infamia taxat,
Et cui jura favent, vis inimica nocet.

Et ut eos, qui in Sole ambulant, umbra comitatur: Ita felicitatis comes invidia est: quæ tamen, si, ut præclarè Cicero scribit, virtute fuerit parta, gloria, non invidia putanda est. Equidem si tale quid de te audio, tàm illud defendere atq; excusare soleo, quàm meam scio famam & existimationem à te contra malevolos defendi. Defensio autem ita à me instituitur, ut vel liquidò negem ea, quę de te sparguntur: vel non sine gravi caussâ, aut etiam rectè justeq; facta contendam. Sed te interim hominem prudentem non fugit, in utramque hîc partem de tuo disputari officio posse. Vel

in

in eam, qua ego uti ſoleo, laudandum te, non reprehendendum eſſe, quod amicos officiis proſequaris, cùm amicitiæ illud ſit proprium, facere quæ bono eſſe amicis videntur. Vel in eam, qua alii contendunt, honeſtatem & juſtitiam amicitiæ eſſe anteponendam, primamque hanc in eâdem legem requiri, ut neq; rogemus ab amicis res turpes, neq; rogati faciamus. Ex hac ſententiarum collatione velim ad te ea quoq; eſſe perſcripta, quæ pro te dixi. Neminem enim fore exiſtimo, qui hoc affirmare verè poſſit: quicquam in medium me unquam protuliſſe, quod tuæ detrahere aliquid famæ atq, exiſtimationi præclaræ queat. Itaque gratiam amico noſtro habeo, qui de tuis querelis certiorem me reddidit, & autor harum literarum extitit. Quibus ſi fidem habueris, erit, quod mihi
gra-

gratuler, pluris te purgationem hanc meam quàm malevolorum calumnias facere. Sin minùs: omnis me humanitatis, officii, fidei expertem judicabis. Quod & nostra ab amicitia alienum & te indignum; & verò mihi tàm est grave futurum, quàm quod gravissimum. Vale.

EXemplum responsionis ad excusationem querelarum, observatum in Epist. 27. lib. XI. ad Fam. quâ Ciceroni Marcus respondet, & de ejus amore atq; benevolentiâ primùm sibi gratulatur, eundemq́, laudat quod non temerè fidem habuerit. Deinde sese Cæsaris, utpotè viri de se, & aliis non malè meriti, mortem jure deplorâsse, cum refutatione eorum quæ contrà afferri poterant, ostendit. Postremò Trebatio gratias agit, quòd querelam ad Ciceronem detulerit.

MAgnam voluptatem ex tuis literis cepi, quòd quam sperâram atq; optâram, habere te de me opinionem cognovi. De qua, etsi non dubitabam: tamen quia maximè æstimabam, ut incorrupta maneret, laborabam: Conscius autem mihi eram, nihil à me commissum esse,

quod boni cujusquam offenderet animum. Eo minus credebam plurimis atq; optimis artibus ornato tibi temerè quicquam persuaderi potuisse, præsertim in quem mea propensa & perpetua fuisset atq; esset benevolentia. Quod, quoniam, ut volui scio esse: Respondebo criminibus, quibus tu pro me, ut par erat, pro tua singulari bonitate & amicitia nostra sæpè restitisti. Nota enim mihi sunt, quæ in me post Cæsaris mortem contulerint. Vitio mihi dant quod mortem hominis necessarii graviter fero, atq; eum, quem dilexi, periisse indignor. Ajunt enim patriam amicitiæ præponendam esse: proinde ac si jam vicerint, obitum ejus Reip. fuisse utilem. Sed non agam astutè Fateor, me ad istum gradum sapientiæ non pervenisse. Neq; enim Cæsarem in dissensione civili sum secutus, sed amicum quanquam re offendebar, tamen non deserui: neq; bellum unquam civile, aut etiam causam dissensionis probavi, quam etiam nascentem exstingui summè studui. Itaq; in victoria hominis necessarii, neq; honoris, neq; pecuniæ dulcedine sum captus. Quibus præmiis reliqui, minus apud eum quàm ego cùm possent, immoderatè sunt abusi. Atq; etiam res familiaris mea lege Cæsaris diminuta est: Cujus beneficio pleriq;, qui Cæsaris morte lætantur, remanserunt in civitate. Civibus victis ut parceretur, æquè ac pro mea salute laboravi. Possum igitur, qui omnes

voluerim incolumes, eum, à quo id impetratum est, periisse non idignari? Cùm præsertim iidem homines illi & invidiæ & exitio fuerint. Plecteris ergò inquiunt quando factum nostrum improbare audes. O superbiam inauditam; Alios in facinore gloriari, aliis ne dolere quidem impunè licere. At hæc etiam servis semper libera fuerunt, timerent, gauderent, dolerent suo potiùs, quàm alterius, arbitrio. Quæ nunc isti, ut quidem dictitant, libertatis auctores metu nobis extorquere conantur. Sed nihil agunt: nullius unquam periculi terroribus ab officio, aut ab humanitate desciscam. NUNQUAM ENIM HONESTAM mortẽ fugiendam, sæpè etiam appetendam putavi. Sed quid mihi succensent, si id opto, ut pœniteat eos sui facti? Cupio enim Cæsaris mortem omnibus esse acerbam. At debeo pro civili parte remp. velle salvam. Id quidem me cupere, nisi & antè acta vita & reliqua mea spes, tacente me, probat, dicendo vincere non postulo. Quare majorem in modum te rogo, ut rem potiorem oratione ducas: Mihiq; si sentis expedire, rectè fieri credas, nullam communionem cum improbis esse posse. An quod adolescens præstiti, cùm etiã errare cum excusatione possem, id nunc ætate præcipitata commutẽ, ac me ipse retexam? Non faciam: Neq; quod displiceat, committam, præterquam quod hominis mihi conjunctissimi ac viri amplissimi doleo gravem ca-

sum. Quod si aliter essem animatus, nunquam quod facerem, negarem, ne & in peccando improbus, & in dissimulando timidus ac vanus existimarer. At ludos quos Cæsaris victoriæ Cæsar adolescens fecit, curavi. At id ad privatum officium non ad statum Reipub. pertinebat. Quod tamen munus & hominis amicissimi memoriæ atq; honoribus præstare etiam mortui debui, & optimæ spei adolescenti negare non potui. Veni etiam Consulis Antonii sæpè domum, salutandi caussâ. Ad quem qui me parum patriæ amantem esse existimant, rogandi quidem aliquid aut auferendi caussa frequenteis venditasse reperias. Sed quæ hæc est arrogantia, quod Cæsar nunquam interpellavit, quin, quibus vellem, atq; etiam quos ipse non diligebat, tamen iis uterer: Eos, qui mihi amicum eripuerunt, carpendo me, efficere conari, ne, quos velim, diligam? Sed non vereor, ne aut meæ vitæ modestia parùm valitura sit imposterum contra falsos rumores: Aut etiam ii, qui me non amant, propter meam in Cæsarem constantiam, non malint mei, quàm sui similes amicos habere Mihi quidem si optata contingent: quod reliquum est vitæ in otio Rhodi degam: sin casus aliquis interpellarit, ita ero Romæ ut rectè fieri semper cupiam Trebatio nostro magnas gratias ago, quod tuum erga me animum simplicem atq; amicum aperuit. Et quod eum, quē semper dilexi lubenter, quò magis jure colere atq; observare deberem fecit. Benè vale, & me dilige.

† *IMITATIO HVIVS EPISTOLÆ, qua continetur responsio ad superiores proximas excusatorias.*

MAgnâ me tuæ literæ lætitiâ ac voluptate affecerunt, quod ex iis, quàm esses in me animatus præclarè, cognovi. Etsi enim de eo dubitare ego hactenus nec potui, nec debui: Tamen quia in aliis, quantum possint calumniæ eram expertus, non parùm metui, ne, quæ aliorum à me voluntates abalienârunt, convitia te quoq; putarent. Quod quia factum non esse, reipsâ jam comperio; mihi sanè gaudeo: Tibi gratias ago maximas. Interim tamen breviter, quæ mihi sunt vitio data, exponam: Et quod antè fecisse te intelligo, ad hæc eadem respondere paucis conabor. Nota enim mihi sunt ex amicorum cùm literis, tùm relatu ea, quæ criminandi causâ à malevolis mihi non-

nullis objiciuntur. Vitio mihi datum, quod in provehendis amicorum commodis sim nimius: quod fortunam illorum adversam, iniquè feram: quod honestatis minorem, quàm vel amicitiæ, vel necessitudinis, vel utilitatis quoque rationem habeam. Quasi verò amicorum ego actiones parùm honestas unquam probârim: aut si bonam quorundam colligere gratiam, aut de opibus cumulandis solicitus esse voluissem, non aliæ, & quidem longè meliores jamdudum mihi oblatæ occasiones fuerint. Rem meam familiarem, non augeri, sed diminui ejuscemodi amicorum defensionibus si affirmarem, nihil profectò à veritate alienum scriberem Odium verò, quàm in me acerbum concitem, vel hominum querelę istæ graves satis ostendunt. Et nimirum eò superbiæ nonnulli descendunt: ut,

quod

quod etiam servis liberum esse solet, eorum me miserias atq; calamitates deplorare nolint, quos privatas illi ob caussas odisse semel cœperunt. Atlaterem, quod ajunt, hi lavant: Nullius apud me, vel autoritas, vel potentia tanta erit, quæ ab officio me & humanitate avocet. Verùm major honestatis quàm amicitiæ, inquiunt, ratio habenda. Esto. At quid verè sit honestum etiam atq; etiam considerandum esse censeo. Ejus me perquàm studiosum extitisse semper, nisi antea&a mea vita ostenderit, verbis ut evincam, non laborabo. Nulla mihi cum improbis communio fuit & familiaritas tùm, cùm ætas errorem excusare meum posset. Neq; nunc igitur meipsum retexam, aut ingenium mutabo Neq; ego quicquam facio aliud, nisi quod amicorum casus acerbos doleo: Existimatio-

nem sartam, quod ajunt, tectamq; conservare cupio Nec si quid facerem aliud, illud ipsum negarem, aut occultarem; ne cui & in peccando malus, & levis in dissimulando viderer. Negotia si quæ amicorum curavi alia, privata fuerunt, neq; petentibus denegari potuerunt. Veni, id quod malevolos maximè carpere video, sæpè ad amicos salutandi gratiâ. Sed quæ hæc obsecro superbia est, alios prorsus suum ad nutum vivere; Compellationibus, colloquiis, conversationibus interdicere velle eorum, quos odio illi prosequuntur. Sed non dubito, quin, aut vitæ meæ modestia satis imposterum contra rumores falsos sit valitura: Aut etiam ii, qui ita deformare jam me conantur, mei similes amicos expetituri. Interim pro præstitis humanitatis officiis gratias ago: ut & ami-

co nostro, qui de querelis certiorem te reddidit, atq; effecit, ut patronum atq; defensorem innocentia mea inveniret. Vale.

DE MINATORIA Epistola.

MInatoria dicitur illa Epistola, qua pœnas denunciamus, & metum injicimus iis, qui aut maleficii alicujus rei sunt, aut, nisi prohibeantur, malum committerent.

In comminatione æquitas & moderatio adhibenda est, ne levi & molli brachio cum improbis agatur, nevé ira & minæ modum excedant. Sententiis hîc opus, quæ animi justam commotionem & iram declarent, & factum ipsum, ob quod minæ instituuntur, exaggerent. Rei turpitudo & iniquitas dolorem concitat, atque ad minas compellit: Contumeliæ, maledicta, impeditiones honorum, voluntatum, laborum, studiorum, & id genus alia amplificantur notatione personæ, partim nostræ, quæ est læsa, partim ejus, cui succensemus, & minamur: vel modi agendi: vel temporis, aliarumvé circumstantiarum.

In collocationis prima parte crimen ipsum cum querelâ & indignatione ponendum.

Parte alterâ illud exaggerandum.

Postremâ adhortatione, aut reprehensione & comminatione absolvitur.

Exemplum Minacis epistolæ, observatum in Epist. I. lib. V. ad Famil. quâ Ciceroni Metellus ob fratrem injuriâ affectum minatur, & quidem in Exordio factum ipsum cum indignatione & querelâ proponit. Post profert ea, quæ à contumeliâ atq; injuriâ Ciceronem avocare debuissent. Postremò minatur & levitatem eidem atque inconstantiam objicit, seq; etiamsi non desint caussæ, Reip. tamen nequaquam defuturum esse significat.

SI vales benè est. Existimaram pro mutuo inter vos animo & pro reconciliata gratia, neq; me absentem ludibrio læsum iri, nec Metellum fratrem, ob dictum capite ac fortunis per te oppugnatum iri, quem si parùm pudor ipsius defendebat, debebat vel familiæ nostræ dignitas, vel meum studium erga vos, & Rempub. satis sublevare. Nunc video illum circumventum, me desertum, à quibus minimè conveniebat. Itaq; in luctu & squalore sum, qui provinciæ, qui exercitui præsum, qui bellum gero: Quæ quoniam nec ratione, nec majorum nostrorum clementiâ, administrastis, non erit mirandum, si vos pœnitebit, te tàm mobili in me meosq; esse animo non sperabam. Me interea nec domesticus dolor, nec cujusquam injuria à Rep. abducet. Vale.

IMI.

† IMITATIO HUIUS EPISTOLÆ, *qua Magistratus nomine pœna non obedientibus subditis denunciantur.*

EXistimaramus, pro debitâ Magistratui reverentiâ, nostrâque verè paternâ in vos benevolentiâ ac clementiâ, neque nostrorum apud vos dictum ludibrio habitum iri: Neq; quos plenis ad vos cum mandatis ablegaveramus, ita spretos contemptosq; fore. Quos si parùm ipsum legationis jus, quod sanctum apud omnes inviolatumque fuit semper, defendebat vel Magistratus autoritas & jus illud jurandum, quo devincti nobis obligatiq; estis, sublevare debebat. Nunc videmus illos contumeliâ, & quidem insigni affectos: mandata simul edictaque nostra rideri ac contemni: Nova quædam & inusitata tentari ab illis, qui pietatis hactenus atque obse-

quentiæ laudem habuerunt. Quæ quoniam nec jure ullo, nec ratione bona: nec majorum vestrorum exemplo fiunt: Non erit mirandum, si brevi vos pœnitebit. Quod enim nostri esse muneris atque officii videtur, faciemus: Et quam legatis nostris intulistis injuriam, eâ, qua par est, severitate ulciscemur: Atque ita vos puniemus, ut reverenter deinceps submisseque vos gerere discatis. Exemplo quoque sitis aliis, ne quod superbè atque seditiosè contra Magistratûs suos moliantur.

COMMINANDI *Formula.*

SI pergas maledictis me provocare, contumeliarumq; in me aculeos excutere, ita vicissim mea in te tela conjicientur, in tuis ut pulmonibus & visceribus adhæreant.

Ferocitatem istam tuam comprimam, audaciam frangam, loquacitatem retardabo.

Tibi

Tibi iſtam ego licentiam fractis cupiditatibus concutiam.

Niſi iſtam tuam maledicendi libidinem, profuſamq; conſtringas ſcurrilitatem, oſtendam eum me eſſe, qui nec dignitatem, nec nominis ſui exiſtimationem, ludibrio tuo oblatam eſſe patiatur.

Vide ne mejorem viribus tuis hoſtem provoces, nevé quas ſeditiones excites, in tuum ſanguinem redundent atq; perniciem.

Invitus facio, ut ad tuam impudentiam, nequitiam, furorem, animi mei objiciam moderationem: ſed niſi humanitate potiùs mecum, quàm injuriis certare velis, cogar & ipſe, & in te violentior eſſe, quàm vel uſus meus vel natura poſtulat.

Non fugit nos tuum facinus, quod perpetrâſti: Multa enim certa ſigna habemus, etiamſi abneges: Maximè autem eos, qui tibi conſcii fuerunt, atq; ipſius facti ſocii. Nunquam hujus culpæ pœnam effugies.

Ego tibi iſtam linguæ laſciviam præcîdam.

Sic tuos furores excitabo, ac frangam inſolentiam, ut, quò te vertas, neſcias.

In eam te fortunarum omnium deſperationem adigam, ut nullum tibi neq; laboris, neq; miſeriæ, neq; periculi perfugium, relinquatur.

Obtundam istam tibi, quæ se nunc proterve ac petulanter effert, maledicendi cupiditatem.

Ex his laqueis si te exueris, ac te aliqua vi ac ratione explicâris, in plagas majores incidendum est tibi, mortem acerbam crudelémque tibi proponemus.

Ego vix abs te manus ac tela contineo.

Tibi ego confido impendére fatum aliquod, & pœnas jamdiu improbitati, nequitiæ, sceleri, libidini debitas, aut instare jam planè aut certè jam appropinquare.

Si in eâ mente manes, ea quæ mereris, exspectes.

Ego si attulero nervos & industriam (mihi crede) excutiam tibi istam verborum jactationem, exq; somno excitabo, nec patiar me abs te, nisi virtute vincas, superari.

Permitto aliquid iracundiæ tuæ, do adolescentiæ, cedo amicitiæ: sed nisi tibi aliquem modum vitæ constitueris, coges oblitum me nostræ amicitiæ habere rationem dignitatis meæ.

Noli hac meâ novâ lenitate abuti, noli aculeos rationis meæ, qui reconditi sunt, excussos esse arbitrari, noli id putare omninò omissum à me, si quid tibi remissum atq; concessum. Erumpet aliquando ex me ve-

sa vox, & dicam sine cunctatione quod sentio.

Exemplum Responsionis ad Minaces epistolas, observatum in Epist 3. libr. XI. ad Fam. quâ Brutus & Cassius Antonio ita respondent, ut pluris se patriæ libertatem, quàm vel gratiam facere ostendant. In parte prima repetitio fit argumenti literarum Antonii. Pars altera refutatio est, in qua Brutus & Cassius Antonii minas iniquas esse, & parum à se metui indicant. Conclusio adhortatione & voto est facta: Antonium enim & hortantur, ne quid contra Rempub. tentet: & simul DEOS rogare se affirmant, ne consilia quæ tractat, vel sibiipsis, vel Reipub. perniciosa sint.

Literas tuas legimus similimas edicti tui, contumeliosas, minaceis, minimè dignas, quæ à te nobis mitterentur. Nos Antoni, te nulla lacessivimus injuria: neq; miraturum credidimus, si pratores & ea dignitate homines aliquid edicto postulassemus à Consule. Quod si indignaris ausos esse id facere concede nobis ut doleamus, ne hoc quidem abs te Bruto & Cassio tribui. Nam de delectibus habitis & pecuniis imperatis, exercitibus solicitatis, & nunciis trans mare missis; quod te questum esse negas: Nos tibi quidem credimus, optimo animo te fecisse: Sed tamen

neq;

neq; agnoscimus quicquam eorum: Et te miramur, cùm hæc reticueris, non potuisse continere iracundiam tuam, quin nobis de morte Cæsaris objiceres. Illud verò quemadmodum ferendum sit, tute cogita: non licere Prætoribus concordiæ ac libertatis caussâ, per edictum, de suo jure decedere, quin consul arma minetur. Quorum fiduciâ nihil est, quod nos terreas. Neq; enim decet aut convenit nobis periculo ulli submittere animum nostrum: neq; est Antonio postulandum, ut iis imperet, quorum opera liber est. Si alia hortarentur, ut bellum civile suscitare vellemus, literæ tuæ nihil proficerent. NULLA *enim minantis auctoritas apud liberos est. Sed pulcrè intelligis, non posse nos quoquam impelli: & fortassis ea re minaciter agis, ut judicium nostrum metus videatur. Nos in hac sententia sumus, ut te cupimus etiam in libera Repub. magnum atq; honestum esse: Vocemus te ad nullas inimicitias: sed tamen pluris nostram libertatem, quàm tuam amicitiam æstimemus. Tu etiam atq; etiam vide, quid sustinere possis: Neq; quamdiu vixerit Cæsar, sed quàm non diu regnarit, fac cogites. Deos quæsumus, consilia tua Reip. salutaria sint ac tibi: si minùs, ut salva atq; honesta Repub. tibi quàm minimum noceant optamus. Pridie Non. Sextileis.*

† IMITATIO HVIVS Epistolæ.

LEgi tuas literas superbas admodùm & minaces, minimeq́; aut homine literato, aut amico dignas. Nihil ego unquam à me dictum factumvé memini, quod esset contra, vel rem, vel existimationem tuam. Neque etiam miraturum te arbitratus sum, si amicus, & amicus non novus, sed vetus ac probatus, liberè, candidè, aperteq́; de iis te commonefaceret, quæ ad salutem tuam & famam pertinere videntur. Quod si ægrè molesteq́; fers, ausum istud me facere: Etiam mihi concede ut doleam atq; indigner, te adeò malè ac sinistrè amicorum admonitiones interpretari. Nam de sermonibus nescio quibus tuum in nomen emissis, quod te questum esse inficiaris; Tibi sanè credo: sed simul quoq; fecisse me illud nego,

& constanter nego. Interim te miror, cùm hæc reticueris, non potuisse affectus tuos reprimere, aut cohibere iracundiam: quin mihi de literis ad te nuper datis objiceres. Illud verò quónam sit accipiendum modo, cogita: Non licere cui, honestatis gratiâ, liberè per literas amicum monere, castigare, reprehendere; quin ob illud malè audiat, & pœnam exspectare cogatur. Quia scilicet ventis nunc uteris admodùm secundis, & ad voluntatem fluunt omnia: Quia potentiâ vales: Quia multorum collectam gratiam habes: quia opibus polles, ac divitiis: Idcircò cristas erigis: transverso amicos humero despicis: admonitiones atq; castigationes ferre minimè potes. Sed ista omnia ego non curo. Neque enim convenit ad delicta amicorum tacere, aut clausis oculis in

alio-

aliorum gratiam ab honeſtate & juſtitiâ deflectere: aut deniq; ea probare, quæ nemo laudare vir bonus poteſt. Neq; minantis apud liberos, cordatos, prudentes autoritas eſſe magna, aut poteſt, aut debet: cùm, ut trito dici proverbio ſolet: *Minis nemo moriatur: Nec, niſi pueri ac ſtulti moveantur.* Ego in te ita ſum animatus, ut non temerè ad ullas inimicitias aut ſimultates vocare te velim: Magis etiam magiſq; inclareſcere cupiam. Sed interim *Periclem* ſecutus: μέχρι τοῦ βωμοῦ φίλος εἰμὶ, & pluriſq; honeſtatem ac virtutem, quàm vel tuam, vel cujuſquam alterius amicitiam atq; gratiam æſtimo. Tu etiam atq; etiam videbis, quid agas: diligenterq; cogitabis, cujuſmodi exitus fuerint eorum, qui eadem, quæ tu, tentârunt. Deum ego Opt. Max. rogo: ut conſilia & tibi, & aliis; Rei denique publicæ

blicæ toti salutaria tibi suppeditet. Vale.

Appositissima comminatoriarum Epistolarum cum responsionibus ad easdem exempla habet secundus *Laconicarum Epistolarum* liber.

DE DEMONSTRATIVI generis Epistolis.

DEmonstrativum caussæ genus Cicero in Partitionibus Oratoriis *Exornationem* dixit. Est autem genus hoc Exornationis, ut ibidem Cicero affirmat, latum & varium, omniaque complectitur, quæ à duobus aliis caussarum generibus remota dicuntur, vel scribuntur ad cognitionem, & ad aurium voluptatem. Itaque ille idem in Oratore Exornationi subjicit laudationes & vituperationes, scriptiones, historias, reliquarumque rerum formam, quæ absunt ab omni contentione.

DE NVNTIATORIA SEV narratoria Epistola.

NUntiatoriam Epistolam, sub qua Narratoriam seu Expositoriam comprehendi certum est, Demonstrativi generis esse constat, cùm grave judicium Ciceronis habea-

mus, qui in Orat. ad Brutum Historiam seu Narrationem ad id genus revocavit.

Hæc enim pertinet ad cognitionem rerum gestarum, & ad eam voluptatem, quæ capitur ex cognitione, quas nemo negabit esse exornationis. Est autem Epistola Nunciatoria Historiæ quasi alumna quædam, sicut Epistolæ Ciceronis, & præcepta ipsa declarant.

Nuntiatoria enim *Epistola* est, qua facimus amicum certiorem, si quid novæ rei gestum sit apud nos, quod illius referat scire, vel quod illi voluptatem sit allaturum, sive privatum sit illud, sive publicum. *Privatum*, ut cum significamus absenti, qua valetudine simus, nos aliivé, quid agat in studiis, quid rure, quid in urbe, quid in ædificiis, quid in litibus successerit? & alia hujusmodi: *Publicum* verò, ut de pace, de bello, de rebus gestis, aut veteribus, de pestilentiâ aut inundationibus, terræmotu, tempestatibus, aliisque generis ejusdem.

Quod ad collationem attinet, cùm Epistola esse debeat expressio quædam amoris erga amicum, cui scribimus: captanda est initiò *Nuntiatoriæ*, non secus, atq; in aliis Epistolarum formis, benevolentia, vel excusatione silentii, & raritatis literarum: vel commendatione alicujus facti illius, ad quem scribitur:

tur: vel institutæ scriptionis occasione: vel occupatione & insinuatione in re aliquâ tristi. Exordium tamen & benevolentiæ captatio, ut suprà annotatum certis de caussis omitti potest.

Pars altera Narratio est, quæ nunciationem atque expositionem continet, factam notatione circumstantiarum Loci, Temporis, Personarum, Modi, Consiliorum, Causarum, Factorum, Testimoniorum, & similium rerum.

Hanc his virtutibus commendari necesse est ut sit Brevis, Simplex, Dilucida, Elegans; & veritati consentanea.

In Narrando, ita rerum ac temporum servabitur ordo: ut à lætioribus exordiamur, & priùs de amici rebus dicamus, quàm de nostris, si fortè de nostris dicere aliquid voluerimus.

Narrationis quoq; inspiciendus est finis, is enim geminus esse potest; vel sola rei cognitio, vel ejusdem etiam delectatio.

Cùm sola cognitio quæritur, ita narrabitur, ut si petiverit, ad se perscribi, sciat nos ipsi diligenter esse satisfacturos.

Si non petierit, nos ipsum rei noscendæ cupidum reddemus, ut sciat, nos etiam absentes, quæ scire is velle debeat, etiam ultrò

adfer-

adferre: & tùm rem sic narrabimus, ut nihil cognitione dignum omittamus.

Si verò delectationis causâ narramus quippiam, admittenda tùm erit major verborum sententiarumq; urbanitas simul ac varietas, ut ab initio omnia ad jucunditatem ipsam conferantur.

In *Epistola Narratoria*, quæ partim gesta, partim gerenda exponentur, danda est opera, ut præterita & præsentia sic exponamus, ut ex iis futura conjecturis quodammodo colligi queant.

Et ubi quid in quaq; re aut boni aut mali sit declaravimus: tùm quoque paucis aperiendum est, quid illi faciendum arbitremur.

Postrema pars Conclusio est, in qua nos similia scripturos pollicebimur, & ab amico, ut ipse quoque (si quid novi acciderit) ad nos perscribat, petemus: Vel eundem animo infracto & bonâ de rebus spe esse jubebimus: vel adhortabimur, ut curam valetudinis gerat: vel Deo pro recuperatâ valetudine gratias agat, nos conveniat, vel aliud quid agat.

Eâdem collocatione, quæ hîc in Nuntiatoria observanda præcipitur, utendū in Epistolis quas *Ænigmaticas* voçant, quibus aliud

scribimus, aliud verò intelligimus. Cùm nimirum absenti amico mentis sensa & cogitata, quæ cum periculo conjuncta esse videntur, obscurè ac tectè exponimus. In his adhibendæ sententiæ, quæ varium sensum afferunt: aliud verbis indicant, aliud re ipsi complectantur.

Allegoriæ & translationes adsint oportet crebræ: atque vocabula, quæ ambiguam significationem habent. Poëtarum quoque Fabulæ, aut aliorum acuta & obscura dicta assumenda. Interim opera danda est; ut parcè non continuò ænigmatica adhibeantur; & adhibeantur tùm, cùm vel necessitas ob periculum flagitat: vel propter eruditionem & acumen: vel deniq; cùm voluptas & delectatio requiritur. Sunt hujus generis in Epistolis Familiaribus lib. X. Epist. 28. & lib. XII. Epist. 4. in quibus obscurè Cicero conqueritur, quod non cum Cæsare una quoque Antonius sit interfectus. Multæ autem & variæ in iis sunt, quas ad Atticum Cicero scripsit, tempore Reipub. admodum periculoso, ut lib. I. Epist. 15. ubi tectè Cicero de adulterio agit cujusdam Caij cum Luculli uxore, & illum quidem Paridem, hunc Menelaum vocat: Et de togulâ pictâ Pompeji: Et piscatoribus, Lucullo Hortensio, L. Phi-

lippo,

lippo, quia abjecta Reip. curâ, de piscinis suis soliciti erant. Præstant autem cæteris, quæ lib. VII & IIX. extant, propterea quod scriptæ illæ sunt belli civilis tempore de Pompejo, Cæsare, & aliis, quos apertè reprehendere minùs tutum erat. Sunt & egregiæ libro XIV. Epistolæ, quos post Cæsaris necem de Antonio & ejus sectatoribus Cicero scripsit: Ubi valdè periculosum erat apertè illa vituperare, quæ contra majorem consvetudinem in Repub gerebantur.

Exemplum *Nuntiatoriæ Epistolæ* de rebus institutæ privatis, non nostris, sed alienis, observatum in Epistola 12 lib. IV. ad Famil. qua Ciceronem Sulpitius de cæde Marcelli certiorem facit. Cujus principium insinuatione factum est, propter materiam auditu parùm jucundam. Pars altera rei expositionem factâ circumstantiarum notatione, temporis, loci, personarum, caussarum, modi continet. Postrema pars commemorationem habet officiorum Marcello demortuo præstitorum.

ETsi scio, non jucundissimum nuntium me vobis allaturum: Tamen quoniam CASUS *& natura in nobis dominatur, visum est faciendum, quoquo modo res se haberet, vos certiores ut facerem. Ad X. Cal. Junias cùm ab Epidauro Pyraeum navi advectus essem, ibi Marcellum colle-*

gam nostrum conveni: eumq; diem ibi consumpsi, ut cum eo essem. Postero die cùm ab eo digressus essem, eo consilio, ut ab Athenis in Bœotiam irem, reliquamq; jurisdictionem absolverem: Ille, uti ajebat, supra Maleas Italiam versus navigaturus erat. Postridie ejus diei, cùm ab Athenis proficisci in animo haberem: circiter horam decimam noctis posthumus familiaris ejus ad me venit: Et mihi nunciavit, M. Marcellum collegam nostrum post cœnæ tempus à P. Magio Chilone familiari ejus, pugione percussum esse, & duo vulnera accepisse: unum in stomacho, alterum in capite secundum aurem: Sperare tamen eum vivere posse: Magium seipsum interfecisse: Posteà se à Marcello ad me missum esse, qui hæc nunciaret, & rogaret ut medicos cogerem. Coegi, & è vestigio eò sum profectus, primâ luce: Cùm à Piræeo non longè abessem, puer Acidini obviam mihi venit, cum codicillis, in quibus erat scriptum, paulò ante lucem Marcellum diem suum obiisse. Ita vir clarissimus ab homine teterrimo acerbissimâ morte est affectus: Et cui inimici propter dignitatem pepercerant, inventus est amicus, qui ei mortem afferret. Ego tamen ad tabernaculum ejus perrexi, inveni duos libertos & pauculos servos: Reliquos ajebant profugisse metu perterritos quod dominus eorum ante tabernaculum interfectus esset. Coactus sum in eadem illâ lecticâ, qua ipse delatus erã, meisq;

meisq; lecticariis in urbem eum referre: ibiq; pro eâ copiâ, quæ Athenis erat, funus ei satis amplum faciendum curavi. Ab Atheniensibus, locum sepulturæ intra urbem ut darent, impetrare non potui, quod religione se impediri dicerent: Neq; tamen id anteà cuiquam concesserant. Quod proximum fuit, uti in quo vellemus gymnasio eum sepeliremus, nobis permiserunt. Nos in nobilissimo orbis terrarum gymnasio eum Academiæ locum delegimus, ibiq; eum combussimus: Posteaq; curavimus, ut iidem Athenienses in eodem loco monumentum ei marmoreum faciendum locarent. Ita, quæ nostra officia fuerunt pro collegio & propinquitate: & vivo, & mortuo omnia ei præstitimus. Vale. D. Prid. Kal. Iun. Athenis.

† *IMITATIO HVIVS EPISTOLÆ, qua parentem de filii obitu certiorem facimus.*

ETsi scio, vir clarissime, minimè jucundum me tibi nuntium allaturum: Tamen, quoniam ita placuit ei, cujus imperio ac voluntati meritò, nos nostraq; omnia subjicere debemus, visum est faciendum, quoquo modo res se haberet, certio-

tiorem te reddere. Ad decimum Cal. Aug. *Basileam* ex Italia quum venirem, filium tuum conveni, eumq; ibi diem consumpsi, ut cum illo aliisq; meis popularibus essem. Postero die cùm ab eo digressus essem, hoc consilio, ut in Galliam irem, atq; reliquam profectionem absolverem, ille, uti ajebat, rectâ iturus in Italiam erat. Paucos verò post dies, cùm *Argentinæ* comites quosdam expectarem, familiarium quidam ad me venit, mihiq; nunciavit, filium tuum, cùm magnis itineribus *Patavium* cogitaret, in ardentissimam febrim incidisse, ita quidem ut de vitâ periclitari crederetur. Quo sanè nuncio, uti debui, perculsus sum vehementer, intermissâq; profectione institutâ, statim ad eum profectus sum. Cùm non longè eo ab oppido, in quo propter morbum ille substiterat, abes-

abessem: quidam cum literis mihi obviam venit, in quibus perscriptum erat, diem suum filium tuum obiisse. Itaq; relictis medicamentis quæ mecum sumpseram, ad oppidum illud perrexi, proque eâ copiâ, quæ esse eo in loco poterat, funus ei satis honestum faciendum curavi. Intra oppidum in templo locum sepulturæ ut darent, à Magistratu impetrare non potui: Qui religione impediri sese: neque etiam peregrinis concedi illud dicerent. Quod proximum ergo fuit, extra oppidum in polyandrio & cœmiterio commodum selegi: Monumentum etiam aliquod faciendum locavi: Ita, quæ quidem inter peregrinos præstare officia filio potui, pro communi patria & amicitia veteri, demortuo præstare conatus sum: Tu casum hunc acerbum animo magno, & ut is qui CHRISTO nomen

men dedit, feres. Etsi enim orbari filio, & filio unico, & filio obsequente sit luctuosum, perquàm etiam grave illud: inter peregrinos, non domi eo orbari: Tamen sacris literis edoctus, Domini esse terram; omnemq; ejus plenitudinem nôsti: scis undiq; in cœlum tantundem viæ piis animabus restare: ut neq; istud ignoras: repetiisse à te filium, qui ad tempus saltem fruendum eum tibi concesserat. Ipsius denique filii te movere pietas debet, ut pacato omninò sedatoque animo casum hunc feras: Qui ut ex illis audivi qui morienti adfuerunt, infracteq́, inq; ardenti filii Dei invocatione ex hominibus abiit. Sed hæc, & alia ex eo, qui hasce ad te perfert literas, copiosius intelliges: cui ut fidem habeas etiam atque etiam rogo. Vale.

EXemplum *Nuntiatoriæ Epistolæ* institutæ de rebus nostris privatis observatum in 21. Epistol. lib XVI. ad Fam. qua Ciceronis filius ad Tironem de studiis suis, præceptoribus, exercitationibus, amicis, & familiaribus scribit: ostendit etiam in eo totum se fore, ut & neglecta priùs sarciat, & Athenis benè tempus collocet. In Exordio scribendi occasionem, & quam gratæ patris & Tironis sibi exstiterint literæ, indicat. In Narratione primùm vitam suam priorem detestatur, & emendationem promittit: Deinde multa de studiis atque exercitationibus suis scribit. In Conclusione à Titione petit, ut librarium aliquem Græcum mittat.

CUm vehementer tabellarios exspectarem quotidiè, aliquando venerunt, post diem XL. & VI. quàm à nobis discesserant: quorum mihi fuit adventus optatissimus. Nam cùm maximam cepissem lætitiam ex humanissimi & charissimi patris epistola: tùm verò jucundissimæ tuæ literæ, cumulum mihi gaudii attulerunt. Itaq; me jam non pænitebat intercapedinem scribendi fecisse, sed potiùs lætabar. Fructum enim magnum humanitatis tuæ capiebam ex silentio mearum literarum. Vehementer igitur gaudeo, te meam sine dubitatione accepisse excusationem. Gratos tibi optatosque esse, qui de me rumores afferuntur,

non dubito, mi dulcissime Tiro: Præstaboq; & enitar, ut in dies magis magisq; hæc nascens de me duplicetur opinio. Quare quod polliceris te buccinatorem fore existimationis meæ, firmo id constantiq; animo facias licet. Tantum enim mihi dolorem, cruciatumq; attulerunt errata ætatis meæ, ut non solùm animus à factis, sed aures quoque à commemoratione abhorreant, cujus te sollicitudinis & doloris participem fuisse notum exploratumq; est mihi: Nec id mirum. Nam cùm omnia meâ caussâ velles, tùm etiam tuâ. Socium enim te meorum commodorum semper esse volui. Quando igitur tùm ex me doluisti, nunc ut duplicetur tuum ex me gaudium, præstabo. Cratippo me scito non ut discipulum: sed ut filium esse conjunctissimum. Nam cùm audio illum libenter, tùm etiam ejus propriam suavitatem vehementer amplector. Sum totos dies cum eo, noctesq; sæpenumero partem. Exoro enim, ut mecum quàm sæpissimè cœnet, hac introducta consvetudine sæpè inscientibus nobis & cœnantibus obrepit: sublataq; severitate Philosophiæ, humanissimè nobiscum jocatur. Quare da operam, ut hunc talem tàm jucundum, tàm excellentem virum videas quàm primùm. Nam quid ego de Bruto dicam? Quem nullo tempore à me patior discedere, cujus cùm frugi severaq; est vita, tùm etiam jucundissima conjunctio. Non est enim sejunctus

jocus

jocus à Philologia, & quotidiana συζητήσει. Huic ego locum in proximo conduxi, & ut possum, ex meis angustiis illius sustento tenuitatem. Præterea declamitare Græcè apud Cassium institui; Latinè apud Brutum exerceri volo. Vtor familiaribus & quotidianis convictoribus, quos secum Mitylenis Cratippus adduxit, hominibus & doctis, & illi probatissimis. Multum etiam mecum est Epicrates Princeps Atheniensium & Leonides, & horum cæteri similes. τὰ μὲν οὖν καθ' ἡμᾶς τάδε. De Gorgia autem quod mihi scribis, erat quidem ille in quotidiana declamatione utilis, sed omnia postposui, dummodo præceptis patris parerem, διαῤῥήδην enim scripserat, ut eum dimitterem statim. Tergiversari nolui, ne mea nimia σπουδὴ suspicionem ei aliquam importaret. Deinde illud etiam mihi succurrebat: Grave esse me de judicio patris judicare. Tuum tamen studium, & consilium gratum acceptumq; est mihi. Excusationem angustiarum tui temporis accipio scio enim quàm soleas esse occupatus. Emisse te prædium vehementer gaudeo, feliciterq; tibi rem istam evenire cupio. Hoc loco me tibi gratulari, noli mirari: Eodem enim ferè loco tu quoq; emisse te, fecisti me certiorem Habes ubi deponendæ tibi sint urbanitates, rusticus Rom. factus es. Cùm ego mihi nunc ante oculos tuum jucundissimum conspectum propono, videor videre ementem te rusticas res, cum villico

loquentem, in lacinia servantem ex mensa secunda semina. Sed quod ad rem pertinet, me tùm tibi defuisse, æquè ac tu doleo. Sed noli dubitare, mi Tiro, quin te sublevaturus sim, si modò fortuna me, præsertim cùm sciam, communem nobis emptum esse justum fundum. De mandatis quod tibi curæ fuerunt, est mihi gratum. Sed peto à te, ut quàm celerrimè mihi librarius mittatur, maximè quidem Græcus. Multum enim mihi eripitur operæ in exscribendis hypomnematis. Tu velim inprimis cures, ut valeas, ut unà συμφιλολογεῖν possimus. Antherum tibi commendo. Vale.

† IMITATIO HVIVS EPISTOLÆ, qua præceptores, ac amicos de nostris studiis, lectionibus, exercitationibus sive recreationibus certiores facimus.

Cùm literas ego vestras, Præceptor observande, expectarem quotidie hisce diebus; serò illę quidem, optatò tamen venerunt: Ad summam enim lætitiam, quam ex humanissimi clarissimique parentis mei Epistola percepi, magnus tuis ex

ex literis gaudii cumulus accessit: Ex quibus intellexi, & excusationem apud te meam locum invenisse, & curam te mei minimè abjecisse Jucunda atq; optata tibi esse ea, quæ de me domum ab aliis scribuntur, minimè dubito: Operam quoq; dabo, enitar, perficiam deniq; ut, Deo conatûs meos juvante, nascens hæc de meis studiis ac moribus opinio præclara indies magis magisq; confirmetur. Quare quod laudum mearum buccinatorem te fore scribis, mihi gaudeo: Tibi, uti debeo, gratias ago: ut etiam firmo illud constantiq; animo facias, etiã atq; etiam rogo Neq; enim verbis satis exprimere possum, quanto me dolore ac cruciatu superioris temporis errata afficiant, quamq; non modò à factis verùm etiam memoriâ animus nunc abhorreat Jam demum miser in memoriam revo-
 co,

co, & agnosco ea, quæ discedenti mihi dixisti: Multis magnisq; obnoxiam periculis adolescentiam, maximè eam esse, quæ studiorum gratiâ ad Academias ablegatur: Insidias illi tendi plurimas, ad corrumpendum parata, cùm alia, tùm Exempla esse eorum, qui non re, sed nomine tantùm sunt Studiosi: nec ornant, sed deformant scholas, in quibus hi vivunt. Et ut seriò rem me agere intelligas, paucis vitæ atque studiorum meorum rationem accipe. Nihil ego præproperâ atq; intempestivâ ad altiora studia festinatione perniciosius esse adolescentibus ex te sæpè audivi: Memini & dicti adhuc Platonici, quo uti crebrò est solitus: *Nimium festinando serius ad finem pervenire homines.* Itaq; juris atq; legum, ita Professores audio: ut ea interim non negligam, quibus vel ad humanitatem informari

mari adolescentes solent, vel ad superiores, uti vocant, facultates fit aditus & Philosophiæ partem eam, quæ de vita ac moribus, re etiam publica est tradita, diligenter disco; & Historiarum mihi commendatam lectionem habeo, & his Dialecticorum præcepta adjungo, Ita quidem, ut memor sim ejus, quod apud Platonem Callicles monet, ad usum, non contemplationem nudam studia referenda esse. Quoniam etiam sine eloquentia inanis omninò atq; infrugifera esse rerum cognitio solet, quæ in Cicerone explicantur, non solùm diligenter, assiduò, constanter audio: verùm etiam scribendo dicendoq; ad usum transferre conor. Atq; in his omnibus Plinii illud considero: *Legendi semper: Audiendi non itidem occasio erit*: Et quod Cicero quodam in loco scribit: ζώσης φωνῆς μείζων ἐνέργεια. Ad

mutos magiſtros & privatas lectiones quod attinet, ita eas inſtituo: ut antelucanas horas primas preces & ſacra Biblia obtineant: obtemperans mandato filii Dei: *Quærite primùm regnum Dei, & juſtitiam ejus.* Hæc ſubſequitur, quæ ad eloquentiam parandam ſummè neceſſaria, Styli exercitatio: Et Præceptoribus meis matutinis inſtituenda horis videtur, propterea quòd meridianæ, aut æſtu fervent, aut ſaturatos ventriculos reperiunt: veſpertinæ verò propter defatigationem ac laſſitudinem languidum ſtylum reddunt. Reliquas horas Profeſſorum lectiones publicæ occupant, ad quas tamen nunquam accedo, niſi ante & explicata repetierim, & ſæpè diligenterq; locum legerim eum, qui in ſchola explicandus eſt. Horam ſ.am, quæ prandium antecedit, corporis exercitio, & vel deambulati-

unculis modicis, vel pilæ ludo tribuo, atque ita, non quidem famem obſono, aut ad cibum me præparo, qui, ut noſti, tenuis, non lautus eſſe in ſcholis conſvevit: ſed valetudini partim conſulere, partim ad capeſſenda ſtudia alacriorem reddere animum cupio. Magnum enim crudorum humorum copiam accumulare, & ſcabiem, morbum Ordini Scholaſtico admodùm familiarem, accerſere eos ſibi medici noſtri affirmant, qui ſtatim à cibo ſumpto corporis exercitia inſtituunt. Et quia eodem tempore ad ſtudia redire pernicioſum quoque iidem judicant; priuſquam pomeridianæ in Schola inchoëntur lectiones, aut teſtudine me oblecto: aut pauliſper meridior: aut contubernalium & familiarium colloquiis me reficio. Utor enim συσκήνοις & συμβίοις adoleſcentibus, non loco

modò honesto natis: verùm etiam doctis, & Præceptoribus meis cumprimis gratis & acceptis, quibus cùm de studiis aliisq; rebus jucundè utiliterq; colloquor. Professores quoq; non rarò accedo, atq; inde verum esse experior illud, quod quadam in Epistola *Seneca* scribit: *Nullam rem magis honesta intueri dubiosq; & in pravam inclinantes ad rectum revocare, quàm bonorum virorum conversationem: frequenter audiri atq; aspici, paulatim in pectora descendere, præceptiq; vim obtinere: Esse deniq; aliquid quod ex magno viro, vel tacente quis discat.* Familiaritati & amicitiæ quorumdam ego renunciavi, propterea quod διαῤῥήδην pater scripserat, ut eos missos facerem, ne mea hac in re tergiversatio aliquam ei suspicionem moveret. Tandem non statim à cœna; sed unius ad minimum horæ spacio interposito & recreati-

uncu-

unculis adhibitis honestis, in cubiculum mecum confero, antequam quieti me & somno dedam, memor illius:

Non prius in dulcem declinet lumina somnum,
Omnia quàm longi reputaverit acta diei.

Quid eo die audierim, legerim, viderim cogito. Et uti boni patres familiâs accepti atq; expensi habere tabulas solent; ita Ephemerides ego & volumina habeo, in quæ observatu digna refero. Tandem sacrorum Bibliorum lectione piisq; ad Deum votis diem claudo. Habes vitæ ac studiorum meorum rationem: à quâ non antè recedere constitui, quàm vel à te, vel aliis viris doctis melior mihi commodiorq; monstrata fuerit. Te commodè adhuc cum familia valere: florere gratiâ & autoritate: emere hortos,

tos, ædes, prædia vehementer gaudeo: feliciterq; cùm hæc, tùm alia omnia evenire tibi cupio! Cùm etiam quod præterea scribam, non habeam, ipsaq; ut vides charta deficere me incipiat, unicum hoc tantùm peto; ut quod facis, absentem me tuo dignum amore atque patrocinio judices: Literis quoq; meis satis fortè verborum, at parum ingenii doctrinæque habentibus ignoscas.

EXemplum *Nunciatoriæ Epistolæ* institutæ de rebus publicis observatum in Epist. 5. lib. 2. ad Famil. quo Curionem Cicero de Reipub statu certiorem facit. In Exordio quod tutum satis non sit de publicis rebus scribere, rejectione expositionis Cicero utitur. In Narratione tectè & occultè miserabilem Reipub. statum exponit, ita etiam debilitata omnia ac exstincta propè esse affirmat, ut dubitet, utrum, cùm venerit Curio, habiturus sit, quod curet. In Conclusione adhortatur ut ea paret, meditetur, cogitet, quæ iis necessaria, qui miseris temporibus Reipub. opem ferre cupiunt.

Has

HÆc negotia quomodo se habeant, ne Epistolâ quidem audeo narrare tibi. Etsi ubicumq; es (ut scripsi ad te antea) in eadem es navi; Tamen quod abes, gratulor; vel quia non vides ea, quæ nos: vel quod excelso & illustri loco sita sit laus tua, in plurimorum & sociorum, & civium conspectu: quæ ad nos nec obscuro nec vario sermone, sed & clarissimâ & unâ omnium voce perfertur. Vnum illud nescio, gratulerne tibi, an timeam? quòd mirabilis est expectatio reditus tui: non quòd verear, ne tua virtus opinioni hominum non respondeat; sed mehercule, ne, cùm veneris, non habeas jam, quod cures: Ita sunt omnia debilitata, & jam propè exstincta. Sed hæc ipsa nescio rectène sint literis commissa? Quare cætera cognosces ex aliis. Tu tamen sive habes aliquam spem de Repub, sive desperas; Ea para, meditare, cogita, quæ esse in eo cive ac viro debent, qui sit Remp. afflictam & oppressam miseris temporibus ac perditis moribus, in veterem dignitatem ac libertatem vindicaturus. Vale.

† IMITATIO HVIVS EPISTOLÆ, quam de miserabili patriæ statu Conquerentes mittere possimus ad adolescentem Studiorum gratia peregrinantem.

PEtis à me, ut de patriæ tuæ statu certiorem meis te literis reddam.

dam. Facerem equidem hoc lubenter, si sine periculo fieri illud posse viderem. Sed profectò eo se se modo res nunc habent omnes, ut ne Epistolâ quidem narrare tibi, nedum nunciis atque tabellariis committere audeam: Qui quàm sint rimarum, ut ille ait, pleni maximè ubi vino incaluerint, factique fuerint hilaruli, multi, sæpè non sine suo damno experiuntur. Hoc unum accipe: Etsi, quod proverbio dicitur, *Patriæ fumus sit alieno igni luculentior, eaq; viro bono nihil esse possit jucundius*: Tamen quod à tuâ jam abes, tibi verè & ex animo gratulor. Neq; enim ea vides vel audis, quæ nos, qui adsumus, videre & audire quotidiè non sine magno dolore cogimur. Deinde eo in loco res esse tuas, nec obscuro, nec vario ad nos sermone perfertur, ut vix meliori esse posse videantur.

Quod

Quod enim ita vitæ tuę ſtudiorum-que rationem inſtituis: ut jucundus ſis condiſcipulis: gratus præceptoribus: acceptus iis, quorum tecto menſâq; uteris; ſpe tui magnâ omnes imples eos, qui de ingeniis aliquid judicare poſſunt. In felicitatis, crede mihi, haud poſtremâ parte reponendum eſt. Ut autem nunc patriæ tuæ eſt ſtatus, vehementer profectò metuo, ne ſi domum aliquando veneris, non dignum aliquem ingenio, doctrinâ, virtute locum invenias. Omnia enim extincta propè nunc jacent: ſilent leges: exulat juſtitia: diſciplina collapſa eſt: literæ earundemque cultores nullo, aut perquàm exiguo ſunt numero. Verùm & hæc neſcio rectène tutoq; ſatis ſint literis credita. Itaq; ex aliis plura te audire, quàm meis cognoſcere literulis mâlo. Tu tamen hac de cauſſa; nihil interim

rim de diligentiâ in studiis remittes: sed ea parabis, meditaberis, cogitabis, quibus instructos paratosque eos esse oportet, qui miseris hisce ac ferè conclamatis temporibus opis aliquid atq; auxilii Reip. ferre Christianæ cupiunt. Et si fortè locus tibi in patria nullus contigerit, de eo Poetæ cogitabis:

Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor:
Et volucri vacuo quicquid in Orbe patet. Vale.

NVNCIANDI
Formulæ.

QUo in statu hîc omnes simus, accipe. Quid hîc geratur, scire poteris ex eo, qui literas attulit.

Mitto librum, quem desiderabas: serius tamen, quàm & tu voluisti, & ego debebam. Ita, mi Canni, distringor occupationibus, ut neq; respirandi sit locus.

Coràm me tecum eadem hæc agere sæpè conantem deterruit pudor quidam penè sub-

rusti-

rusticus, nunc exponam absens, aut tacitus:
Epistola enim non erubescit.

Dedi Lovanio discedens literas Bartholomæo Müllero, communi amico, quas tibi redderet: quibus Epistolæ tuæ paucis, ut tum ferebat tempus & festinatio mea patiebatur, respondi.

Ornatissime vir, nihil erat, hoc tempore magnoperè dignum, de quo celsitudinem tuam interpellarem, sed ad scribendum invitavit opportunitas tabellarii, tùm certi, tùm huc mox reversuri.

Fit plerumq; ut ii, qui boni quid volunt adferre, affingant aliquid, quò faciant id, quod nunciant lætiùs.

Simul ac progredi cœpero, quàm celerrimis potero, & quàm creberrimis literis faciam, ut tibi nota sit omnis ratio dierum atq; itinerum meorum.

Me quotidiè aliud ex alio impedit: sed si me expediero, ut in ista loca venire possim, non committam, ut te serò à me certiorem factum putes.

Cùm primùm de Antonio exploratum habuero, faciam te certiorem.

Summa tua auctoritas fecit, meumq; perpetuum de tua singulari virtute judicium, ut magni meâ interesse putarem, & res eas, quas

quas gessissem, notes tibi esse, & non ignorari à te, qua æquitate & continentiâ tuerer socios, provinciamq́, administrarem.

Nunc etsi omnia aut scripta esse à tuis arbitror, aut etiam nunciis & rumore perlata; tamen ea inscribam brevi, quæ te puto potissimùm ex meis literis velle cognoscere.

Prioribus tibi declaravi, adventus noster qualis fuisset, & quis esset status, atq; omnes res nostræ quemadmodum essent, ut in secundis fluxæ, ut in adversis bonæ.

Ex eo de toto statu rerum omnium cognosces, quæ quales sint, non facilè est scribere.

Faciam illud quod rogatus sum, ut eorum quæ temporis hujus sunt, quæ tua esse audiero, ne quid ignores.

Quæ gerantur, accipies ex Pollione, qui omnibus negociis non interfuit solùm: sed præfuit.

De omnibus rebus, quæ ad te pertinent, quid actum, quid constitutum sit, quid Pompejus susceperit, optimè ex Eupatorio cognosces, qui non solùm interfuit his rebus, sed etiam præfuit, neque ullum officium erga te hominis amantissimi, prudentissimi, diligentissimi prætermisit.

Isti puero, quem ad te jussi recurrere, da pon-

ponderosam aliquam Epistolam, plenam omnium non modò actorum, sed etiam opinionum tuarum.

Hæc res quemadmodum ceciderit, & tota res quo loco sit, velim ad me scribas, & ita, ut instituisti. Nam ista veritas etiamsi jucunda non est, mihi tamen grata est.

Hæc tibi scripsi, quia æquum erat, te pro amore mutuo non solùm omnia mea facta dictaque; verùm etiam consilia cognoscere.

Habes acta mea tridui, quibus cognitis volui tantùm te voluptatis absentem, & studiorum nomine, & meo capere, quantum præsens percipere potuisses.

Hæc tibi scripsi, quia de omnibus, quæ me vel delectant vel angunt, non aliter tecum, quàm mecum loqui soleo. Deinde quod durum existimabam amantissimum mei fraudare voluptate, quam ipse capiebam. Neq; enim sum tàm sapiens, ut nihil meâ intersit, an iis, quæ honestè fecisse me credo, testificatio quædam & quasi præmium accedat.

Invicem tu si quid Epistolâ dignum ne gravare scribere. Nam cùm aures hominum novitate lædantur, tùm ad rationem vitæ exemplis erudimur.

Scriberem ad te pluribus de rebus; sed

vereor, ne vel mea diligentia ſit moleſta; vel veritas acerba.

Scribito ad me, quem noſti curioſum, non ſolùm quid geſtum ſit geraturq; iſthîc, verùm etiam, quid divines futurum.

RESPONSIO AD NUNCIAtoriam ſeu Narratoriam.

AD expoſitionem reſcribemus, nos vel lætitiam & voluptatem, vel dolorem & triſtitiam ex amici literis percepiſſe, ejuſq; in ſcribendo gratum nobis fuiſſe officium oſtendemus. Rogabimus, ut ita facere pergat, & quàm ſæpiſſimè. Gratias etiam poterimus agere viciſſim, & nos ſcripturos pollicebimur ea, quorum ipſum cognoſcendorum eſſe avidum putamus. Si quid autem ab amico deſideramus, quod prætermiſſum eſſe videatur, modeſtè illis de rebus ipſum admonebimus, ita ut ad laudem noſtra verba ſpectent.

In collocationis principio gratas vel ingratas nobis amici literas fuiſſe ſignificabimus; vel eorum ſvavitatem & prudentiam laudabimus: vel brevibus, quæ ab amico ſcripta ſunt, repetemus: vel gratias eidem ſcriptionis ergò agemus.

Deinde id quod nunciatur, vel laudabimus

& approbabimus, vel reprehendemus & improbabimus.

Tertia pars rationes complectetur, sumptas à caussis & circumstantiis temporis, loci, modi, factorum, consiliorum.

Pars postrema absolvitur, vel pollicitatione officii, auxilii, alteriusq; rei: vel voluntatis nostræ declaratione: vel petitione, ut posthac si quid acciderit novi, certiores nos amicos reddat.

Exemplum Responsionis ad Epistolam de rebus privatis institutam, observatum in Epist. 15. lib. VII. ad Fam. qua Trebatio Cicero respondet, qui de rebus suis privatis eum certiorem fecerat, & inter alia scripserat, libenter nunc se cum Cæsare esse, in familiaritatem quoque Marii venisse. *Exordium* benevolentiæ significatione, & literarum repetitione constat. *Narratio* ejus, quod nunciatur, approbationem continet. *Conclusio* adhortatione facta est, ut magnorum virorum gratiam & favorem retinere idem studeat.

QVàm sint morosi, qui amant, vel ex hoc intelligi potest. Molestè ferebam anteà te invitum istic esse: pungit me rursus, quod scribis te esse istìc libenter. Neq; enim tum meâ commendatione te non delectari facilè patiebar: & nunc angor,

quidquam tibi sine me esse jucundum. Sed tamen hoc mâlo nos ferre desiderium, quàm te non ea, quæ spero, consequi. Quod verò in C. Marii suavissimi, doctissimiq; hominis familiaritatem venisti, non dici potest, quàm valdè gaudeam: qui, fac, ut te quàm maximè diligat. Mihi crede, nihil ex ista provincia potes, quod jucundius sit, deportare. Cura ut valeas.

† *IMITATIO HUIUS EPISTOLÆ, qua amico in Academia aliqua viventi ad ejus nunciatorias respondemus.*

VIde, obsecro, quanto te amore complectar, quamq; ea in re querulus planè & μεμψίμοιρος sim. Ægrè antè molestèq; ferebam, te perinvitum à patria abesse, & in Academiis vivere: Nunc tua me absentia vexat. Cave enim credas, jucundum hoc mihi auditu extitisse, commendatione te meâ, qua aditum tibi ad viros doctos patefacere sum conatus, non usque adeò delectari: sed & quod de Israelitis

ſacræ literæ referunt, domum ſemper cogitare. Nunc illud rurſus me pungit, quòd libenter te eſſe in Academia, nec de patriâ cogitare ampliùs ſcribis. Sed tamen hoc ego ferre mâlo, quàm te hîc nobiſcum vivere, neq; conſequi ea poſſe, ad quæ pleno te curſu contendere jam audio. Quòd verò in clariſſimorum & doctiſſimorum virorum familiaritatem jam veniſti, dici non poteſt, quanta me illud lætitiâ ac voluptate afficiat. *Principibus*, inquit ille, *placuiſſe viris, non infima laus eſt*. Et hac de cauſa Romanos, homines prudentiſſimos, legimus filios ſuos doctorum ac præſtantium virorum uti conſvetudine voluiſſe, ut eorum non tàm ſermone erudito, quàm exemplis informarentur, niterentur conſiliis, præſentiâ à ſceleribus & peccatis deterrerentur. Itaque operam da ſe-
 dulò,

lò, ne quam apud tantos viros collectam jam gratiam atque benevolentiam habes, aut negligentiâ in studiis, aut dissolutione in vita ac moribus effundas. Nihil, crede mihi, ex istâ profectione reportare domum poteris, quod, vel jucundius nobis, vel tibi honorificum atq; utile magis futurum sit.

Exemplum Responsionis ad *Epistolam Nunciatoriam* de rebus publicis institutam observatum in Epist. 4. Bruti, qua ille Ciceronis Nunciatoriæ Epistolæ de victoria ab Antonio reportatâ respondet. Exordium repetitione literarum & lætitiæ ex iisdem perceptæ significatione est factum. Propositio collaudationem & approbationem habet ejus, quod nunciatur. Pòst Brutus moderatè utendum victoriâ, nec nimium tribuendum Augusto ostendit, simul etiam contra eos se defendit, à quibus, ut nimium lenis, reprehendebatur. Conclusio rerum quarundam privatarum declaratione absolvitur.

Quantà sim lætitià affectus; cognitis rebus Bruti nostri & consulum, faciliùs est tibi existimare, quàm

quàm mihi scribere: Cùm alia laudo, & gaudeo accidisse, tùm quod Bruti eruptio non solùm ipsi salutaris fuit, sed etiam maximo ad victoriam adjumento. Quod scribis, trium Antoniorum unam atq; eandem causam esse, quid ego sentiam mei judicii esse: statuo nihil, nisi hoc Senatus aut populi Rom. judicium esse de iis civibus, qui pugnantes non interierunt. At hoc ipsum, inquies, iniquè facis, qui hostilis animi in Rempub. homines cives appelles. Imò justissimè: Quod enim nondum senatus censuit, nec populus Rom. jussit, id arroganter non præjudico, neq; reveco ad arbitrium meum: Illud quidem non muto, quod ei, quem me occidere res non coëgit, neq; crudeliter quicquam eripui, neq; dissolutè quicquam remisi habuiq; in meâ potestate, quoad bellum fuit, multò quidem honestius judico magisq; quod concedere possit Respub. miserorum fortunam non insectari, quàm infinita tribuere potentibus, quæ cupiditatem & arrogantiam incendere possint, quâ in re Cicero, vir optime ac fortissime, mihiq; meritò & meo nomine & Reipub. clarissime, nimis credere videris spei tuæ, statimq; ut quisq; aliquid rectè fecerit omnia dare, ac permittere: Quasi non liceat traduci ac mala consilia corruptum largitionibus animum, quæ tua est humanitas, æqu animo te moneri patieris, præsertim de communi salute: Facies tamen, quod tibi visum fuerit:

Etiam ego, cùm me docueris. Nunc Cicero, nunc agendum est, ne frustra oppressum esse Antonium gavisi simus, neu semper primi cujusq; mali excidendi causa sit, ut aliud renascatur illo peius, nihil jam neq; opinantibus aut patientibus nobis adversi evenire potest, in quo non cùm omnium culpa, tùm præcipuè tua futura sit, cuius tantam auctoritatem Senatus ac populus Rom. non solùm esse patitur: sed etiam cupit, quanta maxima in libera civitate unius esse potest. Quam tu non solùm benè sentiendo: sed etiam prudenter tueri debes, prudentia porrò quæ tibi superest, nulla abs te desideratur, nisi modus in tribuendis honoribus: alia omnia sic adsunt, ut cum quolibet antiquorum comparari possint tuæ virtutes. Vnum hoc grato animo liberaliq; profectum, cautiorem ac moderatiorem liberalitatem desiderat, nihil enim senatus cuiquam dare debet, quod malè cogitantibus exemplo aut præsidio sit, itaq; timeo, de consulatu, ne Cæsar tuus altiùs se adscendisse putet decretis tuis, quàm inde si consul factus sit, descensurum. Quod si Antonius ab alio relictum regni instrumentum occasionem regnandi habuit; quonam animo fore putas, si quis auctore non Tyranno interfecto, sed ipso senatu putat, se imperia quælibet concupiscere posse? Quare tùm & facilitatem & providentiam laudabo tuam, cum exploratum habere cœpero, Cæsarem honoribus, quos

acce-

acceperit, extraordinariis fore contentum. Alienæ, igitur, inquies, culpæ me reum facies? Prorsus alienæ si provideri potuit, ne existeret, quod utinam inspectare possis timorem de illo meum. His literis scriptis, te consulem factum audivimus, tum verè incipiam proponere mihi Rempub. justam, & jam suis nitentem viribus, si istud videro. Filius valet & in Macedoniam cum equitatu præmissus est. Idib. Maiis, ex castris.

† *IMITATIO HVIVS EPISTOLÆ, ἀντιγραφικῆς hoc modo potest institui:*

QUantâ sim lætitiâ affectus, cognitis rebus ducum, & militum nostrorum, tibi judicare faciliùs, quàm mihi scribere est. Cùm alia ex animi evenisse sententiâ gaudeo: tùm illud quod sociorum eruptio ad reportandam victoriam adjumento maximo fuit. Quod verò de atroci pœna eorum scribis, qui in prælio sunt capti, si, quid ego sentiam, scire cupis: moderatè victoriâ utendum: eos, quos occîde-

re res non coëgit, nec crudeliter tractandos, nec etiam dissolutè remittendos, sed in potestate retinendos vestrâ existimo, ne quid moliri contra vos queant. Quantoperè Atheniensibus in Æginenses, Scioneæos, Samios devictos sævitia nocuerit: Quàm propter crudelitatem in Platæenses & Thassæos puniti fuerint Spartani atrociter, Historiæ testantur. Neque recentia, ac propè adhuc spirantia mihi exempla deessent; nisi jam antè nota ea tibi esse scirem. Ut & illa, quæ de recipiendis in gratiam iis, qui agnito suo errore ad nostram misericordiam confugiunt, in sacris literis leguntur. Meâ quidem opinione multò ad eorum, qui à vobis sunt abalienati, conciliandos animos conservandamque quietem ac tranquillitatem publicam, esset accommodatius, miserorum vos fortunam

tunam

tunam non insectari, quàm nimium iis tribuere, qui semel benè, fortiter, feciliter rem gesserunt. De me ut loquar, ingenuè fateor: vehementer me metuere: ne altiùs ascendisse se vestri duces putent, quàm inde, pace jam factâ, descensuri sint. Tùm demum quoque & patriæ meæ gratulabor, & prudentiam laudabo vestram, cùm non hoste modò, verùm etiam conducto milite liberatos vos esse, ducesque vestros stipendiis contentos domum rediisse audiero. Vale.

RESPONDENDI AD NVNciatorias Epistolas formula.

GRatum mihi est, quòd me de iis, quæ in Galliis publicè privatimq; geruntur, tàm accuratè facis certiorem. Literas tuas, mi Fabrici, dici non potest, quàm acceperim cupidè, quibus ad me scribis, &c.

Accepi aliquot Epistolas tuas, ex quibus

intellexi, quàm suspenso & solicito animo scire averes, quid esset novi?

Scriptâ & obsignatâ jam Epistolâ, redditæ sunt mihi literæ à te, plenæ novarum rerum.

Variè me affecerunt tuæ literæ: Nam partim læta, partim tristia continebant. Læta, quod te &c Triste illud, quod, &c.

Accepi perbreves literas tuas, quibus id, quod scire, cupiebam, cognoscere non potui: Cognovi autem id, quod mihi dubium minimè fuit.

Reddita mihi tua est Epistola, quæ vel hoc nomine fuit gratissima, quòd me de rerum tuarum statu erudierit.

De rebus urbanis quod me certiorem fecisti, tùm per se mihi gratum fuit, tùm quod significâsti tibi omnia mea mandata curæ fore.

Etsi fiebam crebrò à meis certior per literas; Tamen maximam lætitiam cepi ex tuis literis: De spe minimè dubiâ, sed planè exploratâ.

Pergratum mihi est, quòd crebrò certior per te fio de rebus, quæ isthic geruntur, & tuam erga me benevolentiam facilè perspicio.

Gratæ mihi tuæ literæ, quibus accuratè per-

perſcripſiſti omnia, quæ ad me pertinere arbitratus es.

Etſi antè certior factus eram literis, nunciis, famâ deniq; ipsâ: Tamen eadem illa lætiora fecerunt mihi tuæ literæ: non ſolùm quia planiùs loquebantur, & uberiùs, quàm vulgi ſermo, ſed etiam, quia magis tibi videbar gratulari, cùm de re ex teipſo audiebam.

Quod ad me quaſi formam communium temporum & totius Reipub. miſiſti expreſſam, prudentia literarum tuarum valdè eſt mihi grata: Video enim & pericula leviora, quàm metuebam, & majora præſidia.

Quæ de me ſalus rumoribus, me indigna ad te delata ſunt, ea te moderatè accepiſſe, neq; temerè credendum judicâſſe, ex literis tuis ſum certior factus: quæ mihi, ut debent, gratiſſimæ ſunt.

Literæ tuæ non ſolùm quid Romæ, ſed etiam quid in Repub. neq; ſolùm quid fieret, verùm etiam quid futurum eſſet, indicabant.

DE GRATIARUM *Actione.*

IN Epiſtola quâ gratias agimus, beneficium quod accepimus, modis omnibus (ſi ejuſmodi

modi ut laudem & gratiarum actionem mereatur) amplificandum.

Nam sæpè gratiam retulisse videtur, qui benè gratias agit. Amplificatur autem his fermè rationibus: si ultrò collatum est, si citò: *bis enim dat qui citò dat*: si in tempore: si uberiùs, quàm alter ausus sit petere: si datum cum aliquo periculo aut offensione aliorum: si datum viro magno, summâq; auctoritate prædito: si nihil pro merito: si ne exspectanti quidem: si ab eo, cui libenter debemus, hoc est, ab eo, quem amamus ex animo. Si ostenditur, amicum vel primum, vel solum, vel inter paucos præcipuum exstitisse, qui beneficium contulerit.

Si quis fideli consilio juvit, ei dicemus, plus deberi, quàm qui pecuniâ: & qui pecuniâ, quàm qui verbis tantùm opem tulit: neq; rarò majus beneficium præstat, qui objurgat, quàm qui donat. Deinde citra jactationem promittemus, nos aut parem, aut uberiorem gratiam relaturos. Si nulla referendi facultas erit, certè animum memorem & gratum pollicebimur: precabimur etiam, ut Deus benè merito referat gratiam, quod nobis, ob fortunarum tenuitatem, non licet. Et recta quidem gratias agendi ratio hoc modo tractanda est.

Est

Est præter hanc alia quædam, quæ obliqua dicitur: in qua non agendo gratias maximè gratias agimus, quum ostendimus, aut beneficium esse majus, quàm ut vulgari more agendæ sint gratiæ: aut amicitiam esse majorem, quàm ut alterum gratias agere oporteat: vel pluribus gratias nos non agere ne blandi habeamur.

In collocatione Primùm lætitiam & voluptatem, ex amici beneficio & studio perceptam, significabimus: aut gratias (maximè si pluribus de rebus agendum erit,) dicemus, & accuratè prudenterq; de rebus nostris actum esse ab amico ostendemus.

Deinde petemus, ut quod jam fecit amicus, deinceps quoq; facere minimè gravetur: Vel, (si in exordio factum non sit) gratiarum actionem instituemus.

Pòst beneficium acceptum amplificabimus illâ, quâ dictum est, ratione.

Postremò nos beneficii memores, nec mediocrem nos curam adhibituros, ut viros nos dignos amici muneribus præstemus, pollicebimur: Aut Deum orabimus, ut largè exsolvat, quod nos compensare non possumus: vel, si nondum scriptum sit,) petemus, ut quæ ostendit & fecit amicus, ad exitum

tum augere & cumulare, nos etiam & nostros benignè complecti velit.

Exemplum Epistolæ gratias agentis, observatum in Epist. 29. lib. XIII. ad Fam. qua pro humaniter benigneq; tractato Messinio Cicero Sulpitio gratias agit. Cujus exordium gratiarum actione constat. Confirmatio beneficiorum Sulpitii commendatione & amplificatione est facta. Conclusio petitione & grati animi pollicitatione absolvitur. In altera parte Epistolæ Lacedæmoniorum civitatem causasq; eidem commendat.

ETsi libenter petere à te soleo, si quid opus est meorum cuipiam; tamen multò libentiùs gratias tibi ago, quòd fecisti aliquid commendatione meâ, quod semper facis, incredibile: est enim, quas mihi gratias omnes agant, etiam mediocriter à me tibi commendati. Quæ mihi omnia grata, sed de L. Messinio gratissimum. Sic enim est mecum locutus, te, ut meas literas legeris, statim procuratoribus suis pollicitum esse omnia, multò verò plura & majora fecisse. Id igitur (puto enim etiam atq; etiam mihi dicendum esse) velim existimes, mihi te fecisse gratissimum. Quoad quidem hoc vehementiùs lætor, quod ex ipso Messinio te video magnam capturum voluptatem. Est enim in eo cùm virtus & probitas, & summum officium, summaq; observantia tùm

studia

studia illa nostra, quibus antea delectabamur, nunc etiam vivimus. Quod reliquum est, velim augeas tua in eum beneficia omnibus rebus, quæ te erunt digna: Sed duo sunt, quæ te nominatim rogo: primùm, ut, si quid satisdandum erit, amplius eo nomine non peti, cures ut satis detur fide meâ: Deinde, cùm ferè consistat hæreditas in iis rebus, quas avertit Oppia, quæ uxor Mindii fuit, adjuves: ineasq; rationem, quemadmodum ea mulier Romam perducatur. Quod si putârit illa fore, ut opinio nostra est, negotium conficiemus: Hoc ut assequamur, te vehementer etiam atq; etiam rogo: Illud, quod supra scripsi, id tibi confirmo, in meq; recipio, te ea, quæ fecisti Messinii causâ, quæq; feceris, ita benè collocaturum, ut ipse judices homini te gratissimo & jucundissimo, benignè fecisse. Volo enim ad id, quod meâ caussa fecisti, hoc etiam decedere. Nec Lacedæmonios dubitare arbitror, quin ipsi sua, majorumque suorum auctoritate satis commendati sint fidei & justitiæ tuæ. & ego, qui te optimè novissem non dubitavi, quia tibi notissima & jura & merita populorum essent. Itaq; cùm à me peteret Philippus Lacedæmonius ut tibi civitatem commendarem, etsi memineram, me civitati omnia debere: tamen respondi, commendatione Lacedæmonios apud te non agere: Itaq; sic velim existimes, me omnes Achajæ civitates arbitrari pro horum tem-

temporum perturbatione feliceis, quod tu iis præsis; Eundemq; me ita judicare te, quod unus optimè nosces, non nostra solùm, sed etiam Græciæ monumenta omnia tuâ sponte amicum Lacedæmoniis & esse & fore. Quare tantum à te peto, ut cùm ea facies Lacedæmoniorum causâ, quæ tua fides, amplitudo, justitia postulat, his, si tibi videbitur, significes, te non molestè ferre, quod intelligas ea, quæ facias, mihi quoq; grata esse. Pertinet enim ad officium meum, eos existimare, curæ mihi suas res esse. Hoc te vehementer etiam atq; etiam rogo. Vale.

† *IMITATIO HVIVS EPISTOLÆ, qua amico gratias agimus, qui adolescentem à nobis commendatum benignè humaniterq; fuis complexus.*

ETsi libenter petere soleo, si qua in re tuo mei auxilio egeant; Tamen multò libentiùs gratias tibi ago, cum meis literis adductus tua in alios contulisti beneficia, quod profectò fecisti hactenus, & crebrò, & liberaliter. Dici enim non potest, quantas mihi gratias agant ii, qui-

quibus meis est literis ad te aditus factus, quàm tuam, in se humanitatem, liberalitatemq; prædicent: quàm hoc nomine sese non tibi modò, verùm etiam mihi obstrictos devinctosq; sese, & esse jam fateantur, & fore polliceantur perpetuò! Quæ, me CHRISTE! mihi grata sunt, acceptaq; omnia: Sed de Philippo nobili doctoq; adolescente gratissimum. Ita enim ad me scribit, te, ut meas literas legeris, largè liberaliterque promisisse omnia; longè verò plura majoraque præstitisse. Id ergò (repetendum enim hoc est sæpè) tàm mihi gratũ est, quàm quod gratissimum. Sed & propterea majori me lætitiâ afficit; quod illud ipsum etiam tibi haud parùm profuturum confido. Est enim in adolescente eo, præter familiæ splendorem & antiquitatem generis, singularis pietas: probitas sum-

ſumma: eximia, cùm erga ſuperiores obſervantia, tùm benè meritos gratitudo: diſcendi ardor incredibilis. Itaq; quando bono gratoq; homini navare te operam intelligis: Quibus tandem cunq; in rebus poteris, tua in eum beneficia augebis. Deinde, ſi fortè rei nummariæ difficultate laboraverit, meâ illi fide aderis. Neq; enim propter itineris longinquitatem, & verò hominum perfidiam aut citò, aut tutò tranſmitti ad vos ſemper nummi poſſunt. Et in his ergò optimo nobiliſſimoq; adoleſcenti ſuccurres: Et perſvaſum planè habebis, huic quæ feceris, non mihi ſolùm, qui multis magniſq; de cauſis eundem amo: verùm etiam familiæ nobiliſſimæ atque laudatiſſimæ grata, acceptaq; fore.

GRA-

GRATIAS AGENDI *formula.*

GRatum mihi fuit tuum munuſculum, gratior epiſtola tàm amica, gratiſſimus amicus.

Immortales ago tibi gratias, agamq; dum vivam: Nam relaturum me affirmare non poſſum. Tantis enim tuis officiis non videor mihi reſpondere poſſe, niſi fortè ita ſenſurus es, ut me referre gratiam putes, cum memoriâ tenebo.

Miraris, ſcio, quid ſit, quod cum doctiſſimam Epiſtolam cum magnifico munere ad me dederis, nihil ad te ſcripſerim, ut ex noſtris ſaltem literis cognoſceres, quàm grato ob ea, quæ feciſti, eſſem in te animo.

Sed tu quid miraris? defuerunt, ſi neſcis, mihi verba, quibus tibi meritas agerem gratias, atq; hodiè deſunt. Præſtat tibi animus quod poteſt, gratam omnium tuorum in me beneficiorum memoriam, vultq; tibi debere quàm maximè.

Jam non ago tibi gratias: cui enim re vix referre poſſum, huic verbis non patitur res ſatisfieri.

Immortales tibi ago gratias, agamq; dum vivam.

Ago

Ago tibi gratias immortales, singulares, mirificas, incredibiles.

Pro operâ tàm diligenter navatâ gratiam habeo, ut debeo, maximam.

Quod meum negotium tibi cordi fuerit, & res nostras tàm officiosè curas, deamo te, & gratiam habeo, ut debeo, maximam.

Equidem gratiam & habeo, & habiturus sum, quoad vivam, maximam.

Quibus tibi verbis gratias agam non reperio. Sunt enim in te omnia augustiora illustrioraq; , quàm quo conatûs mei infirmitas aspirare possit. Ita cùm parem benevolentiam navare non possim, studium tibi meum vel agnoscendo, vel prædicando beneficio libenter declarabo.

Quanquam libenter tibi & gratissimo animo gratias habeo: tuum tamen studium, quod mihi in rebus meis omnibus, conservandis plurimùm detulisti, non tàm mihi novum atq; jucundum, quàm gratum & necessarium fuit.

Et si nullâ oratione par tuis meritis gratia haberi potest: mâlo tamen tuis me beneficiis victum confiteri, quàm eorum, quæ accepesim, dissimulatione haberi ingratus.

Multis in rebus cognitum mihi est, quotidiè pro meâ dignitate fideliter atq; honorifice

ficè à te dici fieriq; multa: nihil tamen mihi ex omnibus beneficiis gratius fuit, quàm quod &c.

Si parentes charissimos habere debemus; quòd ab iis nobis vita tradita sit; debeo tibi quoq; plurimum. Cujus beneficio in amplissimum honoris gradum sum adductus. Nam neq; gratior cuiquam vita, quàm honos esse debet sine quo omnis ignobilis, obscura, & ingrata est vivendi ratio.

Si putarem ad referendam gratiam vel prædicandam satisfacere me posse, multis tibi verbis gratias agerem. Nunc verò cum nostra amicitia perpetuaq; benevolentia verbis crescere non possit, nolo in prædicandâ tuâ benignitate officiosus videri.

Cùm meritorum tuorum amplitudinem mutuo officio amplecti nequeam, non putavi committendum mihi esse, ut agendis gratiis beneficium reponere videar voluisse.

Quod meam dignitatem quibus potuisti verbis amplissimis ornâsti, habeo gratiam.

Facere non possum, quin in singulas res meritaq; tua tibi gratias agam; sed me herculè facio cum pudore: neq, enim tanta necessitudo, quantam tu mihi tecum esse voluisti, desiderare videtur gratiarum actionem.

nem, neque ego libenter pro maximis tuis beneficiis tàm vili munere defungor orationis, & malo præsens observantiâ, indulgentiâ, assiduitate memorem me tibi probare.

Utinam illum diem videam, cum tibi agam gratias!

Ago ingentes tibi gratias, quòd virtute, consilio, prudentiâ tuâ periculis sum maximis liberatus; Et quod tuâ operâ forti, fidelique sæpiùs usus sum, meritò ac jure te laudo.

Si pro vestris beneficiis in me immortalibus parùm vobis cumulatè gratias egero, quæso obtestorque, ne meæ naturæ potiùs quàm magnitudini vestrorum beneficiorum id tribuendum putetis: quæ enim potest existere tanta ubertas ingenii, quæ tanta dicendi copia, quod tàm divinum atque incredibile genus orationis, quo quis possit vestra in me promerita, non dicam, complecti oratione: sed percensere numerando?

Quæ vis ingenii, quæ magnitudo observantiæ tot tantisque beneficiis respondere poterit?

Quibus officiis tua beneficia remunerabo?

Gratias agere tibi satis ornatè nullo modo possum.

Vereor

Vereor ne eodem tempore in omnes gratus possim videri: Etenim cum omnibus me affectum fuisse virtutibus cupiam: Tamen nihil est, quod malim, quàm me & gratum esse, & videri: Hæc est enim una virtus; non solùm maxima: sed etiam mater reliquarum virtutum.

Quanquam tibi gratia tanta referri non potest, quanta debetur, habenda tamen est, quantam maximam animi nostri capere possunt.

Ita fato nescio quo contigisse arbitror, ut tibi ad me ornandum semper detur facultas, mihi ad remunerandum nihil suppetet præter voluntatem.

Cæteris omnibus vinci me patiar, certè benevolentiâ mutuâ non cedam. Nam (ut rectè dixit Plinius) *vinci in amore turpissimum est.*

Quod audio te istic pro meâ dignitate fortiter digladiari, nihil quidem adfertur novi, sed tamen hoc audio libentiùs, quò sæpiùs.

Quod referre gratiam, ita ut volebam, non possum, fortunæ debes imputare. Hoc quod mihi reliquum est, te amabo, te colam, te venerabor: Mea enim mihi fortuna eripere potuit, meipsum non potuit.

Quare si mihi vita contigerit, omnes gratas amicitias atq; pias propinquitates in tuâ observantiâ, studio, indulgentiâ, assiduitate vincam.

Hoc certè tibi polliceor, me omnia, quæ ad tuam dignitatem augendam pertinebunt, summo semper studio suscepturum & defensurum.

Tibi igitur, quòd sic de me sis meritus, persvadeas velim, in tua me voluntate perpetuò futurum, nullamq; rem esse minimam, quæ ad te pertineat, quæ mihi carior non sit, quàm meæ res omnes: Idq; cùm sentiam, sedulitate mihimet ipsi satisfacere possum, re quidem ipsâ ideò mihi non satis facio, quòd nullam partem tuorum meritorum non modò referendæ, sed ne cogitandâ quidem gratiâ consequi possum.

In rebus tuis me omnibus pari studio & voluntate, qua fortunas meas auxisti, futurum cognosces: Nec modò gratiam habiturum, sed etiam cumulatissimè redditurum.

Si, quibus te rebus ornare possim, mihi significaveris, reddam cumulatè debitum tibi officium, nullaq; mihi tui amplectendi colendiq; voluntas deerit.

Si qua mihi detur occasio, res tuas ampli-

pli-

plificandi, elaborabo, omnes ut intelligant, à me habitam esse rationem cùm beneficii, tùm dignitatis tuæ.

In ferenda gratia hoc tibi repromitto, semperq; præstabo, mihi neq; in rebus tuis augendis diligentiam, neq; in periculis propulsandis animum, neq; in negotiis industriam, neq; in amicitia constantiam fidemq; tibi defuturam meam.

Verbulo duntaxat significato, quo genere officii queam tibi gratum facere: nisi id summâ cum alacritate protinus aggrediar, nomen meum inter ingratos scribito.

Ne levi quidem officio unquam te demerui, & utinam esset aliquid, in quo declarare possim, & animum agnoscentem tua beneficia, & voluntatem reponendæ gratiæ cupidam.

Tuum admirabilem in me favorem ac studium multis jam argumentis habeo perspectum & exploratum, quod si facultas esset par animo, sentires te tantum beneficiorum, haud quaquam penes ingratum collocâsse.

Suspecta quædam res est, verbis beneficium rependere: Tu si mei in te animi periculum facere velis, aliquid vicissim muneris impone: nullam sarcinam tàm gravem, tàm

tàm molestam injeceris, quæ mihi tuâ causâ non levissima, non etiam jucunda videatur.

Licèt profectò ob alia multa in me beneficia tuæ liberalitati gratias agam: Maximè tamen hujus rei gratiâ, qua me impensiùs exteris omnibus adjuvisti.

Sed ut unde orsa est oratio, eòdem terminetur; maximas tibi gratias ago, majores etiam habeo: Nam relaturum me affirmare non possum.

Agere gratias, fit verbis: *Habere* gratiam, animo: *Referre* gratiam & gratias, fit opere.

RESPONSIO AD EPISTOlam Gratiarum actricem.

AGenti gratias respondebimus, non mirari nos; sed vehementer gaudere, grata illi esse officia nostra, cum hominem omnium gratissimum cognoverimus, idque nunquam nos destitisse prædicare, dolere quòd plura pro amico facere nobis non licuerit.

Recipiemus tamen illius dignitatem indies, majori nobis curæ futuram, licèt adeò eam

eam amplificatam esse sciamus virtutibus suis, ut vel nihil, vel parum addi posse videatur.

Præterea tantam inter amicos necessitudinem nullam desiderare gratiarum actionem scribemus, nec eam nos unquam exspectâsse: Imò si mutua fuerunt beneficia, (ut majorem captemus benevolentiam) illum non gratiam modò habuisse, verùm etiam cumulatissimè retulisse dicemus.

Quæ ille amplificando exaggeravit, nos aut modestè verbis extenuabimus, aut intermitti non potuisse, ostendemus.

Collocatio autem ita instituitur, ut principem locum habeat, laus testificationis animi grati, & significatio lætitiæ voluptatisque inde perceptæ.

Hanc sequatur Propositio, officii ac studii novi & voluntatis promptæ delationem continens.

Eandem excipiant aut rationes, quibus adducti gratificari amicis volumus, aut approbationes illorum, quæ ab iisdem facta aut dicta.

Conclusio absolvatur vel cohortatione, vel promissionis renovatione.

Exemplum responsionis ad Epistolam gratiarum actricem, observatum in Epist.

 19. lib.

19. lib. X. ad Famil. qua Cicero Planco, quam sibi jucunda animi grati atq; memoris exstiterit significatio, ostendit: Et, ne de eâdem dubirâsse videatur, comparatione facta jucundam quidem semper, at illustriorem nunquam fuisse affirmat, quæque ab eo scripta senatui placuisse indicat. Deniq; adhortatione ad Reipublicæ studium, finem Epistolæ imponit.

QVanquam gratiarum actionem à te non desiderabam, cum te re ipsa, atq; animo scirem esse gratissimum: Tamen (fatendum est enim) fuit ea mihi perjucunda. Sic enim vidi quasi ea, quæ oculis cernuntur me à te amari. Dices quid antea? Semper equidem, sed nunquam illustrius. Literæ tuæ mirabiliter gratæ sunt senatui, cum rebus ipsis, quæ erant gratissimæ & maximæ fortissimi animi summiq; consilii: tùm etiam gravitate sententiarum atq; verborum. Sed, mi Plance, incumbe, ut belli extrema perficias. In hoc erit summa & gratia & gloria. Cupio omnia Reip. causâ: sed mehercule in ea conservanda jam defatigatus, non multò plus faveo patriæ, quàm tuæ gloriæ, cujus maximam facultatem tibi dii immortales, ut spero, dedere: Quam complectere obsecro. Qui enim Antonium oppresserit, in hoc teterrimum bellum periculosissimumque confecerit.

† *IMITATIO HUIUS EPISTOLÆ, qua ei, qui promotus à nobis gratias per literas egit, respondemus.*

ETsi gratiarum à te actionem neque exspectabam, neq; desiderabam, cùm esse te gratissimum jam antè cognitum perspectumq; haberem: Tamen (dicam enim quod res est) perquam ea grata acceptaque mihi extitit. Inde enim amari me abs te, & non amari leviter & vulgariter, intellexi. Quid, inquies, amorem in te meum hactenus nunquam deprehendisti? Deprehendi semper: Sed nullo unquam, quàm hoc tempore illustrius. Ex amoris enim abundantiâ illam esse profectam laudem atq; commendationem beneficii video, quod in te est à me nuperrimè collatum. Simul etiam dicendi artem, cui operam hactenus dedisti, egregiè tene-

re te intelligo, dum, quæ parva sunt & minutula beneficia summis in cœlum usq; laudibus evehis. Atq; ut utrumq; mihi longè est gratissimum: & quod amori hîc in me tuo plusculum tribuis: & amplificatoriè magis, quàm verè scribis: Ita operam daturus sum sedulò: ut & deinceps ad tua me procuranda provehendaque commoda promptum paratumq; semper fuisse sentias. Literæ tuæ domum missæ mirabiliter gratæ acceptæq; non mihi solùm, tuisq; parentibus, & amicis: verùm etiam aliis viris; doctis & prudentibus fuére: propter & verborum elegantiam ac puritatem: & sententias pias, graves, eruditas, quibus condîtæ illæ fuerunt. Itaq; jam nihil reliquum esse videtur aliud, nisi in id sedulò incumbas: ut quàm Deus Optimus Maximus parandæ gloriæ est & bonorum virorum

rum colligendæ gratiæ facultatem tibi largitus; eam è manibus effluere tibi ne patiaris, sed complectaris constanterq; retineas. Erit hoc parentibus tuis & familiæ toti gratum: Mihi, quem hujus tu fortunæ extitisse vis autorem, jucundum: Tibi verò cum primis necessarium cùm alias ob causas, tùm propter hominum maximè invidiam atque obtrectationes, quas plerunq; hoc experiri tempore ii solent, quos mitior paullò leniorq; afflare aura videtur. Vale.

AD GRATIARVM ACTIOnem respondendi formula.

MAjor est nostra necessitudo, quàm ut vel tu mihi, vel ego tibi, pro ullo officio debeam gratias agere.

Non est cur mihi gratias agas, si pro tot tuis in me beneficiis hoc officioli rependi.

Quod grata tibi mea erga te studia scribis esse, facis tu quidem abundantiâ quadam amo-

amoris, ut etiam grata sint ea, quæ prætermitti sine nefario scelere non possunt.

Officium meum erga Rhodonem, cæteraq; mea studia, quæ tibi ac tuis præstiti, tibi homini gratissimo, grata esse vehementer gaudeo, mihiq; citò indies majori curæ esse dignitatem tuam, quæ quidem à te ipso integritate, & clementiâ tuâ sic amplificata est, ut nihil addi posse videatur.

DE GRATVLATORIA *Epistola.*

GRatulatoria Epistola illa habetur, qua amico de rerum successu prospero, de rebus benè præclareq; gestis, de honore, de dignitate, aliisque, gratulamur: Et eidem, ut, quod assecutus est, felix, faustum, diuturnum sit, precamur.

Ostendendum hîc ea, quorum caussâ amico gratulamur, esse præclara: expetita à multis: impetrata à paucis: contigisse citò: contigisse temporibus difficillimis: & contigisse consentientibus, vel omnibus, vel saltem bonis, & prudentibus. Addemus etiam, non dubium nobis fuisse, quin illam assecuturus esset rem, cum multò etiam majora ejus merita postulent. Inseremus nonnunquam adhortationem, ut & nostram testemur

mur in illum amorem, & magis hominem ad virtutes, & res præclarissimè gerendas inflammemus.

In *Exordio* lætitiam ex secundis amici rebus perceptam significabimus: aut institutæ gratulationis occasionem narrabimus: aut seram gratulationem excusabimus: aut cùm mista est epistola, gratulatio erit in principio.

Propositio gratulationem, si nondum expressa sit, continet: vel votum habet & precationem, ut res felicissimè amico eveniat: vel adhortatione fit, ut prudenter amicus omnia moderetur.

Tertia pars *Confirmatio* est, quæ gratulationis institutæ rationes complectetur; petitas, vel à causa efficiente rei, qua de gratulamur amico: vel à rei ipsius conditione: vel à temporis ratione: vel à personæ, cui gratulamur amicitiâ, sanguinis conjunctione, affinitate, ingenio, doctrinâ, moribus, beneficiis: vel à prudentissimorum judicio.

Conclusio absolvitur aut nostræ benevolentiæ, studii, officii pollicitatione: aut adhortatione ad partorum, vel conservationem, vel usum rectum & laudabilem, vel amplificationem: vel petitione, ut nos aliosq; sibi amicos habeat.

Exemplum gratulatoriæ Epistolæ, observatum in Epist.7. lib. II. ad Fam. qua de Tribunatu Curioni gratulatur Cicero. Cujus epistolæ partes sunt quatuor: *Exordium*, in quo seram gratulationem excusat, ejusdemq; causam in loci intervallum transfert. *Propositio*, quæ gratulationem, cum adhortatione conjunctam continet. *Confirmatio* argumentis constat, quibus ad diligentiam & constantiam Curionem Cicero hortatur. *Conclusio* petitione absolvitur.

SEra gratulatio reprehendi non solet, præsertim si nullâ negligentiâ prætermissa est: Longè enim absum; audio serò. Sed tibi & gratulor: & ut sempiternæ laudi tibi sit iste Tribunatus, exopto: teq; hortor, ut omnia gubernes & moderere prudentiâ tuâ, ne te auferant aliorum consilia. Nemo est, qui tibi sapientiùs svadere possit, te ipso: nunquam labére, si te audies. Non scribo hoc temerè: cui scribam, video: Novi animum, novi consilium tuum. Non vereor, ne quid timidè, ne quid stultè facias: Si ea defendes, quæ ipse recta esse senties. Quod in id Reipub. tempus non incideris, sed veneris (judicio enim tuo, non casu in ipsum discrimen rerum contulisti Tribunatum tuum) profectò vides, quanta vis in Rep. temporum sit, quanta varietas rerum, quàm incerti exitus, quàm flexibiles hominum voluntates: Quid insidia-

sidiarum, quid vanitatis in vita sit, non dubito, quin cogites. Sed amabo te, cura & cogita, nihil novi, sed illud idem, quod initiò scripsi: Tecum loquere: Te adhibe in consilium; Te audi; Tibi obtempera. Alteri qui melius dare consilium possit, quàm tu, non facilè inveniri potest, tibi verò ipsi certè nemo meliùs dabit. Dii immortales! Cur ego non adsum, vel spectator laudum tuarum, vel particeps, vel socius, vel minister consiliorum? Tametsi hoc minimè tibi deest: Sed tamen efficeret magnitudo & vis amoris mei, consilio te ut possem juvare. Scribam ad te plura aliàs: paucis enim diebus eram missurus domesticos tabellarios: ut, quoniam sanè feliciter & ex meâ sententiâ Remp. gessimus, unis literis totius æstatis rés gestas ad senatum perscriberem. De sacerdotio tuo quantam curam adhibuerim, quamq; difficili in re atq; causa, cognosces ex iis literis, quas Thrasoni liberto tuo dedi. Te, mi Curio, ipsâ tuâ incredibili in me benevolentiâ, meaque item in te singulari, rogo atq; oro, ne patiare mihi quicquam ad hanc provincialem molestiam temporis prorogari. Præsens tecum egi, cùm te Tribunum Pl. in isto anno fore non putarem: Itemq; petivi sæpè per literas, sed tùm quasi à senatore nobilissimo, & adolescente gratiosissimo: nunc à tribuno pleb. & à Curione trib. non ut decernatur aliquid novi, quod solet esse difficilius; Sed ut ne quid

novi decernatur; Et ut S. C. & leges defendas; Eaq; mihi conditio maneat, quâ profectus sum. Hoc te vehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

† *IMITATIO HUIUS EPISTOLÆ, qua uti possumus, cùm amico, cui conditio honesta atq; splendida, vel in Principis alicujus aulâ: vel Repub. vel Ecclesiâ, vel Scholâ contigit, gratulari, eundemq; hortari volumus, ut rectè in illa laudabiliterq; suo munere perfungatur.*

SEra, modò vera, nec negligentiâ quadam fuerit prætermissa gratulatio bonorum virorum effugere reprehensionem solet. Itaq; & mihi post festum, quod ajunt, venienti ignosces, idque tabellariorum partim penuriæ, partim itineris longinquitati tribues. Gratulor autem tibi, & ex animo gratulor, de loco, quem illustrissimi Principis in aulâ consecutum te esse audio: Et ut tibi tuisq; laudi, emolumento, aliis honos sit iste, precor: simul etiam,

etiam, etſi nec meâ, nec cujuſquam alterius opus cohortatione habeas, pro ſingulari meo in te amore etiam atque etiam te hortor: Ut quem ſis in locum evectus, & quid abs te requiratur, conſideres. Magnus eſt honos à conſiliis eſſe Principi: ad negotia ardua; deliberationes adhiberi graviſſimas. Sed habet honos iſte, crede mihi, onus non parvum. Multa hîc requiruntur, quæ, ſi abſint, cum turpitudine atque dedecore honorem commutant: Prudentia in conſiliis: in ſuſtinendis laboribus induſtria: pietas, religio, fides in ſententia dicenda: in contemnendis hominum offenſionibus, vel etiam periculis, animi magnitudo, & conſtantia ſingularis. Non temerè ſcribo, quæ ſcribo: ad quem etiam ſcribam, ſcio: Eſt perſpectus tuus mihi animus, ingenium cognitum,

tum, explorata morum probitas. Sed ipse profectò intelligis, cujusmodi in tempora, non incideris, sed veneris: Rerum vis quanta: Quanta negotiorum multitudo & varietas: Quàm inconstantes ac flexibiles hominum sint voluntates! *Quot bonis insidiæ struantur in aulis*, non ignoras. Itaq; amabo te, unicum hoc vide, *ne cui nimium fidas, neq; quid ab aliis fiat, sed quàm illud fiat rectè & honestè, consideres.* Te, non alios, audito, tecum loquere: Nec aliorum te vel consiliis, vel exemplis, à pietate, honestate, justitia auferri sine. Utinam res ita meæ ferrent, ut coràm tibi gratulari, dignitatis tuæ esse spectator. De multis iisdemq; necessariis rebus tecum colloqui possem. Sed quoniam, hoc quidem tempore, fieri illud nequit: Hasce, ex amoris vi atque magnitudine profectas literas,
boni

boni consules. Deinde pro tuo singulari in me amore, res tibi meas commendatas habebis: De quibus & præsens tecum: & pòst per literas sæpiùs egi. Sed tum, ut cum adolescente docto & valdè gratioso: nunc ut cum consiliario Principis potentissimi. Neq; quod esse difficilius solet, novum hîc aliquid, aut singulare & præcipuum; sed illud peto, quod jam antè multis aliis concessum, à legibus etiam permissum est. Tu modò cave ne illud; *Honores mutant mores*, de te quoque usurpari queat: & dignitates illæ aulicæ aliam, quasi in scena te personam induere faciant. Vale.

EXemplum alterum Gratulationis observatum in Epist. 16. lib. XII. ad Fam. quâ Trebonius Ciceroni de filii studiis, & virtutibus egregiis gratulatur. Cujus *Exordium* narratione, & institutæ gratulationis occasione constat. *Propositio* gratulationem, & lætitiæ significationem continet. *Confirma-*

tio,

atio, ejuſdem aliquot rationes adfert, &, ne quid auribus Ciceronis videatur dare, occupationem præmittit Trebonius. *Concluſio* gratulationis repetitione, ſtudiorum & officiorum delatione abſolvitur, quod enim ad ſcriptum quoddam, & ad petitionem Trebonii, ut Cicero ſui in ſcribendo memor ſit, attinet, ab ea gratulatione remotum eſt.

S.V.B.E.E.Q.V. Athenas veni ad XI. Calend. Junias, atq; ibi, quod maximè optabam; vidi filium tuum deditum optimis ſtudiis, ſummâq; modeſtiæ famâ, quæ ex re quantam voluptatem ceperim, ſcire potes etiam me tacente. Non enim neſcis, quanti te faciam, & quàm pro noſtro veterrimo, veriſſimoq; amore, omnibus tui etiam minimis commodis, non modò tanto bono, gaudeam. Noli putare, mi Cicero, me hoc auribus tuis dare, nihil adoleſcente tuo, atq; adeò noſtro (nihil enim mihi à te poteſt eſſe ſejunctum) aut amabilius omnibus iis, qui Athenis ſunt eſt, aut ſtudioſius earum artium, quas tu maximè amas, hoc eſt optimarum: Itaq; tibi quod verè facere poſſum, libenter quoq; gratulor: Nec minùs etiam nobis, quod eum, quem neceſſe erat, diligere qualiſcunq; eſſet, talem habemus, ut libenter quoq; diligamus. Qui cùm mihi in ſermone injeciſſet, ſe velle Aſiam viſere, non modò invitatus; ſed etiam rogatus

gatus est à me, ut id potissimùm nobis obtinentibus provinciam faceret, cui nos & charitate & amore tuum officium præstaturos, non debes dubitare. Illud quoq; erit nobis curæ, ut Cratippus unà cum eo sit, ne putes in Asia feria tum illum ab iis studiis, in quæ tuà cohortatione incitatur, futurum. Nam illum paratum ut video, & ingressum pleno gradu, cohortari non intermittemus, quo indies longiùs, discendo exercendoq; se, procedat. Vos quid ageretis in Repub. cùm has literas dabam, non sciebam: audiebam quædam turbulenta. quæ scilicet cupio esse falsa, ut aliquando otiosâ libertate fruamur, quod vel minimè adhuc mihi contigit. Ego tamen nactus in navigatione nostra pusillum laxamenti, concinnavi tibi munusculum ex instituto meo: & dictum, cum magno nostro honore à te dictum, conclusi, & tibi infra subscripsi. In quibus versiculis si tibi quibusdam verbis εὐθυῤῥημονέστερος videbor: turpitudo personæ ejus, in quam liberiùs invehimur, nos vindicabit. Ignoscet etiam iracundiæ nostræ, quæ justa est, in ejusmodi & homines & cives. Deinde, qui magis hoc Lucilio licuerit assumere libertatis, quàm nobis? Cùm etiam si odio pari fuerit in eos, quos læsit, tamen certè non magis dignos habuerit, in quos tantà libertate verborum incurreret. Tu, sicut mihi pollicitus es, adjunges me quàm primùm ad tuos sermones.

Namq;

Namque illud non dubito, quin, si quid de interitu Cæsaris scribas, non patiaris me minimam partem & rei & amoris tui ferre. Vale, & matrem meosque tibi commendatos habe.

D. VIII Cal. Jun. Athenis.

¶ *IMITATIO HVIVS EPISTOLÆ, institui potest hoc modo.*

LIpsiam veni ad 16. Cal. Julii atq; ibi, quod in votis ego optatissque maximè habebam, filium tuum inveni, bonarum artium studiis deditum: summæ pietatis, modestiæ, diligentiæ, famæ: carum Academiæ professoribus: Jucundum condiscipulis: Acceptum iis, quorum tecto ille mensâq; utitur: gratum omnibus: invisum nemini: Quæ sanè res quantam mihi lætitiam atque voluptatem pepererit, vel tacente me, intelligere potes. Amore enim te singulari complector: fero in oculis, observo, facio plurimi, quodque verorum est amicorum pro-

pri-

prium etiam minimis tuis commodis, nedum tantâ felicitate gaudeo. Nôſti meum ingenium: ſcis me non auribus cujuſquam ſervire, aut ad gratiam loqui. Quare mihi affirmanti hoc crede: Nihil adoleſcente tuo, atq; adeò noſtro (*ſunt enim amicorum omnia communia*) aut amabilius iis, qui Lipſiæ nunc ſtudiorum gratiâ commorantur: aut ſtudioſiùs earum artium atq; diſciplinarum, ſine quibus ſolida parari eruditio nullo modo poteſt. Itaque quod facere verè poſſum, & facio libenter de dono præclaro & raro, filio ſcilicet benè cùm literato, tùm morato tibi gratulor. Nec minùs quoq; mihi, quod eum, quem, quia tuus, viri clariſſimi, deq; me præclarè meriti filius, neceſſe erat amare, talem nunc eſſe video: ut non ſolùm meâ, verùm etiam omnium bonorum doctorumq; virorum dignus

gnus benevolentiâ sit. Cùm etiam à me convivio exceptus, in sermone injecisset, Galliam se visere cupere, monitus à me est: Ut si pace hoc tuâ, bonâq; fieri gratiâ posset, id eo tempore potissimùm, quo eandem ego lustrarem, faceret, Neq; dubitare te velim: Omnia amoris, benevolentiæ, humanitatis officia me ei præstiturum: Illud quoq; curaturum, ut præceptor illi doctus & fidelis adjungatur: Ne, quod fieri non raro solet, remoto custode, aut à pravis sodalitiis corrumpatur, aut aliorsum iis à studiis abducatur, in quæ tuis cohortationibus incitatur, jam etiam pleno est gradu ingressus. Quod reliquum est, Deum Opt. Max. rogo: ut, quoniam plerunq; ingenia præcocia nimis, antè, quàm ad fructûs perveniant, & in ipso quasi ætatis exstingui solent flore, lucis hujus

usu-

usuram diuturnam ei concedere dignetur. Hoc si erit: dubium non est ullum, quin singulari aliquando, tibi gaudio: ornamento familiæ: Rei verò publicæ usui atq; emolumento futurus sit. Quo res essent vestræ in loco cùm hasce exarabam literas, ignorabam. Rumores quidem hîc de vobis spargebantur tristes: sed ἀδέσποτοι, & jam rauci sunt facti. Itaq; falsos, & fuisse existimo: & esse cupio. Tu tamen si curâ me & solicitudine liberare magnâ volueris, de omnibus ad me primo quoq; tempore scribes, &, quod facis, me meaq; studia commendata tibi habebis. Vale.

GRATULANDI
Formulæ.

PRimùm tibi (ut debeo) gratulor, lætorq; tum præsenti, tum etiam speratâ tuâ dignitate, seriùs non negligentiâ meâ, sed ignorantiâ rerum omnium; In his enim sum

locis.

locis, quò, & propter longinquitatem, & propter latrocinia, tardissimè omnia perferuntur.

Gratulor tibi, mi Balbe, vereq; gratulor; Nec sum tam stultus, ut te usurâ falsi gaudii frui velim, deinde frangi repentè, atque ita cadere, ut nulla res te ad æquitatem animi postea possit extollere.

Gratulor tibi affinitatem viri, mediusfidius optimi.

Qua in re gratulor tibi ita vehementer, ut te quoq; mihi gratulari, quàm gratias agere malim: Alterum non omninò desidero; Alterum verò facere poteris.

Nuncius neque optatior neque jucundior adferri potuit, quàm qui nuper est de novâ dignitate tuâ allatus.

Lucium tibi generum obtigisse, majorem in modum gaudeo: speroq; & opto, istam conjunctionem tibi & voluptati & ornamento fore.

Gratulor tibi, mi Bodeni, verêque gratulor, quod ex Italia salvum te ad nos recepisti.

Ex tuis literis, quibus te consulem declaratum significas, tantum cepi voluptatis, quantum te semper amavi.

Literæ tuæ suavissimæ, quibus te novis hono-

honoribus ornatum nuncias, tanta me lætitiâ impleverunt, ut prorſus dubitem, cui potiſſimùm gratulari debeam: tibine, cui tanta dignitas nec petenti, nec cogitanti contigerit: An patriæ, quæ talem ſit præſulem habitura: An principi, qui talem conſiliarium: An mihi potiùs, qui tuis fortunis perinde ac meis delector?

Scio te iſtiuſmodi ornamenta non deſiderâſſe, & ita prorſus exiſtimare, onus, non honorem tibi injectum. At tanto es iſto honore dignior, quo delectaris minùs, eoque magis virtuti tuæ gratulor.

Quod ex itinere difficilimo & diuturnâ peregrinatione patriæ ſis redditus incolumis, tuo nomine ex animo gaudeo.

Rem tibi ex ſententiâ tuâ eveniſſe, incredibile dictu, quantum læter.

Cave putes, te ipſum ex iſta tua fortuna plus cepiſſe voluptatis, quàm ego ex literis tuis ceperim, quæ me de nova dignitate certiorem fecerunt.

Hæreditatem ampliſſimam, obveniſſe volupe eſt: te tàm certis, tàm charis amicis orbatum eſſe, non nihil doleo.

Ego abfuiſſe te jam diu à nobis, & doleo, quòd carui fructu jucundiſſimæ conſvetudinis tuæ: Et lætor, quòd abſens omnia cum

maximâ dignitate es assecutus, quodque in omnibus tuis rebus meis optatis fortuna respondet.

Omnes istam tibi excelsam & admirabilem rerum gestarum gloriam gratulantur, perpetuamq; tibi fore exoptant.

Cùm in suavissimi doctissimique hominis familiaritatem venisti, non dici potest, quàm valdè gaudeam,

Omnibus tuis etiam minimis commodis non modò tanto bono gaudeo.

Emisse te prædium vehementer gaudeo, feliciterque tibi rem istam evenire cupio. Eandem rem tibi volo benè & feliciter evenire.

Migrationem & emptionem feliciter evenire volo.

Eum honorem tibi Deos fortunare volo.

Ut sempiternæ laudi sit iste tibi Tribunatus, exopto.

DEos quæsumus, consilia tua Reipub. salutaria sint, ac tibi.

RESPONSIO AD GRATULAtoriam Epistolam.

IN responsionis ad *Gratulatoriam Exordio* gratam tibi fuisse gratulationem, nec dubium ullum unquam tibi tempore fuisse dices, quin

quin omni amicus afficeretur lætitiâ, de omnibus tuis cùm commodis, tùm honoribus, significabis: vel paucis gratulationem ab amico institutam repetes.

In *Propositione* gratulationis prædicationem & gratiarum actionem institues.

In *Confirmatione* rationes adferes, cur aut gratæ tibi acceptæq; sint amicorum gratulationes, aut cur admitti non possint. Hîc, ne, quod stultorum est proprium, tibi ipsi placere videaris, extenuabis & corriges id, quod honorificè de te ab amico est perscriptum.

In *Conclusione* omnia benevolentiæ, humanitatis, gratitudinis officia amico deferes, & eundem rogabis, ut perpetuò in te benè affectus esse velit.

Exemplum responsionis ad Gratulatoriam Epistolam observatum in Epist. 6. lib. XV. ad Fam. qua Catonis de oblatis honoribus, gratulationi Cicero respondet. Partes habet quatuor. *Exordium* lætitiæ, ex gratulatione perceptæ significationem continet. *Propositio* gratulationis prædicationem habet. *Confirmatio* rationibus, partim ipsam gratulationem, partim institutum probantibus constant. *Conclusio* petitione conficitur.

LÆtus sum laudari me (inquit Hector, opinor apud Navium) abs te, pater, laudato viro. Ea est enim profectò jucunda laus, quæ ab iis proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt. *Ego verò vel gratulatione literarum tuarum, vel testimoniis sententiæ dictæ nihil est, quod me non assecutum putem, idq; mihi tum amplissimum, tum gratissimum, te libenter amicitiæ dedisse, quod liquidò veritati dares. Quod si non modò unus, verùm etiam multi Catones essent in civitate nostrâ, in qua unum extitisse mirabile est, quem ego currum, aut quam lauream cum tua laudatione conferrem?*

Nam ad meum sensum, & ad illud sincerum ac subtile judicium, nihil potest esse laudabilius, quàm ea tua ratio, quæ est ad me perscripta à meis necessariis. Sed causam meæ voluntatis (non enim dicam cupiditatis) exposui tibi superioribus literis: quæ etiamsi parùm justa tibi visa est, hanc tamen habet rationem non ut nimis concupiscendus sit honos, sed tamen si deferatur à senatu, minimè aspernandus esse videatur, Spero autem, illum ordinem pro meis ob Rempub. susceptis laboribus, non me indignum honore, usitato præsertim, existimaturum. Quod si ita erit, tantum à te peto, quod amicissimè scribis, ut, cum tuo judicio, quod amplissimum esse arbitraris, mihi tribueris, si id, quod maluero, acciderit, gaudeas.

Sic

Sic enim fecisse te, & sensisse, & veriùs scripsisse video: Resq; ipsa declarat, tibi illum honorem nostrum supplicationis fuisse jucundum, quod scribendo affuisti. Hæc enim S. C. non ignoro ab amicissimis ejus, cujus de honore agitur, scribi solere. Ego, ut spero te propediem videbo, atq; utinam Repub meliore, quàm timeo. Vale.

† *IMITATIO HVIVS EPISTOLÆ, fieri potest hunc in modum.*

ACcepi literas tuas perquàm & amanter, & humaniter ad me perſcriptas: In quibus de munere, quod mihi contigit, gratularis. Quod quidem quantâ me lætitiâ voluptateq; affecerit, hiſce explicare literis ſatis nequeo. Etenim ſi à laudato ſeſe laudari viro Nævianus ille Hector gloriatur, recteque ex obſcuri hominis ore profectas laudes ſordidas fieri alius affirmat: quanti obſecro tuum, viri longè prudentiſſimi doctiſſimique, facere judicium me exiſtimas? Equidem, vel gratulationem hanc tuam, vel

cujuſcunque tandem inſtituti mei approbationem omnibus omnium laudibus atq; ornamentis antepono: Illa etiam, quæ in votis jam dudum optatiſq; habui, conſecutum me jam arbitror. Illud verò gratum cumprimis jucundumq; mihi extitit: quod, dum ea mihi tribuis, quę ſi agnoſcerem, me profectò ipſum noſſe non viderer, quanto me complectaris amore, haud obſcurè indicas. De eo igitur mihi gratulor; tibi gratias, quas poſſum, ago maximas: Et ut ita in me ſis animatus perpetuò, conſiliis quoq; me juves tuis, etiam atq; etiam rogo. Cum enim ingenii mei viriumque imbecillitatem conſidero, & quæ temporum jam ſit conditio, paulò, uti debeo, perpendo diligentiùs: Non poſſum non metuere, ne onere illo, quod humeris eſt meis impoſitum, opprimar. Sed voluntatis

ego meæ causas nuper tibi expo-
sui, quæ etsi fortè minùs probantur
omnibus, hanc tamen rationem
habent: Ut non quidem venden-
dam meam operam aliis, aut mu-
nus aliquod & officium ambiendũ:
Sed tamen, si deferatur, non negli-
gendum esse existimem. Quia et-
iam semel jugo cervices submitte-
re meas cæpi, in eo totus ero, ut
non indignus loco illo judicer. Et si
nihil aliud, saltèm fidem, integri-
tatem, diligentiam meam viris bo-
nis probem. Tu si (quod unicè pe-
to) ut honores meos summo tibi
gaudio voluptatiq; esse ostendisti,
ita commendatos eosdem dein-
ceps habueris, & me jam antè mul-
tis nominibus tibi obligatum de-
vinctum magis, obstrictumq; red-
des: Et simul præclarè de meis o-
mnibus, atq; adeò Repub. totâ me-
reberis. Vale.

AD GRATVLATIONEM *respondendi formula.*

QUòd mihi de filiâ, & de Crassipede gratularis, agnosco humanitatem tuam, speroq; & opto nobis hanc conjunctionem voluptati fore.

Binas à te accepi literas, Corcyræ datas: quarum alteris mihi gratulabare, quod audîsses me meam pristinam dignitatem obtinere: Alteris dicebas, te velle, quæ egissem, benè ac feliciter evenire.

Quòd mihi de eo, quod egerim, gratularis: te ita velle, certò scio: sed ego tàm misero tempore nihil novi consilii cepissem, nisi in reditu meo nihilo meliores res domesticas, quàm Rempub. offendissem.

Gratulatio tua etsi mihi probatissima, quòd ab optimo animo; tamen hoc mihi multò jucundius est, & gratius, quòd in summa propinquorum ac necessariorum, qui meritò meæ saluti faverent, frequentia, te cupidissimum mei, singularemq; mihi benevolentiam præstitisse cognovi.

Precor superos, ut hoc gaudium, quod nobis omnibus largiti sunt, perpetuum esse velint.

Quod mihi de nostro statu gratularis, mi-

nimè

nimè miramur de tuis, ut egregium artificem, præclaris operibus lætari.

Quod nos in Italiam ſalvos veniſſe gaudes, perpetuò gaudeas velim.

Te gaudere certò ſcio, ſed nimis verecundè mihi gratularis.

Grata mihi eſt & memoria tua noſtræ conjunctionis, & ejus etiam augendæ voluntas.

Fuit mihi laudis noſtræ gratulatio tua jucunda & timoris conſolatio grata.

Gratiſſima mihi tua voluntas eſt, faciſque nihil alienum neceſſitudine noſtrâ.

DE DEDICATORIA *ſeu nuncupatoriâ Epiſtolâ.*

DEdicatoria Epiſtola dicitur, qua librum aliquem quacunque de materia à nobis ſcriptum, emendatum, vel commentariis explicatum, vel noſtrâ ſaltem operâ typis excuſum ad aliquem mittimus.

Duo ejuſmodi Nuncupationum apud Ciceronem reperiuntur genera: *Vnum* quod ſine Dedicatione, ſcriptorum expoſitionem continet: *Alterum*, quod certæ cujuſdam perſonæ compellationem, aliaq; habet, quæ in

in Dedicationibus & Nuncupationibus adhibenda sunt.

Ad primi generis tractationem quod attinet, ea ferè sic institui potest: Ut Primum teneat locum causarum expositio missi ad amicum operis: Hæ petuntur, vel ab amicorum voluntate, & petitionibus crebris: vel ab otio concesso: vel à temporum conditione; vel à materiæ utilitate.

Sequatur Deinde vel Methodi significatio, vel occupatio, quæ excuset aut difficultatem & obscuritatem in scribendo, aut libertatem & acerbitatem, aut tarditatem.

Postremò jungatur, vel ad operis lectionem assiduam, similiaq; studia colenda, tractanda, absolvenda adhortatio: vel aliorum operum fiat pollicitatio. Studendum hîc modestiæ; adhibendæ extenuationes: Ne nostra amare, aut arroganter nimis multa polliceri videamur.

Exemplum missionis operum, observatum in Epist. 8. lib. IX. ad Fam. qua libros suos Academicos Varroni Cicero mittit, eundemque monet, ut de Latina lingua inchoatos libros absolvere, & ad se mittere velit. Cujus prima pars causarum expositionem continet, cur Academicos ad Varronem libros mittat. Altera methodi institutæ & per-

personarum, quibus sermo in dialogo tribuitur, rationes complectitur. Tertia partim cohortatione ad excolenda, & vel similia, vel alia tractanda: partim aliorum scriptorum pollicitatione, constat Postrema voto absolvitur, ut scilicet benè feliciterq; emptio & venditio eveniat.

ETsi munus flagitare, quamvis quis ostenderit; ne populus quidem solet, nisi concitatus: Tamen ego expectatione promissi tui moveor, ut admoneam te, non ut flagitem. Misi autem ad te quatuor admonitores non nimis verecundos; Nosti enim profectò os ejus adolescentioris Academiæ. Ex ea igitur media excitatos misi: qui metuo, ne te fortè flagitent: Ego autem mandavi, ut rogarent. Expectabam omnino jam diu, meq; sustinebam, ne ad te priùs ipse quid scriberem, quàm aliquid accepissem, ut possem te remunerari quàm simillimo munere. Sed cum tu id tardiùs faceres, id est, ut ego interpretor, diligentiùs: Teneri non potui, quin conjunctionem studiorum, amorisq; nostri, quo possem, literarum genere, declararem. Feci igitur sermonem inter nos habitum in Cumano cum esset unà Pomponius. Tibi dedi partes Antiochianas, quas à te probari intellexisse mihi videbar: Mihi sumsi Philonis. Puto fore, ut, cum legeris mirere, id nos locutos esse inter nos, quod nunquam locuti sumus: sed nôsti

morem dialogorum: Posthac autem, mi Varro, quàm plurima, si videbitur, & de nobis, & inter nos: serò fortasse: sed superiorum temporum fortuna Reip. causam sustineat. Hæc ipsi præstare debemus. Atq; utinam quietis temporibus, atq; aliquo si non bono, at saltem certo statu civitatis, hæc inter nos studia exercere possemus. Quanquam tum quidem vel alia quæpiam rationes, honestas nobis & curas & actiones darent. Nunc autem quid est sine his cur vivere velimus? mihi verò cum his vix ipsis, his autem detractis, ne vix quidem. Sed hæc coràm, & sæpius: Migrationem & emtionem tibi feliciter evenire volo, tuumq; in ea re consilium probo. Cura ut Valeas.

† *IMITATIO HVIVS EPISTOLÆ, quâ uti possumus cum Orationes à nobis confectas amico mittemus, eundemq; ut par pari referat, hortabimur.*

ETsi munus postulare, quamvis quis promiserit, hominis parum prudentis atq; verecundi esse videatur; tamen scriptorum tuorum desiderio moveor, amicos tibi hosce ut mittam, qui te non flagitent:

tent: Sed moveant ac rogent, ut promissis te exsolvas atque liberes. Expectavi sanè jam diu aliquid & quidem Sophocleum, teq; omninò dignum: neq; antè ad te mittere aliquid volui, quàm à te aliquid accepissem: ut scilicet ἀντίδωρον à me aliquod haberes. Quia verò illud tardiùs, hoc est, ut ego interpretor, diligentiùs facis: & priusquam in hominum venire manûs tua sinas, incudi sæpè reddis atq; expolis. Initium facere atq; illud: *manum de tabulâ*, in memoriam tibi revocare volui. Scripsi igitur aliquot orationes contrarias, inq; iis quæ plerique laudant, omnia improbavi. Arbitror fore, ut, eas ubi legeris, institutum hoc meum mirere: sed nôsti morem ac consvetudinem Scholarum Rhetoricarum, in quibus exercitationis gratiâ pro falsis & injustis aliquando minimè dice-

re inutile judicatur. Neq; Carneadem, nisi ab unico reprehensum Catone existimo: Cum iisdem viribus justitiam, & oppugnavit, & defendit. Posthac autem plura à me accipies: modò per temporis iniquitatem, aut occupationes, facere id mihi licuerit. Tu operam interim dabis: par pari ut referas, inq; debitum (quod ajunt) promissum cadere omne statues. Profectionem valetudinis causâ susceptam feliciter evenire tibi cupio, tuumque eâ in re institutum laudo ac probo. Vale.

Cum certæ personæ opus nostrum inscribimus, Exordiemur ab aliqua re illustri, præclara, delectabili, seu à loco communi, paulatimq; ad operis argumentum institutumq; delabemur.

Interdum à nostris rebus, occupationibus, negotiis, fortunâ, vitæ statu, atque eventis principium ducemus.

Deinde occasionem & causas explicabimus,

mus, quibus incitati fuerimus ad librum conſcribendum, ne quid inconſultò aggreſſi putemur. Hîc de ûtilitatibus ex eâ lectione, illoq; ſtudio capiendis licebit diſputare. Hæc ſiquidem una ſolet exiſtere ratio, quâ docti viri ad libros divulgandos impelluntur.

Dicendum etiam aliquid de modo, quem in opere noſtro tenuerimus. In tantâ librorum de eâdem, aut quaſi eâdem re ſcriptorum multitudine, obſervatu eſt vehementer neceſſarium, ut ſi minùs res novas; nova tamen commodioreq; viâ & methodo, diligentiùs & apertiùs (quæ ſingula per ſe magna ſunt) tradere nos velle, intelligatur.

Poſt hæc Patroni noſtri laudabiles actiones, egregia facinora inſigniter prædicabimus, ac, ſi videbitur, ad earundem laudum ampliorem gloriam cohortabimur: Qua in parte nihil vetabit, eſſe longiores. Quamvis neceſſe non fuerit, Rhetoricum quendam in laudando ordinem perſequi: Verùm ſi multa ſunt, præcipua deligenda, verbis exquiſitis in cœlum extollenda erunt, Cavendum interim ne adulatoriè eorum laudes perſequamur, ſub quorum nomine in hominum manûs noſtra ſcripta venire volumus.

Poſtre-

Postremò munus, nosque ipsos offeremus extenuantes nostrum ingenium, doctrinam cum libro deprimentes, at paucis, suaviter, ac moderatè. Rogabimus item, ut nos in suorum numero haberi pergat: Plura, majora, elaboratiora, ipsiusque splendore digniora pollicebimur.

Verùm enim verò, *hic ordo præceptionum tam anxie custodiendus non est. Nam hîc quoq; ut alibi, libera est Epistola.*

Qui graviter, politè, sapienter præfari concupiscet, legat principia librorum à Cicerone ad amicos missorum: De Natura Deorum, de bonorum & malorum Finibus, de Senectute, de Oratore, de Topicis, de Amicitiâ; de Divinatione, de Fato, de Tusculanis Quæstionibus, de Paradoxis, de Officiis, de Inventione, & Dedicatorias doctissimorum quorundam nostri temporis, *Pauli Manutii: Antonii Mureti: Petri Victorii: Ioachimi Perionii: Caroli Sigonii*, & similium.

Exemplum Nuncupatoriæ Epistolæ observatum in compellatione Herennii, quæ prima est lib. Rhet. Partibus hæc tribus absolvitur: In quarum Primâ causas auctor, cùm scriptionem impedientes, tùm ad eandem impellentes, indicat. Altera commendationem operis continet, comparatione

Græ,

Græcorum, sed modestè institutam. Postrema adhortatione ad assiduam exercitationem constat.

ETsi negotiis familiaribus impediti, vix satis otium studio suppeditare possumus: Et id ipsum, quod datur otii, libentiùs in Philosophia consumere consuevimus: Tamen tua nos C. Herennii voluntas commonuit, ut de ratione dicendi, conscriberemus, ne aut tuâ causâ noluisse nos, aut fugisse laborem putares: Et eò studiosiùs hoc negotium suscepimus: Quod te non sine causa velle cognoscere Rhetoricam intelligebamus: Non enim parum habet in se fructus copia dicendi, & commoditas orationis: si rectâ intelligentia definita moderatione animi gubernetur: Quas ob res, illa, quæ Græci scriptores inanis arrogantiæ causa sibi assumserunt reliquimus: Nam illi, ne parùm multa scisse viderentur, ea conquisiverunt, quæ nihil attinebant, ut ars difficilior cognitu putaretur: Nos autem, quæ videbantur ad rationem dicendi pertinere, sumsimus: Non enim spe quæstus, aut gloriâ commoti venimus ad scribendum, quemadmodum cæteri: sed ut industriâ nostrâ tuæ morem geramus voluntati. Nunc, ne nimium longa sumatur oratio, de re dicere incipiemus: sed si te unum illud monuerimus, artem sine assiduitate dicendi non multùm juvare: ut intelligas

hanc

hanc rationem præceptionis accommodari ad exercitationem oportere.

† IMITATIO HUIUS EPISTOLÆ, *qua partes morum atque vitæ præcepta amico inscribimus.*

ETsi publicis negotiis districtus vix satis ocii ad meas curandas res habeam: Et id ipsum, quod conceditur ocii, in Oratoriis consumere studiis malim: Tui tamen parentis, viri clarissimi, & de me reque publicâ totâ optimè meriti voluntas me impulit: ut de morum vitæque doctrinâ quædam conscriberem: Ne aut declinâsse laborem; aut parenti gratificari tuo: tibi commodare noluisse viderer. Id quoque eò feci, & libentiùs, & studiosiùs, quod non sine causâ parentem tuum, hæc quoque te cognoscere velle intelligebam. Neque enim parum utilitatis hæc adferre doctrina solet: Cum & de

ho-

hominis hac in vita felicitate agat: Et quonam pacto animi sint cohibendæ perturbationes ostendat: Et virtutum atq; vitiorum vim ac naturam explicet: Et deniq; constanter honesteq́; vivendi rationem præscribat. Itaq; sit aliarum artium cognitio utilis: Sit jucunda & svavis: Sit laudabilis atq; honorifica: Hujus profectò ita est necessaria, ut carere eâ nemo possit: Modò moderatio in illa aliqua adhibeatur. Quamobrem ea, quæ aut nostris temporibus non sunt accommodata: aut allata à Philosophis disputandi gratiâ, reliqui: Persecutus autem sum illa, quæ honestè, & secundum virtutem vivendi rationi sunt apta atq; idonea. Non enim vel lucelli alicujus spe illectꝰ, vel gloriolę adductus cupiditate ad scribendum accessi: sed industriâ quantulacunq, meâ, & parentis tui

mo-

morem voluntati gerere, & tuâ promovere ſtudia volui. Boni ergo labores hoſce meos conſules: Simul etiam illud cogitabis: cum *in virtutis non cognitione, ſed actione laus ſit omnis poſita*, quæ hîc traduntur, non animo modò excipienda & cognoſcenda, verùm etiam vitâ atq; moribus exprimenda eſſe.

NVNCVPANDI ET DEDICANdi formulæ; Epiſtola integra Mureti ad Scipionem Gonzagam Marchionem.

FEcit meum erga te perpetuum ſtudium, & animi propenſio quædam eximia, ut, cum haberem clariſſimos viros & multos, quibus nunçupationem operis hujus, ob eorum in me officia deberi meritò cognoſcerem: Nulli tamen maluerim hunc mei laborem, quàm tibi eſſe dicatum.

Quo lucubrationes hæ meæ gratiores eſſent, magiſq; acceptæ, felici T. N. nomine eas inſignivi. Quod meum factum ut T. N. in meliorem partem accipere, & hunc libel-

lum benigno, ut solet vultu suscipere, meq; commendatum habere non dedignetur, eâ qua par est reverentiâ supplex oro atque obsecro.

Quod opus, Marcelle, tibi dicamus, quem cum amicissimum nobis, tum eximio literarum studio flagrantem, dignissimum hoc mutuæ inter nos charitatis pignore, judicamus.

A me munusculum hoc chartaceum habebis, meæ in te voluntatis & studii argumentum. Exiguum, inquies. Fateor: sed velim spectes animum, non rem. Muneris tenuitatem, humanitatis tuæ magnitudo sublevabit.

Obnixè rogo, Fautor modis omnibus colende, ut hæc quantacunq; quâ soles benignitate accipere, non tam rem ipsam, quæ sanè perexigua, est, quàm offerentis voluntatem observantiamq; perpetuam spectare, laboremq; meum adversus hominum injurias defendere, non dedigneris.

Offero tibi munus, Scipio Gonzaga, si aut ex sua, aut ex tua dignitate spectetur, perexiguum: si ex viribus, mediocre: si ex animo magnum: Orationes quædam sunt variis à me temporibus habitæ: Quas, cum partim dispersæ atq; errantes vagarentur, partim apud me in adversa-

riis

riis neglecta jacérent: Nunc in unum corpus collectas ut edi ac divulgari paterer, amici quidam & multò mei, hac quidem in parte, quàm par est, & quàm ego ipse vellem studiosiores, impulerunt. Satis superq; fuerat, earum partim in Scholastico pulvere atq; in illis eruditorum hominum umbraculis, non tantùm recto, ut dicitur, stetisse talo, sed plausum etiam & ἐπισημασίας tulisse: Partim in illo consessu; quo nullum habet terrarum Orbis augustiorem, & silentio auditas & principum virorum testimonio commendatas fuisse. Superârat fortuna spes meas: Quam sæpiùs sine causâ experiri, negant esse sapientis, neq; nescius eram morosiora ac difficiliora esse legentium, quàm audientium judicia, sæpeq; accidere, ut quæ audientes mirabamur, eadem legentes rideamus. Sed quid facerem? capienti mihi jam latére, amici obstiterunt: quibus parendum fuit; ne, si in negando pertinax essem, superbiæ deniq; id potiùs, quàm modestiæ adscriberetur. Cum igitur inibi esset, ut ederentur, libenter arripui occasionem diu optatam inscribendi tibi, ut nunc fit, aliquid deprompt um ex studiis meis, eâdemq; operâ testificandi & judicii de te, & mirifici cujusdam amoris erga te mei. Verè enim hoc dicam Scipio: Cum omnes, qui te nôrunt, ita te ament, ut eorum nemo sit, qui se studio atq; observantiâ tui cedere cuiquam putet: ego tamen mihi videor

diu-

diuturnâ & accuratâ notatione & observatione earum rerum, quæ te usq; eò omnibus amabilem reddunt, singulare quiddam præter cæteros πεπον-θέναι. Quid est enim quod ad conciliandas ac devinciendas hominum voluntates valeat, quin id in te omni ex parte perfectum reperiatur? nihil hîc de summâ atq; antiquissimâ gentis vestræ aut nobilitate aut potentiâ dicam: nihil de toto illo genere bonorum; quod ita tuum est, ut & aliorum sit. Alios & ista amatores habent. Ego in te nihil amo, nisi teipsum. Itaq; ut ille Rex potentissimus ex amicis suis alium dicebat esse φιλοβασι-λέα, alium φιλαλέξανδρον: Ita tu, alios esse, qui & alia in te ament, me planè & ex animo φιλο-σκιπίωνα esse tibi persvadeas licet. Ac teipsum cum dico, ne illam quidem dico & oris & totius corporis dignitatem, quæ tibi omnium elegantiorum hominum animos primo statim adspectu conciliat, constituens: quoad ejus fieri potest, ante eorum oculos, & ingenium & mores tuos. Quamvis enim verè dixit nescio, quis Poëtarum, gratiorem in pulchro corpore esse virtutem: *Ea tamen est in te veriorum ac solidiorum bonorum copia, quæ te his secundæ, ut ita dixerim, notæ bonis conferri non sinat. Ingenium excellens, & in quo, tanquam in pingui ac feraci solo, omnes te dignæ artes ita facilè comprehendant, ut eas non ab aliis accipere; sed ex te ipso parere*

parere ac proferre videaris. Quo tu usus ita, ut decuit, à Graca Latinaq; lingua intelligentiâ, à Poetarum, Historicorum, Rhetorum cognitione ad Philosophiam & ad eam quam tibi ab ineunte atate proposueras quaq; tibi nunc in amoribus ac delitiis est, Theologiam eâ celeritate properâsti, ut, qua honoris ac dignitatis pramia confecto studiorum curriculo tribui ac decerni solent, ea tu tum meritissimò consecutus sis, cum adhuc maturum videri poterat, de animo ad illas graviores disciplinas adjiciendo cogitare. Atq; ut istius generis ingenium nunquam ita esse otiosum potest, ut omninò nihil agat: quod tibi dabatur à severioribus studiis excepti ac succisivi temporis, eo tu quasi ludibundus eas artes, in quibus adolescentes ingenui exerceri olim Athenis solebant, ita omnes didicisti, itaq; te in eis exercuisti ut in earum qualibet cum summis artificibus comparari facilè possis. Quid nunc ego mores illos tuos planè, ut Poeta loquuntur aureos, laudem? Potuitne quisquam unquam bonus tecum biduum vivere, tuaque suavitatis partem aliquam gustare, quin, ut sibi totam atatem tecum exigere liceret, optaverit: Ita tu, quod rarissimi exempli est summam integritatem vita cum summa comitate ac facilitate copulasti. Sed nolo nunc plura de te: Ne ipsi tibi molestus sim. Equidem cum de scriptis meis non magnopere laborare soleam; tamen hunc librum

precipuè

præcipuè cupio & celebrari nunc, & ad posteros pervenire: Vt exstet aliquod testimonium judicii de singularibus tuis virtutibus mei. In quo fortè quis eorum qui te non nôrunt (nam de iis, quibus tu notus es, nihil tale metuo) assentationi & consuetudini datum esse aliquid suspicetur. Deum immortalem testor, nihil unquam à me veriùs, magisque ex animi mei sententia scriptum esse, quàm ea, quæ de tuis laudibus scripsi. A te peto ut me ames, quò me ipsi mihi efficias cariorem. Vale. Romæ Calendis Maii cIɔ Iɔ LXXI.

MODVS RESPONDENDI Dedicatoriæ.

QUod si verò ad *Dedicatoriam Epistolam* alicui respondere nobis placuerit: Primùm narrabimus accepisse nos & legisse ea, quæ ad nos amicus miserit. Deinde commendabimus opus institutum ab argumenti dignitate, utilitate, necessitate: Methodi facilitate, & perspicuitate: Orationis genere puro, Latino, eleganti.

Ad hæc gratias agemus amico, quòd sua aut nobis mittere, aut inscribere opera voluerit: & ostendemus, interesse hoc plurimum ad honorem nostrum: Testatum facere amorem singularem quo ille nos complecta-

tur: grati quoq; animi memoriam pollicebimur.

Postremò rogabimus amicum ut & hujus generis alia in lucem deinceps emittere: atque ita cùm bonorum adolescentum studiis, tùm suæ famæ atque existimationi consulere velit.

† *TRACTATIO VERO ET COLlocatio harum sententiarum ita est instituenda, ut primum habeat locum narratio, in qua exponamus: accepisse nos & legisse ea, quæ ad nos amicus miserit. Hanc deinde sequatur Propositio laudatoria. Eandem tertiò excipiat Confirmatio, quæ institutæ laudationis rationes contineat. Postrema pars Conclusio gratiarum actione & petitione absolvatur. Hanc ergo Methodum secuti, Epistolæ respondebimus paulò antè in primò dedicationum genere exercitii causâ proposita, hoc modo:*

ACcepi literas tuas unà cum Orationibus ad me missis, quarum ego lectione mirificè sum delectatus, tuamque illam admirabilem cùm ingenii vim, tùm dicendi copiam in iis deprehendi. Quid

quæ-

quæris? Eruditæ, artificiosæ, verè Ciceronianæ sunt. Neque enim in iis verborum tantùm, aut ornamentorum Ciceronianorum est imitatio: Sed & sententiarum & structuræ & aliorum est expressio, quæ à prudenti literatoq; observari imitatore, & solent & debent. Itaq; ut maximè eas laudo proboque: Ita qui mittere mihi volueris tibi gratias, quas possum ago maximas: Relaturus cùm primùm aliqua sese obtulerit occasio.

Quod enim mirari me arbitraris, cur in contrariis te orationibus exerceas, liberare omni te solicitudine volo. Nota mihi veterum hac in re est consvetudo: Quid Aristoteles, Cicero, Quintilianus, aliique dicendi Magistri hoc de exercitationis genere scribant, scio: perspecta ejusdem insignis mihi utilitas est. A me autem quod exigis:

par pari ut referam: plus amori in me tuo, quàm vero judicio tribuis. Veruntamen, quia omninò à me hoc postulas tentabo sanè aliquid: Sed χρύσεα χαλκείων: & Diomedis & Glauci permutatio erit. Sed & huncipsum, uti spero, æqui boniq; conatum consules: Simul etiam pluribus in lucem scriptis tuis emittendis, & benè de bonórum adolescentum studiis mereri: Et surgenti tuæ consulere gloriæ conaberis. Vale.

DE LAVDATORIA
Epistola.

LAudatoria Epistola dicitur, qua nos & nostra, aut alios & aliena, commendamus.

Materiam laudis petimus à triplicibus: externis; corporis, aut Animi.

Cùm vel eos ipsos, ad quos scribimus, vel alios alienavé laudamus à doctrinâ, justitiâ, temperantiâ, fortitudine, acceptis beneficiis, rebus benè gestis, aliisq; virtutibus, à re-

rum magnificentiâ, copiâ, varietate, pulchritudine ceterisque rebus; Illud cavendum est, ne laudatio in adulationis vitium, aut suspicionem incidat: Tunc enim insvavis solet esse, cùm illis qui laudantur, tùm aliis.

Consultum igitur foret, ea tantùm laudare, quæ illis tanquam stimulus ad virtutem esse possunt. Solemus etiam nonnunquam alios, aliave laudare non tantùm, quia ea omnibus digna laudibus judicamus, verùm etiam, ut illum, cui scribimus ad aliquid faciendum cohortemur.

Cum vel nosmetipsos, vel nostra laudamus, adeò modesti debemus esse & verecundi, ut nunquam ad eam laudem, nisi coacti; sed aptè tamen, & congruenter, veniamus.

Laus ex aliorum lingua illustris, vera, & solida habetur: ex nostro verò ore sordescit ferè semper.

Laudatoriarum Epistolarum apud Ciceronem præcipuè *partes* tres sunt;

Quarum prima *Exordium*, constat, vel narratione, quæ scriptionis & laudationis institutæ occasionem continet: vel laude & approbatione facti alicujus: vel gratulatione simul & gratiarum actione.

Pars altera *Confirmatio* est, quæ laudationum rationes complectitur, sumptas aut à virtutibus suprà nominatis: aut ab actionibus, conjunctis cum honestate, utilitate, voluptate: aut à circumstantiis personarum loci, temporis, modi: aut à comparatis & exemplis: aut à testimoniis, judicio, sermone, approbatione bonorum virorum.

Pars tertia, *Conclusio* absolvitur vel adhortatione; ut pergat amicus, & quam collectam habet laudem, retineat, atque amplificet: vel gratiarum actione & gratulatione, si nondum positæ sint: vel delatione studii & officii, vel longioris epistolæ præcisione & excusatione.

Exemplum *laudatoriæ Epistolæ*, observatum in Epist. 14. lib. X. ad Fam. qua Planci contra hostes præclarè feliciterq; res gestas Cicero laudat. Partes Epistolæ tres sunt. *Exordium* laude & approbatione facti constat Planci. *Confirmatio* laudationis rationes continet, ab agendi modo & effectis præclaris sumptas. *Conclusio* adhortationem habet, argumento, à commodis cùm publicis tùm privatis sumpto, munitam.

O gratam famam biduo ante victoriam, de subsidio tuo, de studio, de celeritate, de copiis. Atqui etiam hostibus fusis, spes omnis in te est: fugisse enim

enim ex prælio Mutinensi dicuntur notissimi latronum duces. Est autem non minus gratum extrema delere, quàm prima depellere. E-*quidem expectabam jam tuas literas, idq; cum multis: Sperabamq; etiam Lepidum temporibus admonitum, tecum & Reip. satis esse facturum. In illam igitur curam incumbo, mi Plance: ut ne qua scintilla teterrimi belli relinquatur. Quod si erit factum: Et Remp. divino beneficio affeceris, & ipse æternam gloriam consequére. III. Id. Maii. Vale.*

† *IMITATIO HVIVS EPIstolæ ita potest institui:*

O Lætum nuncium, & cui merito εὐαγγέλια debentur: de singulari tuo in communem patriam Germaniam amore ac studio, de celeritate credibili inscribendi exercitum, pressisq; succurrendi: De virtute militum egregiâ: de victoriâ nobili atq; præclarâ reportatâ: Cæsi enim hostili in exercitu militum plurimi: Duces ex prælio fugisse:

gisse; desiderari ex nostris paucissimi dicuntur. Itaque & summis in cœlum usq; te exercitumq; tuum laudibus evehunt omnes, & faustis ominibus prosequuntur. Sed interim eam in curam omni tibi incumbendum esse studio cogitabis: Ut quæ inchoata sunt feliciter, ad finem usq; perducantur: Et depulsis jam primis etiam extrema deleantur: Atq; ita sacrilegiis templa; Oppida direptionibus; vastationibus agri; cæde corpora; tecta incendiis, rapinis fortunæ liberentur. Equidem tuas nunc literas expecto quotidiè, easq; cum multis aliis, quibus communis patriæ salus cordi est. Spero etiam plures periculi imminentis magnitudine motos tecum contra communes hostes arma sumpturos. Da igitur operam, enitere, perfice denîq;, ut finis bello imponatur, neque illius scin-

ſcintillulæ ullæ relinquantur, quæ non reſtinctæ, novum aliquod & æquè pernitioſum, aut etiam pernitioſius incendium ſuſcitent. Quod ſi, uti ego confido; mecum plurimi alii ſperant viri boni, feceris: Et præclarè de noſtrâ Repub. atq; adeò Germaniâ totâ merebêris, & nomen tuum ab oblivione atque interitu vindicatum magnâ cum laude atq; gloriâ ad poſteritatem uſq; tranſmittes. Vale.

IN ſtudioſorum gratiam libuit hoc loco planè feſtivam & ornatam Plinii Epiſtolam adſcribere, quâ ille Euphratem Philoſophum ab humanitate, ingenio, doctrinâ, eloquentiâ, formâ, & habitu corporis, vitæque ſanctitate eximiè celebravit, lib. I. Epiſt. 10.

C. PLINIVS ARRIO
Clementi S.

S*I quando urbs noſtra liberalibus ſtudiis floruit: Nunc maximè floret. Multa, claraq; exempla ſunt: ſuffecerit nobis unum,* Euphrates

Philoſophus. *Hunc ego in Syria, cum adoleſcentulus militarem, penitùs, & domi inſpexi, amariq; ab eo laboravi, etſi non erat laborandum: Eſt enim obvius & expoſitus, plenusq; humanitate quam præcipit: Atq; utinam ſic ſpem ipſe, quam tunc ille de me concepit, impleverim, ut ille multum virtutibus ſuis addidit. At ego nunc illas magis miror, quò magis intelligo, quanquam ne nunc quidem ſatis intelligo. Vt enim de pictore, ſculptore, fictore, niſi artifex judicare: Ita niſi ſapiens non poteſt ſapientem perſpicere, quantum mihi tamen datur cernere, in* Euphrate *multa ſic eminent, & elucent, ut mediocriter quoq; doctos advertant & afficiant. Diſputat ſubtiliter, graviter, ornatè, ac frequenter etiam Platonicam illam ſublimitatem & latitudinem effingit: ſermone copioſus & varius, dulcis inprimis, & qui repugnantes quoq; ducat & impellat, ad hæc proceritas corporis, decora facies, demiſſus capillus, ingens & cana barba: Quæ licet fortuita & inania putentur: illi tamen plurimum venerationis acquirunt: Nullus horror in vultu, nulla triſtitia, multum ſeveritatis. Reverearis, ut occurſum non reformides: Vita ſanctitas ſumma, comitas par: inſectatur vitia, non homines: nec caſtigat errantes; ſed emendat. Sequaris monentem attentus, & pendens, & perſvaderi tibi, etiam cum perſvaſit, cupias. Iam verò liberi tres,*

tres, duo mares quos diligentissimè instituit: Socer Pompejus Iulianus cùm cæterâ vitâ, tùm vel hoc uno magnus & clarus, quòd ipse provinciæ princeps hanc inter altissimas conditiones generum non honoribus principem; sed sapientiâ elegit. Quanquam quid ego plura de viro, quo mihi frui non licet. Nam distringor officio, ut maximo, sic molestissimo. Sedeo pro tribunali, subnoto libellos, conficio tabulas, scribo plurimas, sed illiteratissimas literas. Soleo nonnunquam (nam id ipsum quandoque contigit) de his occupationibus apud Euphratem queri. Iste me consolatur: Affirmat etiam, esse hanc Philosophiæ, & quidem pulcerrimam partem, agere negotium publicum, cognoscere, judicare, promere, & exercere justitiam, quæque ipsi doceant, in usu habere: Mihi tamen hoc unum non persuadet, satius esse ista facere, quàm cum illo dies totos audiendo discendoque consumere. Quo magis te, cui vacat, hortor, cum in orbem proximè veneris (venias autem ob hoc maturiùs) illi te expoliendum, limandumque committas. Neque enim ego, ut multi, invideo aliis bonum, quo ipse careo: sed contrà sensum quendam voluptatemque percipio, si ea quæ mihi denegantur, amicos video superesse. Vale.



LAVDANDI VIROS formulæ.

Cum ipſum Furnium per ſe vidi libentiſſimè, tùm hoc libentiùs, quod illum audiens te videbar audire. Nam & in re militari virtutem, & in adminiſtrandâ provinciâ juſtitiam, & in omni genere prudentiam mihi tuam expoſuit: Et præterea mihi non ignotam in conſvetudine & familiaritate ſvavitatem tuam adjunxit: Præterea ſummam erga ſe liberalitatem. Quæ omnia mihi jucunda: Hoc extremum etiam gratum fuit.

Cave putes, probitate, conſtantiâ, curâ, ſtudio, Reipub. quicquam illi eſſe ſimile, ut eloquentia qua mirabiliter excellit, vix in eo locum ad laudandum habere videatur; quanquam in hac ipſa ſapientia plus apparet: Ita gravi judicio, multaq; arte ſe exercuit in veriſſimo genere dicendi. Tanta autem induſtria eſt, tantumq; evigilat in ſtudio, ut non maxima ingenio (quod in eo ſummum eſt) gratia habenda videatur. Sed provehor amore: Non enim id propoſitum eſt huic Epiſtolæ, Meſſalem ut laudem, præſertim ad Brutum, cui & virtus illius non mi-

nus, quàm mihi, nota eſt, & hæc ipſa ſtudia, quæ laudo, notiora, &c.

Moveor tali amico orbatus, qualis, ut arbitror, nunquam erit, & ut confirmare poſſum, nemo certè fuit. Qui ſummam ſpem civium, quam de eo jam puero habuerant, continuò adoleſcens incredibili virtute ſuperavit, qui conſulatum petiit nunquam: factus eſt conſul bis, primùm ante tempus, iterum ſibi ſuo tempore, Reipub. pœnè ſerò? Qui duabus in urbibus everſis, inimiciſſimis huic imperio, non modò præſentia: verùm etiam futura bella delevit. Quid dicam de moribus facillimis, de pietate in matrem? Liberalitate in ſorores? bonitate in ſuos? Juſtitiâ in omnes? Hæc nota ſunt vobis. Quàm autem civitati carus fuerit, mœrore funeris indicatum eſt. Quamobrem vita quidem talis fuit, vel fortuna, vel gloria, vel nihil poſſet accedere. Moriendi autem ſenſum celeritas abſtulit, &c.

Erat in illo viro comitate gravitas condita, nec ſenectus mores mutaverat. Hic & bella gerebat, ut adoleſcens, cum planè grandis eſſet, & Annibalem juveniliter exultantem patientiâ ſuâ molliebat. Nec verò, ille in luce modò atque in oculis civium

magnus, ſed intus domiq; præſtantior. Qui ſermo? quæ præcepta? quanta notitia antiquitatis? &c.

Eſt in Democrito ſumma probitas, ſumma virtus, ſumma in hoſpites liberalitas, & obſervantia; meq; præ cæteris & colit, & obſervat, & diligit.

Ex literis multorum & ſermone omnium ad me perfertur, incredibilem tuam virtutem & fortitudinem eſſe, teq; nec animi, nec corporis laboribus defatigari.

Hunc quidem cognovi cùm doctum, (quod quidem mihi erat jam antè notum) tum ſanctum, plenum officii, ſtudioſum etiam meæ laudis, frugi hominem ac planè virum bonum, ſtudioſum omnium virtutum.

Finxit te ipſa natura ad honeſtatem, gravitatem, temperantiam, magnitudinem animi, juſtitiam, ad omnes denique virtutes magnum hominem & excelſum: His etiam acceſſit doctrina.

Ad labores hic impiger, ad pericula fortis, ad uſum, ad diſciplinam peritus, ad conſilia prudens, ad caſus fortunamq; felix.

Summa eſt in te dignitas generis, induſtriæ, cæterorumq; ornamentorum.

Omnibus ego te virtutibus continentiæ,

gra-

gravitatis, fidei, fortitudinis, omni denique honore dignissimum semper judicavi.

Tu es hujus civitatis genere, honore, æstimatione, & pecuniâ facilè princeps.

Nullius est tantum flumen ingenii, nulla scribendi aut dicendi tanta vis tantaque copia, quæ, non dicam exornare; sed enarrare, C. Cæsar, res tuas gestas possit.

Te quibus laudibus efferam? quibus studiis prosequar? qua benevolentiâ consequar?

Audio, facilimos esse aditus ad te, patére aures tuas querelis omnium, nullius inopiam ac solitudinem, non modò populari accessu ac tribunali, sed ne domo quidem tuâ & cubiculo exclusam esse, tuo toto deniq; imperio nihil acerbum esse, nihil crudele; sed omnia plena clementiæ, mansvetudinis, humanitatis.

Res à te gesta memorabilis & pœnè cœlestis repellit omnes reprehensiones, quippè quæ ne laude quidem satis dignâ & idoneâ affici potest.

Omnes qui isthinc veniunt ita de tuâ virtute, integritate, humanitate commemorant, ut in tuis summis laudibus excipiant unam iracundiam.

Vera quidem laude probitatis, diligentiæ, Religionis neque me tibi neque quen-

quam

quam antepono: amoris verò erga me, cum à fraterno amore domesticoq; discessi tibi primas defero.

Omnia in te sunt, quæ aut fortuna hominibus, aut natura largitur.

Domus tua plena est integritatis, officii, & religionis.

Sanctè graviterq; vivis: Tua laus est latè longèq; diffusa.

Quid tuam constantiam vitæ commemorem? dignitatem, liberalitatem, moderationem in privatis rebus, splendorem in publicis?

De ejus viri virtute quid nos loqui, quid sentire, quid cogitare, quid judicare oporteat, dubitandum putabis?

Vagatur nomen tuum longè lateque: sedem quidem stabilem, domicilium non habet.

Tuam laudem obscuratura nulla unquam est oblivio.

Es quidem tu omnium discipulorum pater, fautorq;, ac in omni virtute & rerum experientiâ præstans.

Homo purus, pudicus, humanus, officiosus.

Homo iste tùm summè in omnes officiosus, tùm maximè præter cæteros sedatus; quie-

quietus, item genere, honore, copiis, existimatione facilè princeps.

Homo ornatissimus loco, ordine, nomine, virtute, ingenio, & copiis.

Nulla in hoc homine desidia, luxuria: contrà summus labor in publicis, privatisque rebus, summa parsimonia, summa diligentia.

Nullum te aut officiis fideliorem, aut copiis locupletiorem, aut auctoritate graviorem in Orbe terrarum esse existimo.

Summo es splendore, ingenio, gratiâ præditus.

Es disertissimus, & omni doctrinâ & virtute ornatissimus.

Talis est hic vir, ita de Repub, meritus, ut non uni familiæ: sed universæ civitati commendatus esse debeat, quam civitatem amplam, claramq; reddit præcipuè, æquitate, industriâ, temperantiâ, defensione, odio improborum.

Hic non solum eorum hominum, qui nunc sunt, gloriam: sed etiam antiquitatis memoriam, virtute superavit.

Homo summis ornamentis honoris, virtutis, fortunæ, ingenii præditus, & talis est vir, ut nulla res talis sit & tanta, ac tam difficilis, quàm ille non & consilio regere, &

in-

integritate tuéri, & virtute conficere possit.

Homo es gravissimus, civis egregius, senator fortissimus.

Erat in eo summa eloquentia, summa fides, summa integritas, auctoritas tanta, quanta in homine quoquam tenetur.

Nemo te comior, jucundior, commodior, moderatior, ad omnem rationem, & hujus civitatis, genere, honore, existimatione & pecuniâ facilè princeps.

Pompejus vir omnium, qui sunt, fuerunt, erunt, virtute, sapientiâ, ac gloriâ princeps.

Hic negotiatoribus comis, mercatoribus justus, municipibus liberalis, sociis fidelis, omnibus est visus in omni officio diligentissimus.

Quæ est ora, quæ sedes, qui locus, in quo non exstent hujus cum fortitudinis, tum verò humanitatis, tùm consilii impressa vestigia?

Hic incredibili quadam atque inauditâ gravitate, constantiâ & virtute præditus, in omni genere ac varietate artium, etiam illarum, quæ sine summo otio non facilè discuntur, excellit.

Neq; monere te audeo præstanti pruden-
tiâ

tiâ virum, nec confirmare maximi animi hominem, utrumq; fortissimum: consolari verò nullo modo.

Appius Claud. homo summo loco natus, summo ingenio, summâ virtute, officiosissimus, & gratissimus.

A. Balbus magni semper, & ad omnes casus ferendos constanter paratus.

Pomp. Atticus est omni liberali disciplinâ politissimus homo minimè ambitiosus, minimè in rogando molestus.

M. Varronem & modestum hominem cognosces, & prudentem, & à cupiditate omni remotissimum, præterea magni laboris, summæq; industriæ.

L. Castronius Pætus longè princeps municipij Lucensis, est honestus, gravis, plenus officii, bonus planè vir, & tum virtutibus, tum etiam fortunâ (si quid hoc ad rem pertinet) ornatus.

Deiotarus vir cum benevolentiâ & fide erga populum. Rom. singulari, tum præstanti magnitudine & animi & consilii.

Virum bonum, magnum hominem & in summâ magnitudine animi, multâ humanitate temperatum perdidimus.

Splendor ordinis, eximium patriæ decus; orna-

ornamentum judiciorum, exemplar antiquæ religionis.

Vir primarius, gravis, honestus, amans æquitatis, alienus ab omni cupiditate, pluribus maximisque in rebus probatissimus, & omnium existimatione ornatissimus.

Nulla res tanta est, cujus quidem efficiendæ potestas homini conceditur, quam non ille & consilio regere, modestiâ temperare, integritate tueri, virtute conficere, autoritate conservare possit.

Magna de illius virtute hominum opinio, magna liberalitatis commendatio, magna rerum gestarum memoria. Illud verò omnem humanæ laudis prædicationem excedit, quod ad eximias animi virtutes, doctrinæ laudem atque ingenii gloriam adjecit.

Brutus vindex libertatis, custos salutis communis subsidium afflictæ Reipub. conservator patriæ.

Judex æquissimus in rebus humanis misericors, in judicando severus, in testimonio religiosus, in consolando comis, in deterrendo vehemens.

Eo hic vir animi robore est, eâ virtutis indole ac continentiâ, ut omnes voluptates respuat, omnem vitæ suæ cursum in labore corporis,

poris, in animi induſtriâ, in commendatione ingenii conficiat.

Incredibilis huic viro impetus animi ad optimarum rerum ſtudia amplectenda, vehemens vincendi cupiditas, oratio elegans, erudita, laudabilis, & niſi meum me judicium propter benevolentiam fallit, omnibus bonis artibus liberaliter inſtituta, & cura atque vigiliis elaborata.

Magnam hujus laudabilis vita, elegans eruditio, & in omnibus diſciplinis mira præſtantia, venerationem meretur.

Homo ingenioſus, intelligens, & apud omnes, propter virtutem, ſplendidus, & gratioſus.

Multæ, & magnæ in hoc viro ſunt virtutes, ſed tamen eximia ejus juſtitia, inaudita animi lenitas, quotidiè magis ac magis efflorescit. Sic enim moderatus eſt, ad omnemq; humanitatis gratiam factus, nullæ ut cupiditates ab innocentiâ atq; integritate abducere illum queant.

Hunc autem virum quibus ſtudiis proſequemur? quâ benevolentiâ complectemur? cujus tanta in animi magnitudine lenitas eſt, ut nihil illo modeſtius clementiuſq; fingi queat. Hanc animi illius virtutem atq; magnitudinem, quis admirari ſatis poteſt? aut

aut oratione non dicam enumerare: sed consequi? quod cum ille cæteris omnibus omni honore egregiè antecellat, ampliorem tamen aliis, quam ipse consecutus sit, tribuat honorem: & quos honoris amplitudine superat, eosdem sibi humanitatis devinciat gratiâ atq; commendatione.

Homo antiquâ vitæ Religione præditus, & longo multarum rerum usu exercitatissimus: tantâ virtute & integritate, nemo ut illo frugalior esse possit.

Magnus hujus labor in negotiis, fortitudo in periculis, fides in amicitia, industria in agendo, celeritas in conficiendo.

Non illum avaritia ad rapinas, non libido ad voluptatem, non amœnitas ad delectationem, non labor ad quietem, non corporis infirmitas ad rei domesticæ neglectionem impulit, sed perpetuo naturæ statu ad omnem honestatis laudem contendit.

Vir antiquâ fide & insigni animi probitate, exemplum Religionis, documentum cæteris hominibus virtutis, probitatis, prudentiæ.

LAV-

LAUDANDI INGENUOS *& liberales adolescentes formulæ.*

ESt jam eò cùm ingenio, tùm studio profectus, ut si perrexerit, neque se aliò flecti, ac propelli finet, clarum sit poëtam nostra se ætate præstiturus, suumq; nomen atq; memoriam unâ cum suis scriptis, magna cum laude & gloria, immortalitati commendaturus.

Cicero filius sic mihi est probatus industriâ, patientiâ, labore, animi magnitudine, omni deniq; officio, ut nunquam dimittere videatur cogitationem, cujus sit filius.

Adolescens timidus, virginali verecundiâ præditus.

Filius spes parentis, memoria nominis, subsidium generis, hæres familiæ, designatus Reip. civis.

Te decus patriæ, ornamentum populi, florem juventutis appello.

Adolescens illustri ingenio, industriâ, & gratiâ.

Adolescens doctissimus & humanissimus, rectissimis, atq; optimis studiis præditus.

Puer incredibili ac divinâ quadam mente & virtute præditus.

Nemo hoc adolescente nobilitate; nemo

multarum rerum peritiâ, nemo optimarum artium studio, nemo ullo laudis genere illo præstantior.

Lectissimus atq; ornatissimus Adolescens, ingenuarum artium peritissimus, domi suæ inprimis nobilis, & illustri apud omnes gratiâ.

Juvenis admirabili fatorum benignitate ad gloriam atq; dignitatem natus.

Hunc natura ad omnem laudis atque nominis nobilitatem magnum atq; excelsum produxit, voluntas exercuit, fortuna servavit.

Vehemens in hoc juvene ardor mentis, ardens vincendi cupiditas, oratio erudita ac liberalis, & mira quædam scriptionis elegantia. Summa in hoc juvene spes, summa nascentis eruditionis expectatio, summa indoles ingenii, summaq; virtus.

Præclara in hoc juvene ingenii judiciique vis apparet.

Ea animi est industria, ut non solùm communium literarum, sed Reipub. in eo spes magna posita videatur.

LAUDANDI FOEMINAS *formula.*

Foemina eximiâ pulchritudine, summâ integritate pudicitiâq; singulari.

Foemi-

Fœmina prudentissima, lectissimaque,
Fœmina spectatissima.

Honestissima matrona & omnibus præclaris animi dotibus, omni virtutis genere ac vitæ dignitate præstans.

Præstantissima fœmina, præclarâ indole, eximiâ animi pietate, virtute, gratiâ, constantiâ admirabili.

Admirabilis in hujus puellæ naturâ elucet virtutis indoles, multa probitatis ac modestiæ signa, ubi ubiq; apparent.

Mulier præter ætatem prudens & expectatissimæ probitatis: Ea deniq; naturæ cùm moderatione, tùm bonitate, ut admirabiles amores excitet.

LAVDANDIS VRBES *formulæ.*

URbs omnium gentium, Orbisq; terrarum celeberrima, copiosa, eruditissimis hominibus, liberalibusq; studiis affluens.

Asia opima regio est, & fertilis ubertate agrorum, varietate fructuum, magnitudine pastionis.

Civitas ista florentissimorum hominum, fortissimorum virorum, optimorum civium, mihique amicissimorum multitudine redundat.

Magna est hujus civitatis amplitudo; magna nominis ejus dignitas est apud omnes gentes.

Hujus civitatis disciplina atque gravitas tanta est, ut haud sciam, an cunctis gentibus anteponendam jure dicam: Sic optimatum consilio gubernatur, ut omnes ejus instituta laudare faciliùs possint, quàm æmulari.

Lacedæmon civitas spectata & nobilitata virtute, non solùm naturâ corroborata, verùm etiam doctrinâ putatur.

Syracusæ urbs est, cujus hic situs atque hæc natura esse loci cæliq; dicitur, ut nullus unquam dies tam magnâ turbulentâque tempestate fuerit, quin aliquo tempore solem ejus diei viderent.

RESPONSIO AD LAUDATORIAM.

AD laudationem, quâ ab aliquo affecti sumus, medicè ac moderatè respondendum est nostras, & nostrarum rerum extenuando laudes.

Tamen, cum nostras laudes decantantibus neque assentiendum sit, ne nos ipsi, quia in re minimè debemus, nimium amare videamur, neque valdè repugnandum, ne quod in nobis

bis est honorificum stultè rejiciamus, gaudebimus, nos & nostros, seu nostra laudari, & eò magis, quo vel meliores vel doctiores, vel graviores sunt, qui aliquâ nos laude prosequuntur. Probata enim virtus, à magnis præsertim viris, omnibus fortunis est anteponenda.

Poterimus igitur non sine gratiâ dicere, lætari nos, à laudato laudari viro, quemadmodum *Hector* ille apud *Navium*: *Lætus sum*, inquit, *laudari me abs te pater*, *laudato viro*. Dicemus nos, dum nostras legimus laudes, agnoscere quodammodo, non sine maximâ animi nostri voluptate, ipsius: Cum, qui propriam ingenii & virtutum gloriam assequitur, is sciat, quàm optimè alienas describere. Ideoque ad evitandam arrogantiam referemus hujusmodi laudes, vel in benignitatem dicentis, qui ijsdem laudibus ornatus sit, vel in benevolentiam in nos, qui in nostrâ laude nimis sit liberalis.

Illum tamen fructum te ex ea laudatione consecutum dicere poteris, quod, cum virtus laudata crescat, vimq; cohortandi habere videatur, magis ad virtutes aliasq; res laude dignas inflammatus fuisti.

Itaque te enixurum multò etiam dices, quàm antè diligentiùs ut accedas proximè,

si ullâ ratione poteris (quo ille te pervenisse existimat) ut aliquando veritati jure, quod fortasse nunc humanitati magna ex parte largitur.

Sed si laudes essent tam veræ, tamque claræ, ut in conspectu ferè omnium essent sitæ, negariq; minimè possent, mentionem illorum faciemus, (si qui fuerint) honorificam, quorum operâ, studio, auctoritate id factum à nobis fuit.

Verùm à solâ Dei Opt: Max. bonitate profectas dicere, & pio & Christiano dignum esset.

Eadem, vel certè non admodum diversa collocandi ratio hîc tenenda, qua utimur in gratulationum responsionibus, inde etiam huc exemplum transferatur.

AD LAVDATIONEM respondendi formulæ,

QUòd proximis literis tuis me tantoperè laudâris, debeo tibi tantum, quantum ab eo absum, ut meritò lauder. Id enim debetur cuiq; quod gratis dat, non quod persolvit. Quare & ipse id totum tibi debeo, quod de me scribis, cum in me tale sit nihil, cũ id mihi ipse nullo profecto deberes id totum humanitatis, & singularis in me benevolen-

volentiæ. De cætero si me examinâris, nihil invenies, nisi tenue, humile, angustum. Novitii sumus, atq; tirunculi, qui ex inscitiæ tenebris pedem modò movimus, promovimus ferè nihil. Benignè nobiscum agitur, si inter studiosorum ordines referamur. Habet docti nomen quiddam aliud, quod si tibi, & tui similibus peculiare: mihi tam grandia non conveniunt: cum eorum, quæ in literarum studiis sint præcipua, nihil, non solùm exploratum habeam, sed nec adhuc etiam nisi per transennam viderim. Conabor quidem, id quod nunc ago, talis esse, qualem nunc me prædicas, & esse aut judicas, aut certè velles. Quas in me laudes confers, quanquam agnosce salvâ fronte non ausim, tamen ob id gratissimas habui, quoniam eum nec irrisio in istos mores: Nec adulatio cadat, necesse est laudatio hæc, aut ex amore in me nimio, aut ex vero proficiscatur. Quorum cum sit utrumque mihi gloriosum, alterum diu in votis, alterum etiam supra vota est.

Laudem ego tuam, quamvis audire citra ruborem, gnarum inscitiæ meæ, non poteram: tamen, quod ab insigni quadam benevolentiâ proficiscebatur, ita gratanter accepi, ut vix tantundem fuerim voluptatis habitu-

biturus, si mihi esse illa, quæ de me pronunciabas, vera persvasissem. Nam quamvis testimonio conscientia repugnet, lætor tamen alicui talem me videri posse, qualem tua me fingit, hoc est eruditissimi hominis prædicatio. Quare statim dictavi hanc tibi epistolam Beroalde, qua dicerem quantoperè mihi tuum tale laudationis officium blandiatur, simulque darem fidem, nulli me prorsus occasioni defuturum, rerumq; posthac & temporum planè omnes articulos excussurum, donec tibi pro studio erga me tali, & animo tandem quoquo modo referam gratiam.

Etsi video quæ tu de me sentias, prædicesque amicus multò, quàm verius, & sentire, & prædicari: tamen gaudeo ea mihi tribui abs te, quæ ipse in memet neutiquam agnoscam.

Laudas me quasi unum ex numero eruditissimorum, & tui similium. Laudas, inquam, tu me unus omnium, quos viderim, quos audierim, longè eruditissimus. Ego igitur, etsi memet haud ignoro; tamen ferò æquissimè, te aut ipsum decipi amore in nos nimio, aut alios idem velle deceptos.

Agerem tibi gratias, quòd ubiq; me laudas: sed vereor ne laudes ipsæ quibus me afficis,

ficis, fidem perdant, si pro iis tibi gratias agam, quasi debeam, quasiq; veræ laudes non sint: Nam pro veris, hoc est, pro suis laudibus, nemo cuiquam debet. Quis enim pro suo debeat?

At ego tibi me debere tamen dicerem, nisi mihi nimis magnam faceres in hoc injuriam, quod es amicus. Ob id enim tibi non creditur: Cum me laudas.

Præclarè Hector ille Nævium: laudari abs te pater cupio, laudato viro: possum ego nunc idem usurpare. Video me laudari, à quo viro? A.M. Antonio nato, in quo sunt ingenii, sunt animi, ac virtutis ornamenta plurima, ego porrò aliquid fortasse, si cum aliis conferar, videri possim: Cum verò ad te unum cogitationem converto, vix credas, quam mihi ipse displiceam. Quare permitto mihi ut eas laudes, quas in me contulisti, rejiciam, aut ipse majores in te transferam: Nam mihi, utrumq; nostrum æquâ lance péndere, magni negotii non est: ut est, amo voluntatem tuam, ea mihi est, eritque semper, ut debet, antiquissima.

Laudes istas, quas affatim in me congeris; sic equidem interpretor, quasi non me depingere volueris, qualis sim: sed optimum exemplar præscribere, qualis esse debeam.

Hoc efficit iſta tua tam magnifica laudatio, ut jam mihi minùs incipiam placere, qui planè videam, quantum abſim ab iſtâ perfectæ virtutis imagine.

Dum iſtam imaginem pingeres non à me, ſed abs te ipſo ſumebas exemplum.

Sentio quid agas falſis laudibus iſtis noſtram ignaviam extimulare voluiſti.

Ideò ſumma tribuis, non quòd ea ſim aſſecutus; ſed quòd huc me ſummis viribus velis eniti.

Hoc agis laudando, ut aliquando videar laudandus. Ipſe ſummis ac maximis virtutibus abundet oportet, qui in aliis paucas ac mediocres ſic amat.

† SEQVVNTVR EXEMPLA aliquot Epiſtolarum Laudatoriarum.

LAVS PERSONÆ.

INtellexi, vehementer te mirari quid ſit, quòd cum adverſas res omnes alias infracto ſemper erectoque animo tulerim: nunc unius amici tantoperè obitum lugeam, ut conſolationi apud me nullus relictus eſſe locus videatur.

Verùm mirari, utì mea quidem fert opinio,

nio, desines: ubi doloris hujus mei atque lu-
ctus causas cognoveris. Etenim si quisquam
omnium lucis hujus dignus usurâ longâ fuis-
set: hic profectò fuisset, quem præproperâ
atq; intempestivâ morte abreptum, ordo lu-
get equestris: senatus deplorat: deflent pro-
pinqui: mœrent amici ac familiares: cives
omnes lamentis prosequuntur. Neq; id sa-
nè immeritò. Ut enim latére illa nunc pa-
tiar, quæ ad laudandum materiam quidem
amplam atq; copiosam suppeditant: nostrâ
verò ab industriâ minimè proficiscuntur: sed
vel accepta naturæ feruntur: vel tribuuntur
fortunæ: ita corporis venustatem, quæ in eo
fuit eximia, ut non æqualibus modò suis an-
tecelleret: verùm etiam natu grandiores
quosdam longo post se intervallo relinque-
ret: familiam jam antè nobilem satis ꝑcla-
ram magis illustremq; redderet: Urbem
eam in qua lucem hanc primò aspexerat, be-
neficiis afficeret amplissimis.

Etenim cum loco se minimè obscuro or-
tum sciret, & partim ex præceptoribus suis
audiret: partim ipse intelligeret: nobili-
tatem veram, non in parentum majorumque
aut imaginibus fumosis: aut auri argentivé
acervis: aut armorum atque togæ præclarè
fortiterq; factis, sed sua cujusq; pietate, do-

ctrinâ, virtute, indrustriâ consistere:pueritiæ & adolescentiæ tempus lubricum admodùm ac periculosum, in virtutis bonarumque artium & linguarum studiis: non otio ignavo: non turpibus voluptatibus: non, nescio quibus, oblectatiunculis aliis, consumpsit.

Exteras deinde lustrare terras: varias variarum nationum discere linguas: urbium, non situm solum videre: sed & leges, instituta, mores cognoscere voluit. Longè (me Christe!) aliam viam secutus, quam nonnulli ingredi hodiè solent, qui peregrinantur: Non sanè μαμμέθρεπτοι placent: magis placet Medea, quæ apud Poëtam, multos, quod domi agerent ætatem, improbatos fuisse affirmat.

Sed & Socratis mihi sententia probatur, qui querenti cuidam, quòd sine fructu ullo longè lateq; esset peregrinatus: mirum hoc esse minimè, respondit, cùm secum ipse, & corpore tantùm, non etiam animo peregrinatus fuerit. Itaq; vel hoc maximè nomine noster laudandus amicus fuit, qui in peregrinatione non operam dedit, ut domum aliquando reversus vestes polymitas & versicolores, curta pallia, mores peregrinos, contemptum & fastidium rerum patriarum

adfer-

adferret: illustriores civitates videre, nominis ac celebritatis alicujus viros, & adire, & audire: quæ notatu digna observare, inq; ephemerides referre est solitus. Neq; ut exoptatum studiorum finem consequeretur suæque prodesse patriæ posset, vel sumptibus, vel laboribus & molestiis ullis pepercit. Et quidem quod propositum habuerat, egregiè atque subitò est adeptus. Etenim cum post longam ac diuturnam peregrinationem domum rediisset, & pietate, eruditione, morum svavitate, sui in amorem bonos omnes pellexisset; non expectato legitimo tempore in Senatorium est ordinem cooptatus. Ubi quidem ita suam, & ingenii vim atq; præstantiam, & fidem & prudentiam, & animi magnitudinem & innocentiam omnibus probavit: ut natu quoque majores eum mirarentur, nec inviti plerique in rebus sequerentur: dignum etiam judicarent, cui gravissimis in negotiis deliberationes & legationes committerentur. Neq; in suis ille, vel consiliis, vel actionibus quicquam ad honorem & commodum retulit privatum: illud spectavit, ut cum religione atq; vero DEI veri cultu sarta, quod ajunt, tectaque libertas maneret. Neq; etiam in maximâ rerum agendarum, cùm multitudine, tum

varietate, autoritate summâ, laboribus atq; molestiis propè infinitis, ullum de se unquam, vel superbiæ, vel morositatis signum dedit. Sed nimirum ea vitæ humanæ est conditio: ut quod rarum, præstans, eximium, minimè sit diuturnum, leviq; momento evertatur, quod firmissimis nixum radicibus videbatur. Cùm enim egregiam ille patriæ operam navaret: cum ejus indies fama cresceret, cum de literis literatisque provehendis præclara atq; utilia animo agitaret: ecce ardens eum febris invasit, quæ primo contempta, ita pòst vires assumpsit, ut illi mortem attulerit: mihi & aliis dolorem pepererit maximum: Reipub. vulnus infixerit grande atque altum: & quod multis sanari annis non poterit. Scriberem hac de re plura, nisi temporis partim angustiâ excluderer: partim mœrore atq; luctu impedirer. Nosti enim animum à curis vacuum: liberum à tristitia: omnium expertem molestiarum stylum requirere: præclarè nihil effici posse: ubi vel animus mœret: vel ægritudine aliquâ sensus laborant. Valebis igitur: & quos apud vos Poëtas habes eximios, rogabis: ut suis scriptis demortui prosequi laudes, ejusdemq; ab oblivione atq; interitu vindicare memoriam velint.

† LAVS

† *LAVS ADOLESCENTIS STVdiosi, Declamando sese exercentis.*

POsteaquam mihi nunciatum est, te non liberalium solùm artium studiis sedulò diligenterque incumbere: verùm etiam declamando exercere assiduò, dici non potest, quantam inde lætitiam atque voluptatem perceperim. Sic enim arbitratus sum: singulari hoc DEI Opt. Max. providentiâ, præceptorumq; tuorum, cùm publicorum, tùm privatorum adhortatione factum esse, ut ad id animum adjiceres, quo nihil, hac quidem in ætate, qua nunc es præditus, esse tibi aut fructuosius, aut necessarium magis potest. Plenâ, quod ajunt, manu collaudare eloquentiam: primas eidem tribuere homines solent. Et est reverâ nihil illâ, vel præclarius, vel utilius: utpote quæ præstat, ut qui ab eâ instructi sunt ac parati, non rationis modò expertibus animantibus antecellant: sed & homines alios superent, & quò tandem cunque placuerit, deducant. Quin, ut alia nunc silentio involvam, & rerum cognitio omnis, quæ ex artibus ac disciplinis paratur, inanis, vana, infrugifera est, nisi eloquentia accedat. Tantum enim quisq; profecisse in literis videtur, quantum dicendo scri-

bendoque exprimit: & sine dicendi vi atque facultate, quæ cognita sunt maximè & perspecta, ignorari videntur. Quis ergo ut leviculam, puerilem, honestam parùm, declamandi rationem reprehenderet, sine qua parari eloquentia nullo modo potest? Ut enim reliquis in artibus atque disciplinis, nisi exercitatio accedat assidua, laude dignum nihil efficitur: Ita eloquentiam non ars & præceptorum cognitio sola efficit: sed dicendi usus atque consvetudo assidua requiritur. Hæc enim est, quæ in rebus inveniendis ingenium acuit: judicium format: memoriam excitat: verborum copiam adfert: actionem reddit promptam: duo deniq; vitia illa, quæ perniciosa, ideoque reprehendi maximè solent, negligentiam suique amorem nimium tollit. Hinc summos clarissimosque viros ab ea minimè abhorruisse legimus. Cæsar aram Lugduni extruxit, ad quam eloquentiæ certamina quotidiè fierent: ita quidem, ut victor muneribus amplissimis afficeretur: victus, vel linguâ suâ orationem deleret, vel in Arari ter demergeretur. Id quod *Juvenal.* opinor, illud indicat:

Palleat ut nudis qui pressit calcibus anguem:
Aut Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.

Augustus Cæsar, Portius Latro, Demosthenes aliique plurimi declamitare sunt soliti: ipse Cicero, cujus meritò apud omnes valere debet authoritas, non Romæ solùm, verùm & Athenis, & in Asiâ, declamando sese exercuit, quodam etiam in loco fatetur, aridam atque jejunam orationis suæ futuram facultatem fuisse, nisi ad declamandi sese exercitationes contulisset. Itaque tuum institutum vehementer laudo proboque: imprimis verò, quòd modò difficultatem illam superâsse te intelligo, quæ ab hoc exercitationis genere avocare plurimos consvevit. Nam & materiam, te usui quotidiano accommodatam viribusque parem deligere; eandemque cognoscere penitùs: & ad cogitandum aliud, aliud ad scribendum tempus sumere: & cum judicio locos omnes investigare, non temerè quæ se offerunt infarcire: & ad probatorum authorum exempla stylum conformare: & non tam sententiarum multitudine, aut copiâ verborum, quàm bonitate orationem æstimare, intelligo. Hortor quoque, constanter negotium ut urgeas: neque ineptis quorundam judiciis te avocari ab illo abducique sinas. Ita ad exoptatam illam eloquentiam pervenies: magnoq; oblectamento parentibus: amicis usui:

emo-

emolumento Reipub. tibi verò ipsi honori futurus es. Vale.

† LAVS CONIVGII.

AUdio ita studiis te incumbere munerique imposito vacare, ut de contrahendo matrimonio curam atque cogitationem nullam suscipias: imò odio quoque eos prosequaris, qui de ducendâ uxore nonnunquam te compellant. Quod mirari profectò satis nequeo. Illa fortè tibi placent: ἄλυπον ἕξεις τὸν βίον χωρὶς γάμου: & ῥᾷον βίον ζῇς, ἂν γυναῖκα μὴ τρέφῃς. At sunt alia, & quidem benè multa, quæ in contrariam te sententiam pertrahere, atque eò impellere debent: ut matrimonio nihil honestius: utilius nihil: nihil jucundius: cùm omnibus aliis hominibus, tum verò literatis nihil necessarium magis statuas. Nolo recensere nunc ea, quæ tibi, ut homini, non solum docto, verùm etiam pio, jam antè sunt nota, matrimonii non virum aliquem insignem: sed DEUM ipsum authorem esse: idem summâ adhuc in naturæ moderatione homini commendare, sanctissimæq; parentum necessitudini anteponi velle. Non profero, quæ de Romanis sunt & Lacedæmoniis historiarum monumentis tradita: illos ærarios fecisse eos, qui ad senectu-

nectutem usque cœlibes mansissent: hos à
συσσιτίοις eosdem & ludis atque spectaculis
arcuisse. Scis non ad solitudinem: sed
societatem, cujus pars prima conjugium, na-
tum hominem esse: Esse justi, non de se so-
lùm, verùm etiam aliis, atque adeò Repub.
totâ cogitare. Illud legisti, quod *Plato*
quodam in loco scribit: *operam dandam ho-
minibus esse: ut suum in locum liberos substitu-
ant, qui juxta leges Deum colant: & vitam, ve-
luti lampadem, posteris tradant.* Ad studia
verò capessenda, & diligenter fideliterque
officii obeundas partes ecquid vel utilius, vel
necessarium magis uxore esse potest? Opus
hîc est otio: diligentia requiritur: animus
solutus à curis liber, tranquillus postulatur.
Præstò uxor est sedula, quæ dum vel cum li-
bris negotia habet, vel suo in Ecclesia, scho-
la, aliisque locis munere fungitur, maritus,
domi interim rei familiaris in sese curam de-
rivat: & ne quam illa jacturam faciat, dili-
genter providet. Infirmâ plerumque at-
que ægrâ sunt valetudine literari: commodâ
victus egent ratione. Mirum, quanta hîc
uxorum diligentia! Lectulis quasi affixæ
mandata expectant: oculorum nutûs ob-
servant: ad digituli quod ajunt, crepitum
jussa capessunt: meliùs, quæ nobis obsint,
aut

aut prosint, sæpiùs quàm ipsi Medici nôrunt. Cum non rarò ancillæ aut famuli, dum doloribus ægri excruciantur: aut utramque svaviter in aurem dormiant: aut lagenas exiccent: aut etiam cistas & armaria expilent.

DE jucunditate porrò scribere si vellem, Deum immortalem, quàm latus hîc sese mihi campus offerret? Quæris quo cum liberè colloquaris: cujus in sinum curas cogitationesque tuas effundas? uxor adest. Quæris qui laboribus fractum te & attritum reficiat? uxor adest. Quæris qui tuis rebus æquè atq; ipse, aut doleat adversis, aut lætetur secundis? uxor adest. Quid liberi, nullâne in voluptatis ac delectationis reponendi tibi parte videntur? Ah quàm svaves illorum sunt in nos ocelli defixi! quàm mellitum balbutientium nomen parentis! quàm dulcis complexus! quàm grati etiam titubantes gressus! quàm lusus jucundi! Ut nihil de eo jam dicam, quod liberos qui habent, non fortunarum modò & facultatum magnis partarum laboribus; verùm etiam nominis atq; famæ hæredes habent. At improbam ac morosam Xantippen metuis? precibus tuis Dominum compellabis eum, à quo solo pia, prudens, morata benè uxor datur. Si secùs,

eùs, atque expectâras, res eveniat: in id incumbes, ut vitia in uxore aut tollendo ipsam, aut tolerando te meliorem reddas: &, secutus *Socratem, domi patientiam discas, quam foris exerceas*. Verùm & hæc, & plura alia à cognatis atque amicis tuis audis quotidiè. Quibus obtemperare te atq; operam dare oportet: ut primo quoque tempore sponsum te factum audire possim. Quod si erit: ad nuptias, etiam non invitatus, haud invitus veniam, & γαμήλια, si non alia, saltem chartacea mecum adferam. Vale.

† *LAVS ARGENTINAE.*

CUm primùm scribendi ad te mihi data fuit occasio: & tuæ solicitudinis, & meæ pollicitationis memor, negligere eam nolui. Veni autem *Argentinam*, aliquot ante hebdomadas, itinere non usque adeò commodo, cùm propter pluvias continuas, tùm latronum metum: Addo etiam diversoria, in quibus, si à morositate quis atque avaritiâ recesserit, quæ commendet, pauca reperit: sed omnem mihi molestiam urbis ipsius aspectus absterſit: quæ in *Alsatio* loco sita plano omnibus iis à rebus præclarè instructa parataque videtur, quibus benè constitutæ florentisq; alicujus Reipublicæ æstimari felicitas

tas solet. Ad ejus originem atq; primordia quod attinet: unà cum *Treveri*, aut non multò pòst ædificari illam cæptam fuisse audio, quam quidem vetustissimam Germaniæ civitatem Historici esse volunt? Indicat elogium circa annum Domini M. CC in marmore repertum: *Ante Romam Treviris stetit annis mille, trecentis.*

Nomen verò illi *Argentinæ* Julii & Augusti Cæsarum tempore impositum, creditur, ab argento scilicet, quod ad belli usus necessarios & stipendiorum solutionem hoc asservatum in loco fuit. Quod tamen mutatum fuisse posteà legitur, cum Hunnorum Tyrannus *Attila* hanc, cum aliis Rhenum tangentibus, urbem destruxit, & perviam reddidit: ut *Strasburgum* pòst, quasi *viæ* appellata *arx* fuerit. Licèt sint, qui ab *Othone* primo, Imperatore auxilium Gallorum Regi Ludovico ferente, urbemq; occupante, hoc illi inditum fuisse nomen contendant, cum antè *Silberthal* nominaretur. Solum circa urbem bonum cumprimis ac fertile est tantaque fruges & fructus ubertate atque copiâ profert, ut etiam sine civium aliquo detrimento ad alios exportari: Et meritò urbs hæc *vicinorum cella penaria* atque *horreum* appellari queat.

Flu-

Flumina habet *Rhenum, Kinzingum, Ellum, Bruscham*: quæ pisces, ligna, vinum, aliaq; necessaria suppeditant. Nihil ego hîc de ædificiis scribo privatis, in quibus parsimoniam & frugalitatem, non tamen mundicie atque elegantiâ carentem cives adhibent: Mitto armamentarium, omni armorum genere refertissimum: silentio muros, fossas, vallum, aliaque præterea, quibus ita urbs hæc est munita, ut non malè *Germaniæ* hâc in parte *propugnaculum*, & *quasi clavis* nominari posse videatur. Vel *templum* illud magnificum, inq; eo *horologium* arte mirâ paucos ante annos confectum,

Et turris *caput inter nubila condens:*

Annularis scalis, utrinq; visui perviis, (Deum immortalem!) quàm hominum in sese oculos convertunt? Verùm hæc cuivis, etiam imperito, obvia dices.

Itaque ne urbem modò vidisse: verùm Homericum secutus præceptum, & νόον inspexisse videar, ad alia accedam. Vectigalem hanc primò aliis: post verò propter singularem fidem, atque fortitudinem libertate & αὐτονομίᾳ donatam fuisse audio: qua & nunc summa illa cum laude utitur: Dum ad publica capessenda munera, gerendosq; magistratus eos deligit, qui pietate, virtute, Prudentiâ,

tiâ, experientiâ antecellere aliis videntur: & legibus atq; statutis munita est longè pulcerrimis: & ordine cuncta optimo instituit atq; peragit, ut multis in rebus, cùm ab aliarum laudatissimarum rerum publicarum: tùm verò Atheniensis atq; Romanæ quam proximè abesse exemplo videatur; quæ ego persequerer copiosiùs, nisi metuerem, ne in volumen epistolæ excurreret, & ad alia, non minùs ἀξιουμνημόνευτα properarem. Est, quod summum Reipublicæ beneficium atque ornamentum, numinis divini hâc in urbe *cultus* verus, Deique verbo conveniens, ab erroribus atque superstitionibus omnibus repurgatus. Est *Academia*, in quâ præter curias decem, in quibus cum pietate, linguæ atque artes Logicæ traduntur, Oratores, Poëtæ, Historici explicantur, styli habentur exercitationes assiduæ: sæpè Græcæ & Latinæ aguntur *Comœdiæ* ac *Tragœdiæ*: etiam publicæ sunt scholæ: Theologiæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ, Philosophiæ, Artium, atq; linguarum Professores: Qui non solùm ex ipsis fontibus, perspicuâ faciliq́ue methodo res tradunt pulcerrimas & utilissimas; Verùm etiam quo illæ pacto ad usum sint transferendæ commonstrant: *Disputationes* atq; *Declamationes* crebras instituunt. Est pro-

na

na magiſtratus miſericordia, atque benignitas, qua tenuioris conditionis cives ſuſtentantur: foventur peregrini: ægroti curantur: omnium, quoad fieri poteſt, egeſtati, inopiæ, miſeriis ſuccurritur. Eſt *Xenodochium* & hoſpitium publicum, in quo peregrini pauperes excipiuntur. Eſt *Orphanotrophium*, in quo infantes expoſiti educantur: Eſt *Noſocomium*, in quo undique confluentes ægroti curantur: ſunt ad D. VVilhelmum & Marcum *Collegia*, in quibus egeni ſtudioſi aluntur: ſunt loca multa alia, in quibus diligens vereque paterna miſerorum cura geritur. Utinam verò tam eſſes ab occupationibus liber ac ſolutus, ut excurrere ad nos, & hæc omnia, multaque plura, quæ brevitatis nunc cauſâ laterè ſpatior, coràm intueri poſſes: Non te, crede mihi, itineris ſuſcepti pœniteret. Sed ad privata jam venio. Hoſpitium nactus ſum ſatis ad ſtudia commodum: Humanitatem, atque benevolentiam civium ſingularem experior: Largè omnia mihi pollicentur ii, quibus commendatus à te fui: Præceptorum fide, ac diligentiâ eximiâ erudior: ſtudia ita inſtituo, ut nullum effluere diem patiar, in quo non præter lectiones, quas (quod citra arrogantiam ſcripſerim) aſſiduò

con-

constanterque audio, aut legam aliquid aut scribam, aut commenter. Reliqua etiam ad voluntatem fluunt omnia, ut gratias tibi agam, qui me domi ad focum delitescentem aliquando extruseris. Ad te autem scribere hæc nunc volui, tum ut solicitudine eâ, qua mei te causâ urgeri novi, te liberarem: tum, ut voluntati tuæ satisfacerem, qui discedenti mihi hæc inter alia seriò injunxisti: ut & de profectione, & vitæ, studiorumque ratione meâ tota primò te tempore certiorem facerem. Præceptores & patronos meos omnes, si modò quid jubere possum, salvere jube. Vale.

† LAVS DICTI PINDARICI, *de vitæ humanæ conditione.*

SEmper *Pindari* apud veteres authoritas magna: Ejusdem dicta Oraculorum quasi habita loco fuerunt: verùm inter alia omnia illud memoriâ cumprimis laudeque dignum videtur, quod de humanæ ille vitæ conditione protulit. *Deus*, inquit, *semper juxta unum bonum mala duo ponit, quæ ferre rectè prudentes; non itidem stulti possunt.* Præclarè enim vir ille longè prudentissimus vidit, id quod videre multi non possunt: nullam hâc

hâc quidem in vitâ suis omnibus numeris absolutam felicitatem reperiri; sed mali semper quid admixtum habere: Quod ut fractos consternatosque homines reddit imprudentes, ita de gradu, quod ajunt, dejicere non potest eos, quorum prudentiâ pectus munitum est. Neq; verò in re per se manifestâ multis opus esse rationibus existimo. Quisque secum habitet: & verum illud esse dictum Poëtæ deprehendet. Res est præclara omnique auro atque argento præferenda scientia; eam qui invenit, digito quasi cœlum sese attingere existimat. At hæc ipsa cum magnis est multisq; laboribus conjuncta. Jucunda multis in alios imperia esse videntur, propter hæc eadem jus violare non verentur. Verùm Damoclæum illi cervicibus impendentem gladium cernunt: Non vigilias, curas, molestias, pericula perpendunt, quæ secum adferre magistratus solet. In felicitate summâ pecunia ponitur, atque verum est illud Poëtæ:

—*sollicita tu causa pecunia, vitæ es,*
—*per te immaturum mortis adimus iter.*
Tu vitiis hominum crudelia pabula præbes,
Semina curarum de capite orta tuo.

Euripidis istud de conjugio multi probant.

Οὐ χρυσὸς, οὐ τυραννὶς, οὐ πλούτου χλιδὴ
Τοσοῦτον εἶχε διαφόρους τὰς ἡδονὰς
Ὡς ἀνδρὸς ἐσθλοῦ καὶ γυναικὸς εὐσεβοῦς
Γνώμη δικαία καὶ φρονοῦσα τἄνδικα.

Aſt & hîc dulce atque amarum miſceri ſæpè, conjuges qui ſunt, experiuntur.

Vitæ diuturnitatem ac ſenectutem exoptant omnes: omnes illud in ore habent:

Da ſpacium vitæ: multos da Iuppiter annos!

Ubi verò hæc eadem obrepſerit, gravior Ætnâ eſſe monte ſolet: omnis generis & morbos, & moleſtias ſecum adducit: unde non malè *Plato* ejus, quod jucundum, hâc in vitâ atque ſvave judicatur, hanc eſſe conditionem affirmat: ut cum contrario ſuo amicitiam quaſi perpetuam colat, nihilque conjunctione illâ reperiatur ſtabilius. Verè etiam patrum quidam ſpinæ ſimilem hominis eſſe vitam ſcribit, quæ ubi tandem cunq; tangatur, tangentem pungere conſvevit.

Sed non hoc modo rectè eſt prudenterque à Poëtâ dictum: verùm & illud longè pulcerrimum, quòd, quomodo ſint vitæ humanæ ferenda mala, oſtendit. Dolore franguntur: exanimantur metu, ejulatu atq; lamentis complent omnia imprudentes, cum miſerias ac calamitates tales aſpiciunt vel experiuntur.

untur. At quià prudentiâ sunt doctrinâq; instructi, non solùm in mala ejuscemodi mentis atque oculorum suorum aciem convertunt: verùm etiam bona illa intuentur, quæ adhuc Dei beneficio sunt reliqua, & recreare atque oblectare homines solent. Itaq; hanc tibi optimi poëtæ sententiam optimam commendatam semper habebis maximè eo in munere, quo nunc fungeris: In quo γλυκύπικρα procul dubio multa deprehendis. Vale.

† LAVS CANIS.

ACcepi literas tuas unà cum dono ad me missas: atq; inde voluptatem percepi maximam. Vidi enim me te amantissimum esse, inque ipso munere, quo donare me voluisti, eorum diligentem rationem habuisse, quæ præ cæteris grata mihi esse & jucunda, nôsti. Non enim turpe mihi duco in amore atque delitiis canes habere: aut etiam venationes amare: Quarum à Naturâ, cùm omnibus aliis; tum verò generosis maximè excelsisq; præditis ingeniis amor est insitus: Quæque, sive honestas spectetur, sive utilitas consideretur, sive voluptas proponatur & delectatio, omnibus aliis anteponendæ exercitationibus videntur. Ad donum ve-

rò ipsum quod attinet: prolixè illud diligenterque commendarem, nisi metuerem, ne nimium præsens laudando, novum aliquod emendicare velle judicer. Canes vidi multos: Multos etiam domi alo; at cum eo, quem tu dono mihi misisti, conferri illi compararique nullo modo possunt. Etenim non è catellorum melitæorum ille est numero, qui non nisi in pulvillis & culcitris custodiendis sunt occupati: Aut eorum, in quibus, si ab ignavâ corporis mole discesseris, quod commendes, nihil reperies: sed & venustam corporis speciem, & ad feras, cùm persequendas, tùm prosternendas roboris atque agilitatis habet plurimum. Fide autem ac vigilantiâ tantâ est, ut eum æquè libenter atque hominem mecum in cubiculo esse velim. Et pro munere ergo isto gratias, uti debeo, maximas tibi ago: & quo illud remunerari queam modo, sedulè diligenterq; cogitabo. Vale.

DE REPREHENSORIA Epistola.

APud inferiores, vel sceleratos atque improbos simplici reprehensione uti licet. Cum verò eos vituperare necesse habemus, quos aliquâ in parte metuimus, aut hacte-

nus

nus benè vixisse constat, ante omnia opera danda est ut reprehensio, quæ per se ingrata atque odium conciliare solet, mitigetur, atque leniatur. Id quod his potissimum modis fieri potest: si ostendamus, perquam invitos nos, extremaq; coactos necessitate ad reprehendendum accedere: si in aliis eos laudemus, tum enim, non ex odio aut malevolentiâ reprehendere alios videmur, cum debitam eis laudem adimimus: si non nos, sed alios quosdam esse dicamus, qui hoc vel illud in amico desiderent: si personæ loco ipsum vitium reprehendamus, & doceamus amicum medico similem esse, qui ut ægroto medeatur, morbum odisse solet: Non vitia amicorum iis amanda; qui amicos amant.

Exordimur has epistolas vel à reprehensione, vel à querela, vel ab expositione, causæ & occasionis institutæ scriptionis.

Deinde argumenta reprehensionis, desumpta, vel à causis vel à circumstantiis, vel testimoniis & judicio aliorum, ponimus.

Denique vel hortamur, vel quæ scripta sunt, repetimus, vel nos de Epistolæ longitudine purgamus.

Exemplum reprehensionis observatum in Epist. 17. lib. XVI ad Famil. qua Tironem Cicero reprehendit, quod voce *Fideliter* impropriè usus sit. Exordium illius reprehensione constat. Confirmatio ejusdem rationes exponit. Conclusio præcisione & adhortatione facta est.

VIdeo quid agas: tuas quoq; epistolas vis referam in volumina. Sed heus tu, qui κανὼν esse meorum scriptorum soles, unde est illud tamen ἄκυρον. VALETUDINI *fideliter inserviendo? Vnde in istum locum* FIDELITER *venit? Cui verbo domicilium est proprium in officio, migrationes in alienum multæ. Nam & doctrina & domus, & ars, & ager etiam fidelis dici potest: ut sit quomodo Theophrasto placet, verecunda translatio. Sed hæc coram. Demetrius venit ad me quo quidem comitatu ἀφωμίλησα satis scis. Tu eum videlicet non potuisti videre: Cras aderit: videbis. Nam ego hinc perendiè manè cogito. Valetudo tua me valdè solicitat: sed ei inservi, & fac omnia: Tum te mecum esse, tum mihi cumulatissimè satisfacere putato. Cuspio quod operam dedisti mihi gratum. Valdè enim ejus causâ volo. Vale.*

† *IMITATIO HVIVS EPIstolæ talis esse potest.*

VIdeo quid agas: Rerum cognitioni dum ſtudes, verborum puritatis atq; elegantiæ rationem prorſus nullam habes. Unde enim illa irrepſerunt? Ingenii acuitas, & in regiſtro noto, & neſcio, quæ verborum monſtra alia, quæ profectò non in Cicerone legiſti, ſed ex culina aliqua depromſiſti. Simplici, inquies, ſtylo contentæ ſunt epiſtolæ: verba amant quotidiana. Fateor. At in ipſa etiam ſimplicitate eſſe puritas debet; &, quod eſt quotidianum, ſuam quoque munditiem requirit. Niſi fortè quia vaſis argenteis non utimur ſemper, idcirco ſordibus quæ ſunt conſpurcata vitra placent: Aut illuvie immundæ propterea gratæ ſunt mulieres, quòd ſplendido veſtitu quotidiè

tidiè non ſeſe ornant. In illam igitur, amabo te, curam incumbe, ut Latinas poſthac & Ciceronianas magis abs te literas accipiam. Nôſti domum ad parentes, præceptores, Mecœnates miſſas literas, teſtimonia quædam diligentiæ & profectus in ſtudiis eſſe. Magnam ego meo teſtimonio tui expectationem apud parentes, & quoſdam ordinis ſenatorii viros concitavi. Fac ergo hi ut intelligant veritatis, non gratiæ meum iſtud teſtimonium extitiſſe. Ita gratum abundè erga me te declarabis: & quam collectam bonorum doctorumque virorum jam gratiam habes, non effundes: ſed retinebis: honeſtum etiam, domum aliquando reverſus, in patriâ locum conſequi poteris. Vale.



REPRE-

REPREHENDENDI VITVperandique formulæ.

QUod est ingenium tantum, quæ tanta facultas & copia dicendi, quæ istius vitam tot vitiis flagitiisque conjunctam, aliqua ex parte defendere possit.

Te tuis maleficiis in invidiam omnium adduxisti.

Labes, pernities, & fax es nostræ urbis.

Nihil aliud studes, nisi ut lutulenta sus cum quovis volutari.

Hanc teterrimam beluam quis ferre potest, quid est in eo præter libidinem, crudelitatem, petulantiam, avaritiam, audaciam: ex his totus conglutinatus est: Nihil apparet in eo ingenuum, nihil moderatum, nihil prudens, nihil pudens, nihil pudicum.

Desidiæ ac luxuriæ plenus es.

Pudorem cum pudicitiâ perdidisti, homo es humanitatis expers, & vitæ communis ignarus.

O fœditatem hominis flagitiosam! O impudicitiam, nequitiam, libidinem non ferendam.

Te non pudor, non pietas, non macula familiæ. Non hominum fama ab hac cupiditate revocare potuit? Homo nequam, acer-

bus, criminosus, improbus, turpis; multis flagitiis contaminatus.

Catilina conatus est usq; à pueritiâ, non solùm intemperantiâ & scelere; sed etiam consvetudine & studio in omni flagitio, stupro, cæde, versari.

Catilina vini, somni, stupri plenus, madenti comâ, composito capillo, gravibus oculis, fluentibus buccis, pressâ voce, temulentâque: Homo sine sensu, sine sapore, elinguis, tardus, inhumanus, neglectus.

Homo omnium scelerum libidinumque maculis notissimus.

Omnium scelerum flagitiorumque documentum,

Homo es sine re, sine fide, sine fortunis, ore, linguâ, manu, vitâ omni inquinatus.

Promptus ad vim, paratus ad seditionem, audax ad omne facinus. Vultus ejus plenus furoris, mens scelere obstricta, lingua maledictis impedita, oculi feritatis, sermo atrocitatis plenus.

Impurus, impudens, contumeliosus, semper eò contendens, quò furor rapit.

Nulla libido ob hujus corpore, nulla vis à manibus, nullum flagitium à turpissimis sceleratissimisq; ejus factis abfuit unquam.

Homo

Homo omnis turpitudinis exemplum, dedecus adoleſcentiæ, probrum juventutis, ludibrium ſenectutis, plenus ſtupri, plenus contentionis, plenus inconſideratiſſimæ temeritatis.

Mulier perditâ nequitiâ, effuſâ libidine, inſatiabili cupiditate, arte quadam ad voluptates adoleſcentulorum excitandas accommodata.

Nulla turpitudinis eſt nota, quæ non hujus pecudis inuſta ſit vitæ: nullum animi vitium, quo non mens ejus oppreſſa ſit: nullum flagitii dedecus, quod non famæ ejus inhæreat.

Homo inops ab omni exiſtimatione, amicorumque commendatione, in omni dedecore volutatus.

Quæcunque in homine infami, perdito ac damnato vitia reprehendi publiciſque legibus damnari poſſunt, ea in hoc univerſa redundant: nullum unquam à pueritia honorem, nulla virtutis ſtudia, nullum bonæ exiſtimationis fructum cogitavit: Itaq; ex bonorum decoctore, fraudatore publico, omnium civium factus eſt hoſtis: nulla tamen inſignior, fœdiorq; infamiæ nota inuri illi potuit, quàm quod in hac ſcelerum importunitate, nemo illum aditu, nemo con-

gressione, nemo officio dignum judicat; omnes illum tanquam nequam, turpem, improbum, multis flagitiis contaminatum fugiunt.

Nihil in hoc abjectissimo pecore virtutis, nihil animi, nihil nervorum: & in tam vasto corpore tanta judicii est inopia ac rationis egestas, ut ne mica salis quidem inesse videatur.

Nulla hujus in consiliis prudentia, nulla in amicitia fides, nulla in rebus publicis dignitas, sed omni stupore animi atque amentiâ sunt contaminata.

Omnis hujus labor, cogitatio, omnes sensus, in obtrectationem famæ alienæ, dignitatisq; oppressionem sunt conversi.

Infamis hic scurra, & omnium bonorum consuetudine indignissimus, ut ipse ab omni vitæ atq; honoris existimatione alienus semper fuit; sic præcipiti furore & quadam naturæ importunitate in optimi cujusq; existimationem invehitur.

Homo plenus fastus, superbiæ ac contumeliæ, & eò ignorationis atque insolentiæ progressus, nullius ut virtutem, nullius ut laudis atque doctrinæ famam ferre possit, omnia præ suo fastu contemnens, repudians, damnans,

† *REPREHENSIO ADOlescentis Improbi.*

SI per occupationes, quibus districtus nunc teneor, domo aliquandiu abesse & ad vos proficisci potuissem, fecissem sanè illud, nec tàm libenter, quàm necessariò fecissem.

Sed quia fieri omninò hoc istud tempore nequit, ne tacendo parum meo me officio fungi, aut tua comprobare delicta atq; errata dicere quis possit: non intermittam, quin absens te objurgem, operamque dem: ut mea hæc reprehensio sit vel salutaris tibi, vel mihi utilis atq; commoda ad conservandam cùm famam secundam apud homines, tùm Deum, conscientiam bonam. Audio familiaritate te uti & amicitiâ, cujusdam adolescentis, hominis nequam atque extremè improbi. Quod quàm sit mihi grave ac molestum, nôrunt si qui mecum vivunt: ego verbis exprimere satis nequeo. *Est sane in Academiis contrahenda cum aliis amicitia: neque, aut jucundiores, aut firmiores ullæ iis esse solent, quæ primâ in ætate & studiis contrahuntur. Sed est in legendis amicis judicio magno opus.* Et si ulla in re secum habere debet illud: *deliberandum diu, semel quod statuendum,* in amicitia maximè coëunda habere debet.

Verùm tu promiscuè quosvis tibi asciscere, & numerare, non ponderare amicos videris.

Quid enim? an quibus sociennus iste tuus parentibus sit ortus, ignoras: aut illud nescis, ex illius majoribus neminem, nisi improbitate ac sceleribus notum fuisse? Hinc, ut proverbio dicitur, κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν: *parentis mali pessimus filius*, qui à pueris nihil boni domi vidit, audivit, didicit. Præceptores quidem habuit optimos: sed eos naso suspendit adunco: disciplinam ferre non potuit, in cauponulis sæpiùs, quàm vel templis vel Scholis conspici sese passus est: æs alienum grande, inscijs parentibus contraxit: in concubiam usque noctem potavit: amoribus operam dedit turpibus: quid dicam amplius? ex omnibus vitiis quasi compositus & conflatus est. Itaq; quis te malus genius ad illius amicitiam atq; familiaritatem pertraxerit ignoro: sed doleo interim vehementer.

Severè etiam tibi mando: ut inposterum ab illius conversatione abstineas, eâq; in re & mandati divini: & Academiæ, in qua vivit: & mei, qui, ut nôsti, profectionis istiuc autor tibi extiti: & deniq; tuæ famæ atq; existimationis rationem habeas. Sin minùs, in gra-

in gravem, non meam solùm, verùm etiam Mecœnatum tuorum, atq; adeò bonorum omnium offensionem incurres, pœnas quoq; eas expectabis, quas non obedientibus minari Dominum nôsti. Vale.

† VITVPERATIO facti.

ETsi perinvitus faciam, te ut reprehendam: &, si quisquam alius, à vituperationibus abhorream: tamen amicitiæ nostræ fides ac religio requirit, ut vituperare hoc te tempore minimè verear. Quid enim per Deum immortalem agis, aut quid tandem cogitas? Nemo à vobis ad nos venit (veniunt autem plurimi) quin de tua auaritiâ ac tyrannide conqueratur: idem multorum bonorum ad nos perscriptæ literæ confirmant. Miseros homines exactionibus vexas: nova singulis propè mensibus tributa excogitas: etiam leviculis atq; minutulis delictis mulctas constituis grauissimas: imò eò quoq; improbitatis & audaciæ deuenis, ut quæ tibi, aut tuis arrident, palàm eripere alijs minimè dubites. Quæ res sanè facit: ut præ magno dolore; quid ad te scribam, non reperiam. *Tiberius imperator pastoris boni esse dixit, tondere, non deglubere pecus: & Alexander ille Magnus,*

gnus, olitorem odisse sese eum, affirmavit, qui herbas radicitus extirpet. Patres appellantur Magistratus: Populi vocantur Pastores. Tu verò (erumpat enim vox libera) tu inquam, lupum; non pastorem agis: subditorum miserorum, & jam propter annonæ caritatem gravem ac diuturnam, ære oppressorum alieno sudorem atq; sanguinem exugis. Habuisti tua in familia viros: non tam prudentiæ aut fortitudinis, quàm justitiæ atq; continentiæ laude insignes: & ne longiùs abeamus, patrem, antiquæ fidei ac religionis exemplum. Qui profectò non auri argentique majorem, quàm pietatis, & justitiæ rationem habuit: aut satiùs esse duxit, opes atq; divitias magnas corrodere, quàm nomen post se bonum relinquere. Tu verò, modò nummorum acervos maximos exstruas, quid de te aut cogitet Deus, aut sentiant ac loquantur homines, susq; deq; ferre videris. Equidem tributa exigere: imponere vectigalia: imperare alia: non impium, aut turpe esse judico. At nullâ flagitante necessitate hoc facere: subditos ita expilare, ut ad familiam alendam nihil ipsis relinquatur, id omni à pietate, justitiâ, honestate alienum duco. Exempla quoq; tùm vetusta, tùm recentia; & adhuc propè spirantia satis testantur, eos, qui

qui abradendæ à popello misello pecuniolæ rationes excogitârunt novas, & ex aliorum ruinis sua sunt exædificare conati: & perdidisse alios, & tandem cùm Deo, tùm hominibus invisos factos, periisse miserè. Verùm hanc in sententiam plura, opinor, cognati ac propinqui tui ad te perscribent: quibus obtemperabis. Simul etiam liberam hanc meam reprehensionem æqui bonique consules, memor illius; *Amicorum vulnera, non vulnera, sed oscula.* Vale.

† *REPREHENSIO SENTENTIÆ* Menandri *de Tempore.*

SCribis vehementer tibi, Menandri, illud dictum placere: χρόνῳ πάντα γίγνεται. *Tempore omnia fiunt & producuntur,* Ego verò, dum paulò, uti debeo, illud considero diligentiùs, ut falsum atq; absurdum reprehendendum maximè esse reperio. Quid enim absurdum magis, quàm rerum omnium, & generationem & perfectionem tribuere ei; quod omnia destruit, perdit, conficit? Nihil sapientiâ est & scientiâ pulchrius aut præstantius: eam qui sunt consecuti, non reliquos modò homines longo pòst se intervallo relinquere; verùm etiam à diis ipsis quàm proxi-

proximè abesse videntur. Hanc verò res nulla alia quàm tempus perdit: quod ingenij vires imminuit, & *duas illas studiorum pestes, oblivionem* scilicet & *dubitationem* inducit. Sensibus deinde totique corpori quid, nisi tempus, interitum adfert? Oculi in senectute caligant, & stellæ lucidissimæ densissimis quasi nubibus obteguntur, aures obsurdescunt: manus, quæ corpus custodiunt, tremere incipiunt: crura, quibus idem nititur, sub pondere vacillant. In ea autem, quæ à fortuna manant, atque proficiscuntur, an non vim suam atque tyrannidem tempus exercet? dum facultatibus homines exuit: dum, quos terra profert, fructus conterit & corrumpit: dum præclarorum virorum memoriam oblivione extinguit? Jam verò rei literariæ quantam idem tempus cladem intulerit, quis ignorat? Quære Aristotelis plus quàm quingentos libros, qui à doctis numerantur, nusquam apparebunt: Quære rerum gestarum scriptores, quorum suis in scriptis mentionem Cicero facit: Non reperies. In tempore porrò corruptis depravatisque locis emendandis, quàm viri doctissimi clarissimique diligentes sunt hodiè, & quàm hac in re de literis præclarè merentur. Ad imperia verò & Respub.

con-

conferre me si vellem, Deum immortalem, quàm mihi metuendum esset, ne in orationem integram epistola excresceret! Ubi doctæ illæ & literis literatisque hominibus affluentes Athenæ? Ubi nobilis & rebus bellicis celleberrima Lacedæmoniorum Respub. ubi æmula laudis Romanæ Carthago? Nonné his omnibus tempus solum ruinam atq; interitum attulit? Vbi aureum illud caput? ubi pectus argenteum? ubi venter æneus? ubi Babyloniorum, Persarum, Macedonum imperia olim florentissima? prostrata jam atq; eversa jacent. Quin &

Deficiunt validi longævo tempore tauri,
Et quondam pulcer, qui modò turpis, equus.
Fracta diu rabidi compescitur ira leonis,
Lentaq; per senium Caspia tygris erit.
Ipsa etiam veniens consumet saxa vetustas,
Et nullum est, quod non tempore cedat, opus.

Sed nimirum ineptus ego, qui temporis injurias complecti omnes, & quidem epistolâ complecti conor. Et adductæ jam rationes, quæ nostros in oculos incurrunt quotidiè satis testantur: falsam atq; absurdam *Menandri* hanc sententiam, veram contra illam Sophoclis esse.

Πάνθ' ὁ μέγας χρόνος μαραίνει τε καὶ φλέγει.

† REI MILITARIS reprehensio.

NIhil multis hinc ab annis accidisse mihi acerbius memini eo quod nuper audivi, te indies in studiis remissiorem fieri, deque vitæ genere literario, cum militari commutando cogitare. Quia enim ab ineunte ætate unicè te amavi; autor quoq; nobilissimo D. parenti extiti, ut ad Academias te ablegaret: non possum non dolere: subitò te, vel juvenili quadam temeritate, vel improborum quorundam voculis persvasum, studiis valedicere, & quidem tale vitæ genus sectari velle, quod, sive honestatem quis spectet: sive jucunditatem quærat; sive propositam utilitatem habeat, probari nullo modo potest. [u]Etenim, ut missis nunc aliis, ea solùm, quæ te tuiq; ordinis homines propiùs attingunt, breviter indicem, quid nobili nato loco esse turpius potest, quàm mercenarium fieri: libertatem cum servitute commutare: Ex aliorum cruore quæstum facere: Pietati omni renunciare? *Neq;* enim, ut ille ait: *in castris malus est quisquam, nisi is, qui mali nihil agit.* Neque etiam temerè illud à Poëta Lucano dictum, ferè in proverbium abiit.

Nulla

Nulla fides pietasq; viris, qui castra sequuntur,
Venalesque manus; ibi fas, ubi maxima merces.

Ab honestate verò ad voluptatem atque delectationem si te convertas: Ecquam obsecro in castris reperies? Sub dio jacére, excubias etiam agere milites: Imbres, nives, æstum, frigus perferre coguntur: Assveti vino bono & generoso aquâ restinguere sitim necesse habent; pro symphoniâ svavissimâ, bombardarum tonitrua, armorum crepitûs, clamores, ejulatûs, lamenta audiunt: sæpè pane duro, aut pomis caducis famem depellunt. At commoda, inquies, homines excitant, ut castra sequuntur. Egregia sanè commoda, cum domum secum milites mancos ac debiles artûs: Insignem vulneribus vultum: Paupertatem, ulcera, morbos varios referunt! sed esto: onusti coronatis redeunt milites: quàm obsecro diuturnus illarum divitiarum esse usus potest, quæ à misellis rusticulis aut aliis innocentibus sunt abrasæ? Et hoc in more habere milites nonnullos videmus, ut si quam in bello pecuniolam collegerint, ne rubiginem fortè illa obducat, illicò hospitibus committant. Itaq; etiam atque etiam te hortor; ut omni abje-

ctâ

cta cogitatione militiæ, studia tua persequaris, quæ & voluptates veras ac diuturnas habent: & deniq; ea bona adferunt, quæ nec eripi nec surripi possunt.

Loco natus es nobili, quem maximè virtus atq; doctrina ornat: Principem habes & literatum ipsum, & summum literatorum patronum: parentes tibi Deus est largitus, qui suppeditare tibi sumptûs & volunt & possunt: non ingenium deest: non ad capessenda studia necessaria desiderantur. Tuum igitur erit considerare potiùs, quid Deo, quid parentibus, quid cognatis & amicis debeas: quàm alij, non ad quietem atq; otium, sed bella nati homines svadeant. *Vale.*

DE IOCOSA EPIstola.

Iocosa seu *Faceta Epistola* dicitur illa, qua suaviter cum amico jocamur.

Iocosè aliquem carpere, & de eo conqueri, quandam affert gratiam: Iocando siquidem possumus aliorum dicta, sententias, & facta confutare.

Ad jocos acre est judicium adhibendum: nec enim cum omnibus jocandum est; sed inspicienda est persona, & pro personæ qualitate

litate jocandum, vel non jocandum est; cum sint qui jocum nec dicere soleant, nec ferre possint.

Rerum quoq; quæ jocos & ludos admittant, habenda est ratio: in miserijs enim & calamitatibus facetiæ non probantur. Ad hæc parcè & moderatè adhibeantur necesse est.

Postremò sedulò cavendum est, ne illiberales, petulantes, flagitiosæ, obscenæ, aut scurrilitati proximæ sint facetiæ, nevé dum nos ridicula dicere volumus, ridiculi ipsi simus.

Iocosis & facetis Epistolis ita delectatus est Cicero, ut vix ullam jocandi occasionem prætermittere potuerit. Sed tamen in ijsdem hâc utitur cautione, ut non velit, nisi tempestivè jocari.

Sed quid ago, inquit, cum mihi sit incertum, tranquillone sis animo, an ut in bello, in aliquâ maiusculâ curâ, negotiove verseris? Cum igitur erit mihi exploratum, te libenter risurum, scribam ad te pluribus.

Item epist. 4. lib. 2. Iocerne rerum, inquit, per literas: civem mehercule non puto esse, qui temporibus his ridere possit.

Aliquando etiam in rebus severissimis utitur jocis.

Ali-

Aliquando ex ipso loquendi genere occasionem arripuit.

Solet autem jocationes suas ita claudere:

Sed jam satis jocati sumus.

Sed hæc jocati sumus, & tuo more, & non nihil etiam de nostro.

Sed de joco satis est.

Plerumq; etiam à jocis ad seria sibi transitum parat, hoc modo:

Extra jocum, vel, Remoto joco.

Aliquando jocis suis aliquid præfatur.

Sic tu (libet enim mihi jocari) quod disertum non erit, ne putâris meum.

Alicubi admonet, ea quæ dicit, non esse jocantis verba.

Atq; hæc nolo me jocari putes.

Sed hæc, de illis Epistolis, quæ mistos habent jocos, dicta sint.

Exordium Facetarum epistolarum constat apud Ciceronem, vel amoris studiiq; declaratione, vel lætitiæ voluptatisq; ex amici literis perceptæ significatione, vel instituti scriptionis occasione; vel silentii excusatione: vel, amici reprehensione, vel dicto aliquo communi.

Pars altera sententias complectitur facetas: petitas vel ab Etymologiâ, hoc est, ab interpretatione & expositione vocabuli: vel

ambi-

ambiguitate verbi: vel Ironiis: vel Allegoriis: vel circumstantiis loci temporis, personarum, modi, causarum, rerumque: vel testimoniis & sermonibus hominumque: vel sententiis& dictis præclarorum virorum, in quibus singularis voluptas atque delectatio esse solet: vel exemplis: & narrationibus sive veræ illæ, sive fictæ & fabulosæ existerent.

Conclusio absolvitur, vel adhortatione: vel petitione: vel præcisione: vel excusatione.

Exemplum jocosæ Epistolæ, observatum in 20 Epist. lib IX. ad Famil: qua Pæto se Epicuræum factum esse, significat, nec ut antè, cœnis mediocribus contentum esse: hortatur itaque ut probè cœnam instruat. In Exordio Epistolæ lætitiam& voluptatem ex Pæti literis perceptam indicat. Deinde vitæ suæ rationem facetè admodùm narrat. Postremò Pœtum ne sumptibus parcat, hortatur.

DVpliciter delectatus sum tuis literis & quòd ipse risi, & quòd te intellexi jam posse ridere: me autem à te ut scurram velitem malis oneratũ esse, non molestè tuli. Illud doleo in ista loca venire me ut constitueram non potuisse: Habuisses enim non hospitem sed contubernalem;

at quem virum? non eum, quem tu solitus es promulside conficere: integram famem ad ovum affero: Itaque ad assum vitulinum opera perducitur. Illa mea, quæ solebas antea laudare, ô hominem facilem, ô hospitem non gravem, abierunt: Nam omnem nostram de Rep. curam, cogitationem de dicenda in senatu sententiâ, commendationem causarum abjecimus, in Epicuri nos adversarij nostri castra conjecimus: nec tamen ad hanc insolentiam; sed ad illam tuam lautitiam, veterem dico, cum in sumptûs habebas: Etsi nunquam plura prædia habuisti. Proinde te para: cum homine edace tibi res est, & qui jam aliquid intelligat. ὀψιμαθεῖς autem homines scis quàm insolentes sint. Dediscendæ tibi sunt sportellæ & artolagani tui. Nos jam ex artis tantum habemus, ut Vettium tuum & Camillum, quâ munditiâ homines? qua elegantia? vocare sæpiùs audeamus. Sed vide audaciam: etiam Hirtio cœnam dedi sine pavone: tamen in ea cœna cocus præter jus fervens nihil potuit imitari. Hæc igitur est nunc vita nostra; manè salutamus domi & bonos viros multos, sed tristes: & hos latos victores, qui me quidem perofficiosè & peramanter observant. Vbi salutatio defluxit, literis me involvo, & aut scribo aut lego. Veniunt etiam qui me audiunt, quasi doctum hominem: quia paulo sum, quàm ipsi, doctior. Inde corpori omne

tempus datur. Patriam eluxi jam & gravius & diutiùs, quàm ulla mater unicum filium. Sed cura, si me amas, ut valeas: ne ego te jacente bona tua comedam: statui enim tibi ne ægroto quidem parcere. Vale.

† *IMITATIO HVIVS EPISTOLÆ, in qua festivè cum amico jocamur, & quomodo excipi ab illo, tractariq; velimus, indicamus.*

DUpliciter tuæ literæ me delectârunt, & quòd risi ipse svaviter illis lectis: & quòd te intellexi; severitate deposita Stoica, ridere jam posse & habere hilariùs. Illud interim doleo, venire me ad te, uti constitueram, per occupationes non potuisse. Diutiùs enim apud te mansissem, & non hospes, sed contubernalis tuus factus fuissem. Neque virum eum nunc me esse existimes, quem tu aliquando, aut pulmento aut jusculo, aut lardo aut minutali conficere es solitus. Displicet Hecates cæna;

non Pythagorica probatur, terreſtris: & oleribus ſaltem conſtans: Valere etiam Platoniam jubeo: quæ multum fabularum, parum verò cibi habet. Omnis generis cupedias amo: eas ut conſequar, diligenter convivia aliorum adventitia, viatica, collatitia, viſcerationes etiam obſervo: adeo ſæpè invocatus, eâque in re Apitium & Philoxenum imitor, qui nunquam triſtiores fuiſſe dicuntur, quàm cum domi ſuæ cibum capere coacti. Quin & integram famem & ἀδηφαγίαν adfero ad lactucam aut offam: aut ad aſſas uſque carnes aut bellaria produco & cum Hercule mihi aut Pharſaliis, aut Bœotis negotium eſſe puto. Quid vis ampliùs, omni curâ atque cogitatione de ſtudiis aliiſq; rebus ſeriis abjectâ, in Epicuri me caſtra contuli, & voluptate vitæ hujus metiri felicita-

cita-

citatem cœpi. Itaq; loculos tuos omnes excutias: culinam etiam atq; cellam vinariam probè instruas necesse erit: hospitem multi, non joci; sed cibi & potus habebis: & qui jam, quàm sit svave atq; jucundum saliarem in modum epulari didicit. Nosti autem, opinor, quàm insolenter suam ostentare artem ὀψιμαθεῖς soleāt. Dediscendę tibi erunt sportellæ removendæ bubulæ atq; ovillæ carnes: apuæ, alborni, aselli arefacti, haleces, sive conditaneæ illæ, sive passæ infumatæq; fuerint: Perdices jam, phasiani, attagenæ placent: salares, salmones, govii, tructę, muræenulæ, & muli barbati sapiunt. Ne siticulosum quoq; atq; aridum sit convivium; vinum apponatur, non aut fugiens aut acescens, aut pendulum, aut operarium, sed generosum & nobile curabis: quod oculis *Colore*, *Odore* naribus pa-

lato Sapore placeat: auribus etiam famâ commendetur. Hæc enim mea nunc est vita: amicos meos crebrò saluto: hilarè cum illis suaviterque vivo; caperatâ atque rugosâ domi relictâ fronte: memor illius:

Protinus ante meum, quicquid dolet, exue limen.

Reliquum tempus ambulatiunculis, ludis, aut quieti tribuo. Sed operam da ut & valeas, & domi reperiaris, ne ego te, vel jacente, vel quod fieri interdum audio, adesse nolente, bona tua comedam: cum stet sententia, minimè tibi parcere. Vale.

EXemplum jocosæ laudationis, observatum in Epist. 6, lib. VII. ad Fam. cujus Exordium fecit à Proverbio. Deinde ob sapientiam in belli periculis fugiendis, & acquirendis opibus salsissimè Trebatium Cicero laudat.

IN equo Troiano scis esse in extremo, SERO SAPIUNT PHRYGES. Tu tamen mi Vetule, non serò. Primùm quod illas rabiosulas sat fatuas dedisti: deinde, quod in Britannia non nimis φιλοθέωρον te præbuisti, planè non reprehendo. Nunc verò in hibernis vinctus mihi videris, itaq; te commovere non curas: usq; quaq; sapere oportet; id erit telum acerrimum. Ego si foris cœnitarem C. Octavio familiari tuo non defuissem: cui tamen dixi, cùm me aliquoties invitaret; oro te, quis tu es? sed mehercule, extra iocum, homo bellus est: vellem eum tecum abduxisses. Quid agatis, ecquid in Italiam venturi sitis hac hieme, fac planè sciam. Balbus mihi confirmavit, te divitem futurum, id utrum Romano more locutus sit, benè nummatum te futurum, an quomodo Stoici dicunt, OMNES esse divites qui cœlo & terra frui possunt, postea videro. Qui isthinc veniunt, superbiam tuam accusant, quod negent te percunctantibus respondere. Sed tamen est quod gaudeas: Constat enim inter omnes, neminem te uno Samarobrinæ juris peritiorem esse. Vale.

† IMITATIO HUIUS EPISTO-
la institui potest hunc in modum:

SErò *sapiunt Phryges*, trito de iis sermone dicitur, qui Epimethei, non Promethei sunt: nec nisi damno aliquo accepto sapiunt. Verùm tu non serò, sed maturè satis mihi sapere videris. Primùm enim in aulam te bonis, quod aiunt, avibus contulisti, rebusq; tuis præclarè & citò prospexisti. Deindè fabulæ alienæ spectator fuisti, & cũ castra alij sequerentur, tu domi intereà, quasi in hibernis mansisti, neq; te loco moveri passus es. Atq; hoc postremũ perquàm mihi placet: quia pacis omninò amans: studiosus concordiæ: à vi atq; armis alienus esse videris. idq; præclarè intelligis, nihil foris prodesse arma, nisi tui scilicet similes, viri prudentes sint

domi,

domi, qui ſuis conſiliis alios re-gant, atque videant, ne quid detri-menti Reſp. patiatur. Ubiq; ſapere oportet ita: in ſapientia ſola opti-mum firmiſſimumque præſidium eſſe poſitum. Ego ſi triſti domi cœ-nio laborarem: familiari tuo, qui aliquoties jam me invitavit, obſe-cutus fuiſſem. Homo bellus planè atque elegantulus, & dignus eſſe videtur, qui non in ſchola inter tri-ſtes & melancholicos, ſed vobiſcum in aula, atque cum politis homini-bus vivat: Præſertim cum in κυπελλο-μαχίᾳ ſatis ſit fortis ac ſtrenuus. Qui iſthinc veniunt, benè te nummatū; ſed ſatis interim ſuperbum eſſe af-firmant, ita ut non facilè alicui ad te aditus pateat, niſi cataphractos aliquos, quibus reſiſtere difficile, ſecum adduxerit. Sed rectè, & ad autoritatem retinendam accom-modatè, facis. Nôſti enim illud vul-

 gare;

gare; *Nimia familiaritas contemptum parit.* Cùm etiam nemo eo in loco, in quo nunc degis, te doctior ac sapientior, reperiatur, cur ita te velis vilem reddere, non profectò video. Sed hæc nostro more inter nos jocati sumus. Tu me, quod facis, amore prosequéris: simul etiam illud in memoriam revocabis: *quò quis doctior, eò humanior esse debet.* Vale.

IOCANDI FORMVLÆ.

SIc vivitur: quotidiè aliquid legitur, aut scribitur: deinde, ne amicis nihil tribuamus epulamur unà. Quare nihil est, quod aduentum nostrum extimescas: non multi cibi hospitem accipies, sed joci.

Vellem me ad cœnam invitasses, reliquiarum nihil fuisset. Nunc me reliquiæ vestræ exercent.

Sed quando ut video, æstimationes tuas non vendere potes, neq; ullam denariorum implere: Romam tibi remigrandum est. Satius est hîc ruditate, quam isthic fame:

Video te bona perdidisse: spero idem istuc familiares tuos, actum igitur de te est, nisi provides: Potes mulo isto, quem tibi reliquum dicis esse, quando canterium comedisti, Romam provehi: sella tibi erit in ludo, tanquam hypodidascalo, proxima: Eam pulvinus sequetur.

De te, quæ scire velim, hæc sunt, quomodo te redeuntem amici illi tui, libri scilicet, acceperint, num eo ipso die ad eorum consuetudinem te dederis, an potiùs, dum hæ bacchationes defervescant, in hortis cum Epicuro, quàm in Gymnasio cum Aristotele, velis vivere. Et cum hæc scripseris, adde verbum, si me amas de pugiunculo illo tuo: quo ego te impeditum & alligatum ense cum vidi discedere, non tenui risum: ac volui pungere te dicto: sed veritus sum, ne tu rusticè me gladio. Epistolam habes jocationis plenam, quâ te esse delectatum cognovero, si miseris ipse pleniorem.

Etsi tu edentulus, mi Scala; tua tamen fuerat dentata epistola, sensi equidem Nam penè morsu me fregit, & pepercit illa tamen nonnihil: Atq; ita mecum lusit, ut ursa interdum cum catello solet. Stultus ego, qui

non statim veterano, toties coronato, cessi videlicet tirunculus adhuc,

Ense levis nudo, parmâq; inglorius albâ,

Tu tamen magnificè hoc, sicut alia, qui ne dignum quidem me putes irâ. Nam quod Hercules abs te vocor, non mihi ob id placeo. Sic enim pigris canibus (ut inquit ille) nomen erit, Tigris, Pardus, Leo. Vincere autem non magis te potui, quàm Herculem ridiculi apud Philostratum Pygmæi, quos ille omnes correptos leonis pelle involvit.

Vincebar abs te priùs doctrinâ, vincebar ingenio: sed vinci tamen lætabar, atque adeò lætor, quoniam te diligo: quin ob hoc ipsum diligo, quod his vincor. At nunc & humanitate me vincis. Hoc equidem ferre nequeo, quoniam turpe, sed jam fero. Nihil enim turpe mihi, quod honestum sibi.

Doles quod amicus in disputatione te vicerim, dolere non debes: Nam si sunt amicorum communia omnia, non magis, quàm tu victor ego: nec minùs ego quàm tu victus. Sed tu fortasse doles, quod hac amicorum lege, nec ego planè sum victor, qui te vici,

RESPONSIO AD IOCOSAM, seu facetam Epistolam.

AD epistolam jocosam, jocosè quoq; , modò ne quis offendatur, respondebitur.

Ad graves viros, & majores habitâ omni ratione gravitatis, dignitatis, & ætatis, modestè est respondendum.

Non tamen eodem modo rescribendum ad omnes.

In pares siquidem & inferiores licebit uti jocis: in alios verò, vel non utendum, vel utendum modicè, aut etiam intra modum.

Exordiri hîc à brevi acceptarum literarum repetitione possumus.

Deinde, vel laudabimus aliorum urbanitatem, ex locis paulò antè in jocosis Epistolis annotatis: vel contrà improbabimus & reprehendemus jocos, & facetias, propterea quod in iis nihil, vel Etymologia vel ambiguitate, vel Allegoria, vel aliâ elegans ac venustum nihil etiam aptum, ac decorum deprehendatur.

Concludemus petitione, vel adhortatione aliquâ seriâ.

Exemplum responsionis ad facetam Epi-

stolam, observatum in Epist. 33. l. VII. Cujus Exordium ab occasione scribendarum literarum sumptum est. Narratio altera pars est, in qua primùm Volumni urbanitatem Cicero laudat, pòst quibus notis dicta nonnulla inepta, quæ illius nomine circumferebantur à suis distingui debeant, ostendit. In extremis hortatur, ut crebrò scribat, & Dolabellam confirmet.

QVòd sine prænomine familiariter, ut debebas, ad me Epistolam misisti, primùm addubitavi num à Volumnio senatore esset, quo cum mihi est magnus usus: Deinde εὐτραπελία literarum fecit, ut intelligerem, tuas esse: In quibus literis omnia mihi perjucunda fuerunt præter illud quod parum diligenter possessio salinarum mearum à te procuratore defenditur: Ais enim, ut ego discesserim, omnia omniũ dicta, in his etiã Sextiana, in me conferri. Quid? tu id pateris: Non defendis? non resistis? Equidem sperabam ita notata me reliquisse genera dictorum meorum ut cognosci sua sponte possent; sed quando tanta fex est in Vrbe, ut nihil sit tam ἄκυρον, quod non alicui venustum esse videatur: Pugna si me amas nisi acuta ἀμφιβολία, nisi elegans ὑπερβολὴ, nisi παράγραμμα bellum, nisi ridiculum παρὰ προσδοκίαν, nisi cætera, quæ sunt à me in secundo libro de Oratore per Antonii personam disputata de ridiculis ἐν-

τεχνα, & arguta apparebunt, ut sacramento contendas, mea non esse; Nam de judiciis, quod quereris, multò laboro minùs, trahantur per me licèt pedibus omnes rei, sit vel Selius tam eloquens, ut possit probare se esse liberum: Non laboro urbanitatis possessionem, amabo, quibusvis interdictis defendamus: in qua te unum metuo: Contemno cæteros, Derideri te putas? Nunc demum intelligo te sapere; Sed me herculè, extra jocum, valdè mihi tuæ literæ facetæ, elegantesq; visæ sunt: Illa quamvis ridicula essent sicut erant, mihi tamen risum non moverunt? Cupio enim nostrum illum amicum in tribunatu quamplurimum habere gravitatis, idq; cùm ipsius causâ (est enim mihi ut scis, in amoribus) tum me herculè etiam Reipubl. quam quidem quamvis in me ingrata sit, tamen amare non desinam. Tu, mi Volumni, quando & instituisti & mihi vides esse gratum, scribe ad me quam sæpissimè de rebus urbanis, de Republ. Jucundus est mihi sermo literarum tuarum. Præterea Dolabellam, quem ego perspicio & judico cupidissimum esse atq; amantissimum mei, cohortare & confirma & redde planè meum: Non meherculè quòd quidquam desit, sed, quia valdè cupio, non videor nimium laborare. Vale.

IMI-

IMITATIO HUIUS EPISTOLÆ, taliter potest institui

QUòd pronomine omisso familiariter, uti debebas, ad me scripsisti: dubium me primò reddidit, à téne, aut alio aliquo literæ illæ essent? Postea verò quàm legere eam cœpi: Statim ex ipsa urbanitate & festivitate, quâ conditæ illæ fuerũt, intellexi, tuas, non alterius alicujus eas esse. Fuerunt enim omnia faceta, jucunda, festiva : Præ se ingenium acutum, politum, doctum tulerunt; πρεπόντως adhibita fuerunt cuncta. The sibæo, crede mihi, more & ἀσυμβόλως cœnare posses; ita tua amabilia sunt, grataque dicta: Faciunt quoque, ut multò magis, quàm antè eos improbem, qui ventris solùm gratia quævis in quosvis dicteria jaciunt; & dum ridiculi nimium esse volunt, non, nisi propter insulsitatem atq; ineptias, ridentur. E-

go,

go,ut ſæpè ex me audiviſti,ea maximè dictorum probare genera ſoleo,quæ ſunt : aut ambiguitate acuta: aut ὑπερβολῇ elegantia; aut bellâ agnominatione ; aut quia præter expectationem allata,ridicula : aut aliis modis : de quibus dicendi agunt magiſtri, concinna,lepida, arguta. Hæc quia tuis in literis reperi,meritò eas amo, utq; ejus generis ad me plures mittas, etiam atq; etiam rogo.Nam de iis,quæ in Orbe jam fiunt, quod quereris, non multùm laboro. Noſtros nos labores facetiis atq; jocis condiamus & Anacharſidis ſecuti ſententiam, ita παίζειν ludere, & jocari ſtudeamus, ut σπουδάζειν res ſerias agere queamus. De amico verò noſtro communi quæ ſcripſiſti:Etſi eſſent ridicula,ut ſunt revera : tamen riſum movere mihi minimè poſſent. Quid ita inquis? quia cum unicè illum amem, etiam

etiam gravitati ſtudere, & quam ſuſtineat perſonam, paulò cogitare diligentius velim. Neque enim duo cum dicunt, faciuntvé idem, idem videri ſolet: & quæ præcelſo ſunt in loco poſita, occultari facilè nequeunt. Illud præterea Poetæ placet:

- - - tunc obſervantior æqui (ipſum
Fit populus, nec ferre vetat, cum viderit
Autorem parêre ſibi - - - - - -
- - - - Nec ſic inflectere ſenſûs (gentis.
Humanos edicta valent, quàm vita re-

Tu occaſione datâ amicè eum hac de re monebis. Et quia literarum tuarū ſermonem gratum mihi atq; jucundum eſſe intelligis, ſæpiſſimè ad me ſcribes. Vale.

DE MISTA, SEU COMPOſita Epiſtola

MIſtam vocare poſſumus Epiſtolam, cujus ſcriptor pari ratione modoq; diverſos ſibi fines propoſitos habuerit.

Quæ

Quæ verò ex diversis quidem Epistolarum formis conflata, unum habet præcipuè Scriptoris finem, non Mista seu composita dicetur Epistola, sed simplex, illius videlicet generis, ad quod finis ille spectat præcipuus.

Non igitur omnis Epistola Mista dici potest, cujus partes ad diversa spectant Epistolarum genera, si modò partes illæ ad unum eundemq; finem præcipuum referuntur.

De mistis seu confusaneis Epistolis, quæ res varias complectuntur, illud solùm admonuerim, in iis non parum lucis afferri lectoribus, si seorsum publica, seorsum privata, seorsum gesta, seorsum gerenda describantur. Eaq; aptis connectendi particulis, & Transitiunculis inter se connectantur, ne velut scopæ dissolutæ turpiter diffluant.

Epistolæ Mistæ apud Ciceronem admodùm frequentes inveniuntur: In quibus plures ex superioribus literarum formis concurrunt.

Exempla habes suprà: *Accipio excusationem tuam. De Dionysio tuo adhuc. Etsi libenter petere à te soleo Athenas veni ad &c.*

O

TRANS-

TRANSITIONUM FORMULÆ.

Transitiones voco, cùm ostendimus breviter quid dictum sit. ac deinde paucis indicamus, quid simus dicturi:

Habes de Vatinio; cognosce de Crasso.

Uni Epistolæ respondi. venio ad alteram;

Hactenus existimo nostram consolationem recte adhibitam fuisse; Reliqua sunt in te ipso, neq; mihi ignota, nec minima solatia.

De domesticis rebus hactenus.

De publicis mihi omnia certa.

Mea in illum officia tenes; jam quam ille gratiam retulerit, cognosce.

Sed hæc adhuc puer, jam quæ adolescens designârit, referam.

Verùm hæc tibi cum multis communia, illud tuæ propriæ laudis.

Sed hoc leve, illud non tolerandum.

Adhuc vetera diximus, illud novum & inauditum.

Sed hactenus jocati sumus, veniamus ad seria.

Sed tristia mittamus, revertamur ad lætiora.

Vulnus aperui, nunc remedium ostendam.

Sed hoc nihil ad nos, illud vehementer meâ refert.

Ad

Ad primas tuas habe; nunc ad reliquas respondebo.

Minusculæ tuæ Epistolæ respondi, venio ad majorem.

Priori tuæ Epistolæ satisfactum est, ad alteram accingimur.

Quæ hîc gerantur audîsti; nunc ad literas tuas ordine.

Sed hæc me magnoperè delectant: illud malè habet.

Quid doleam, habes; nunc quid metuam, accipe.

Quantam rem susceperis, ostendi; qua ratione perficias disce.

Tuis de negotiis habes, nostræ verò res sic habent.

Prioribus tuis (opinor) respondimus; nunc ad posteriores me accingam.

Habes forensia, nūc domesticas res accipe.

De tuis habes, de meis nunc vicissim accipe.

Sed jam satis diu de Republ; ad domestica veniam,

Sed hæc rumore tantùm cognovimus, illa vidimus ipsi.

Sed hæc corrigi possunt, illud ne leniri quidem ulla arte potest.

Turpia audîsti, audi turpiora.

Omni-

Omnibus ferè de rebus habes, nunc unum addam.

Consilii mei rationem habes, nunc quid te facere velim, aperiam.

Sed jam nimis multa de externis; de nostris pauca modò memorabo.

De dignitate novâ voluptatem nuntias maximam, sed de Ioanne Adelphæo vitâ defuncto, acerbum profectò nuncium mittis.

Persolvi prioribus tuis literis: Nunc ad posteriores.

Persolvi primæ Epistolæ, venio ad secundam.

Hactenus ad tuas literas, Nunc de me paucis accipe.

Venio nunc ad id, quod nescio an primum esse debuerit?

Sed hæc hactenus: addam etiam illud.

Sed hæc privatim: Nunc quæ publicè.

Hæc leviora sunt: quæ sequuntur graviora.

Rescripsi Epistolæ maximæ, audi nunc de minuscula.

CONNECTENDI FORMULAE.

Reliquum est. Accedit eódem. Huc accedit.

Nunc

Nunc audi quod pluris est, quàm omnia.
Sed ad propositum redeamus.
Redeamus illic, unde divertimus.
Ut ad rem redeam.
Redeo ad id, quod primò amiseram.
Redeo ad id, quod initiò scripsi.
Redeo ad prima.
Quid præterea? nihil nisi ut incolumis ad nos primo quoq; tempore revertare.
Sunt & particulæ connectendi, Primùm, Deinde, Præterea, Post hæc, Ad hæc. His adde. Huc pertinet, Quin etiam, Quid? Quod, Deniq;, Postremò, Autem, Jam verò, Ceterùm.

LONGIORΕΜ NARRATIOnem vel Epistolam præcidendi formulæ.

In summa. Ad summam.
Ut uno verbo, ut acervatim dicam.
Ut rem paucis complectar, perstringam, comprehendam.
Ut in pauca multa conferam.
Ut paucis concludam.
Quid verbis opus est?
Quid quæris?
Ne te multis morer.
Quid multa? Quid multis? ne multa, vel multis.

Quid

Quid plura? Quid pluribus?
Ut brevitate utar.
Ne longus sim.
Ne longum sit.
Ut Laconicâ utar brevitate.
Ne diutiùs te teneam.
Non tenebo te pluribus, ponam in extremo quod sentio.
Sed hac super re plura, quàm volebam.
Sed plura, quàm statueram; redeo ergo ad &c.
Sed quid ago? Labor longiùs, Longiùs progredior.
Sed de his satis, metuoq; ne tu nimium putes.
Verùm quò provehimur? Sed quò delati sumus? vela contrahamus.
Sed hac super re nimis multa, præsertim ad te.
Sed hæc pluribus fortasse verbis, quàm sit necesse.
Sed jam longior sum, quàm me fore putavi.
Sed hæc satis multa, & plura potiùs quàm necesse fuit.
Sed jam sentio me esse longiùs provectum, quàm proposita ratio postularet.

Sed

Sed de his ſatis ſuperque. Jam ad te, ô & præſidium & dulce decus meum!

Sed quid ago? dum tecum ſvaviſſimè loquor, nullâ certâ re propoſitâ, paginam, verbis undique ſuâ ſponte confluentibus, implevi.

Sed quid ago? Epiſtolam inſtitueram ſcribere; ea autem creſcit in volumen.

EPISTOLAM ESSE LIBERAM, *nec certis perpetuisq; legibus adſtringi.*

NOlim adoleſcentes ingenui, quiſquam veſtrûm, omnia hæc, quæ ſupra de Epiſtolarum partibus, & earundem tractatione dicta ſunt, firmiſſimam legem eſſe, nec unquam aliter fieri poſſe, ſibi perſvaſum habeat: Nam cum Epiſtola à certâ ferè lege libera ſit, veſtrum erit, ut magis Generi, de quo agitur, convenire videbitur, & addere, & immutare multa.

Hîc ſolùm ea poſita ſunt, quæ apud Ciceronem obſervata leguntur: Neque id in unâ, verùm in pluribus ejuſdem Generis Epiſtolis. In ſingulis enim ſingula præcepta, quæ hîc de unoquoque Genere traduntur, non facile erit invenire, vel certè difficilè erit cognoſcere, niſi ab exercitatis. Juva-

bit itaq; plures ejusdem Generis conferre, & quod uni deest, ex altera supplere.

PARTES EPISTOLArum duplicis esse generis.

EPistolarum partes quædam sunt propriæ, & omnibus ex æquo Epistolis necessariæ, ut, *Salutatio*, *Valedictio*, *Inscriptio*: aliæ verò commmunes, quæ ut orationibus maximè conveniunt, ex scholis Rhetorum hûc transferuntur, & in Epistolis non semper necessariæ sunt, sed interdum earum plures, interdum pauciores, interdum etiam singulæ adhibentur: ut: *Exordium*, *Narratio*, *Propositio*, *Confirmatio*, *Confutatio*, & *Conclusio*. Has nonnulli quinque, Propositionem à Narratione non separantes: Alii quatuor partibus, Confirmationem & Confutationem sub unâ contentione constituentes, comprehendunt.

Hæ partes in Epistolis hoc disponuntur ordine: *Salutatio*, *Exordium*, *Narratio*, *Propositio*, *Confirmatio*, *Conclusio*, *Valedictio*, *Inscriptio*. De quibus separatim deinceps aliquid dicendum.

DE SALUTATIONE.

SAlutatio est Epistolæ initium, quo in primo quasi congressu absenti salutem nunciamus. Hæc duabus potissimùm de causis præmittitur; vel, quòd homines in primo congressu se mutuò salutent, & hominum mores Epistola debeat imitari (quæ, ut suprà dictum, absentium mutuus sermo est) vel quod hac quisque ratione suam erga amicum declaret voluntatem, illiusque inire gratiam nitatur.

In salutatione semper veteres proposuére scribentis nomen nomini ejus, ad quem scribebatur, quamvis hic superior, ille inferior esset. Recentiores nonnulli, cum ad magnos & illustres viros scribunt, nomen suum posteriore loco collocant. Quam scribendi rationem nec *Lipsius* improbare videtur, *Misera*, inquiens, *ostentatio scientiæ, quæ risum aut offensam debet: Utique in Epistola, quæ tum demum rectè scripta, cùm videtur illi, cui scripta.*

Nomina in tertia ponebant persona: Qui scribebat suum casu Recto, eius ad quem scribebatur, casu Dativo: Deinde iungebantur hæ literæ: S. P. D. quæ significant, salutem plurimam dicit, hoc modo:

M.T.Cicero, M. Terentio Varroni S. P. D.
vel sic.

M.T. Cicero, M. Terentio Varroni S. D. P.
vel sic.

M.T. Cicero. S. D. M. Terentio Varroni.

Cum verò scribebant ad perfamiliarem, vel ad eundem sæpiùs, satis erat utrobique nomen ponere cum literâ S.

Cicero Attico S.

Cùm ad uxores, liberos, propinquos, aut valdè dilectos scribebant, adjiciebant frequenter Pronomen, Suus, hoc modo:

M.T.Cicero. { Terentiæ suæ S. / Tulliæ suæ S. / Tironi suo S. / Terentiæ, Tulliæ, Ciceroni suis S. }

Quintiliani & Plinii temporibus mos cœpit recipi ut omnibus ferè, nisi apertè essent inimici, adderetur suus.

Unde *Martialis* sic scribit de chartâ Epistolari:

Seu leviter noto, seu caro missa sodali,
Omnes ista suos charta vocare solet.

Invenies nonnunquam adjuncta etiam alia adjectiva.

Cicero

Cicero pater ſvaviſſimæ filiæ Tulliolæ. S. D.
Tullius Tironi humaniſſ. & optimo S D.
Cicero fil. Tironi ſuo dulciſſimo S. P. D.
Cic. matri optimæ & ſvaviſſ. ſorori S. P. D.

Horum exemplo ſic ſcribere licebit:
Nic Clenardus cariſſimo Latomo S. P. D.
Cornelius Valerius M. Antonio Mureto unicè ſibi colendo S.

Ejus, ad quem ſcribitur Dignitatis, & Profeſſionis titulus in Salutatione omitti non debet.
M. T. Cicero C. Cæſari Imper. S. D.
M. T. Cicero D. Bruto Coſ. Des. S. D.

Recentiores.

Paulus Manutius Andreæ Alciato Juriſconſulto S. D.

Joachimus Perionius Carolo Lotharingo Cardinali. S. D. P.

Immo nec noſtræ dignitatis & officii titulus omitti ſolet, cùm ad pares, vel minores ſcribimus, ut;

M. T. Cicer. Imper. S. D. Cælio Ædili Curuli.

Ineptæ ſalutationes habentur hæ: Quot cælum ſtellas, quot habet mare guttas; tot tibi mitto ſalutes.

Midæ divitias loco ſalutis.

Humillimam recommendationem loco ſalutis.

 Prom-

Promptam cum debitâ veneratione servitutem loco salutis.

Crato Hutteno dimidio animæ suæ.

Ignatius Matthisio alteri ipsi.

NOVÆ SALUTANDI FORmulæ nec omnino damnandæ.

Salve mi Christophore. Salve multùm. Salve plurimùm. Salve pater optime. Salve mater suavissima. Salve congerro lepidissime. Salve etiam atq; etiam. Salve multùm in Christo Jesu. Salve plurimùm observande patrue, S. D. amicorum optime & integerrime. A Lipsio tuo salve. Opto multam, plurimam, perennem tibi salutem. Multum ex animo precor felicitatem.

GRÆCORUM SALUTATIO hæc est.

Πλάτων Δίωνι εὖ πράττειν, hoc est, Plato Dioni bene agere: ἰσοκράτης φιλίππῳ χαίρειν, id est, Isocrates Philippo gaudere: Δημοσθένης τῆς βουλῆ καὶ τῷ δήμῳ χαίρειν hoc est, Demosthenes senatui populoq; Atheniensi gaudere. Utrumq; salutandi modum uno versu complexus est Horatius l. 1. Epist. 8.

Celso *gaudere, & benè rem gerere* Albinovano

Musa

Musa rogata refert, comiti, scribaq; Neronis.

Κέλσῳ τῷ Ἀλβινοβανῷ χαίρειν, καὶ εὖ πράττειν.

Budæus etiam tertium genus addit; quod est ὑγιαίνειν, id est, valere; quod plurimum est in rebus humanis; est tamen ambiguum, & ad sanitatem mentis etiam pertinet.

Epicurus aliam quandam salutationem usurpavit, εὐδιάγειν. Precabatur id, in quo felicitatem summam esse statuebat, vitam nempè svavem & jucundam, molestiarumq; expertem. Intelligendum est autem cum hujusmodi verbis infinitis, vocabulum εὔχεται id est, precatur, optat.

Sunt apud *Ovidium* genera quædam salutationum festiva & arguta.

Phædra Hyppolyto.

Quâ nisi tu dederis, caritura est ipsa, salutem,
Mittit Amazonia Cressa puella viro.

Lib. I. de Ponto Eleg 9.

A tibi dilecto missam Nasone salutem,
Accipe pars animæ magna, Severe, meæ.

Eodem lib. Eleg. 2.

Naso suo profugus mittit tibi Flacce salutem;
Mittere rem si quis, qua caret ipse potest.

Lib. 2. Eleg. 7.

Esse salutatum te vult mea littera primùm,
A malè pacatis, Attice, missa Getis,

Hebræi vulgato gentis suæ more pacem optans

optant salutantes: Cujus consvetudinis D. *Paulus* memor hac salutandi ratione uti solet:

Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.

Quæ quidem salutatio maximè Christianis est accomodata.

Hebræi ergo salutantes, Pacem; *Græci*, tum Felicitatem, tum Gaudium aliquando etiam Valetudinem, *Latini* salutem precantur & incolumitatem.

DE EPISTOLARUM EXordio.

Exordium est prima Epistolæ pars, quæ salutationem sequitur, quâ ejus, ad quem scribitur, præparatur animus, ad amicè, attentè, & intelligenter ea, quæ scribuntur, advertendum.

Exordium id commendatur maximè, Primùm, quod ita subjectæ servit materiæ, & causæ præsenti, ut ex eâ veluti natum videatur.

Deinde, quod nec longius, nec brevius fuerit, quàm res ipsa & materia postulat.

Postremò, quod non est nimis apparatum, sed modestum & verecundum, ut nihil tædii vel suspicionis lectori adferat.

Fuit olim mos vetus, quem *Seneca* usq; ad suam ætatem servatum scribit, Epistolas his verbis exordiri:

Si vales, valeo.

Si vales, benè est, valeo.

Si vales, benè est, ego bellissimè valeo.

Si vales, benè est, ego perbellè valeo, & indies belliùs!

Si vales, benè est, ego valeo, ut soleo, paulò etiam deteriùs, quàm soleo.

Si vales, gaudeo; equidem valeo, & Tullia nostra rectè valet, & Cicero. Terentia nostra minùs bellè habuit, sed certò scio jam convaluisse eam.

Plinius: Olim nullas mihi Epistolas mittis: Nihil est, inquis, quod scribam: at hoc ipsum scribe, nihil esse, quod scribas: vel solùm illud, unde incipere priores solebant; Si vales, benè est, ego valeo.

Interim non adiiciebant quidquam de se, cùm non rectè valere volebant significare, animo præsertim: aut sibi esse curæ illorum salutem, suam non item illis: ut, Metellus Ciceroni: Si vales, benè est. Cicero Metello: Si tu exercitusq; tuus valetis, benè est.

Qui salutandi mos veterum, nunc in usu esse desiit, sed non ita, quin addi possit, & aliquando deceat, ornetq; Epistolam.

Veterum imitatione nobis Christianis exordiri hoc modo Epistolam licebit.

Si vales, benè est, ego DEI gratiâ sic vivo, valeo, ut nunquam penè in vita suaviùs.

Si rectè vales, carissime pater, unà cum suavissimâ Matre, benè est, nos hîc, DEI dono, perbellè valemus.

Si rectè vales, unicè mihi dilecte Patrue, est quod plurimùm gaudeam: equidem hîc beneficio DEI, valeo rectissimè.

Si tu, tuaq; suavissima conjux, reliquaque familia valetis, est cur maximoperè gaudeamus, nos DEI munere, valemus ex sententiâ.

DE RELIQVIS EPISTOLAM Exordiendi formis.

EA est Epistolarum libertas, ut in eis unde libet initium sumere liceat: modò id sit ejusmodi, quod lectorem ad id, quod pares præparet.

Triplex autem est epistolam Exordiendi ratio: aut enim *Obliquè* in Epistolam ingredimur, aut *Rectè*, aut *Abruptè*.

1. In orationibus *Insinuatione* non nisi tribus temporibus Rhetores utendum putant: scilicet, cum aut negotii turpitudo, judi-

cem à nobis vehementer abalienavit : aut qui antè dixit, admodùm perſvaſit: aut oratione nimis longâ auditoris animum defatigavit. At in Epiſtolâ quoties videbitur, Obliquè ingredi licebit & quamlibet longè repetere, & quàmlibet alienum aſſumere Principium, dum quacunque viâ: tamen ad rem conferat.

2. *Rectum* verò Exordium his omninò rationibus conſtituitur, quas tradiderunt ii, qui de arte Rhetoricâ conſcripſerunt.

Sed oportebit eadem præcepta, ad proprietatem Epiſtolarum deflectere. Quod qua ratione fieri conveniat paucis oſtendamus.

Hoc ergò Exordium ducetur, aut ex Perſonis, aut ipſis ex Rebus, è quibus benevolentiæ conciliandæ rationes petemus.

A Perſonis benevolentiam colligemus, ſi de Amicitiâ loquemur, & mutuis officiis, quæ inter majores & parentes noſtros, nec non illius, ad quem ſcribemus, extitére: Quod neceſſitudinis vinculum nunquam à nobis neglectum; ſed nutritum potiùs & confirmatum aſſeverabimus. Aut ſi nulla inter avitos fuit amicitia, dicemus eam à nobis natam & educatam, propter ſimilitudinem ſtudiorum, convictum mutuum, mutua

 officia,

officia. Hîc quibus in locis, quonam modo, quibus in studiis pueritiam aut adolescentiam transegerimus, commemoratione jucundâ revocabimus. Præterea, si qua affinitas intercedat, ab hac contrahenda benevolentia erit: si nulla ab aliquo genere virtutis: quæ quo affinitate nobilior & diuturnior, hoc amicitia, quæ ab ea proficiscitur, stabilior & laudabilior esse solet. Maxime à liberalitate, officio, justitia, fide, ducere benevolentiam ejusmodi conveniet. Id verò fiet his virtutibus, vel in eo, vel in nobis sine arrogantia laudandis. Licebit etiam illius in nos merita cum grati animi significatione quadam, vehementer exaggerare: nostra vicissim, in illum multa cum verecundia, significare: Qui nostri de isto sermones: quantoperè illius literis delectemur: Quod commodis illius & gloriâ non minùs quàm nostrâ gaudeamus, incommoda verò non minùs acerbè, quàm propria feramus: quantam pro illius dignitate, fortunisque tuendis curam susceperimus. Ad hæc si eruditionem aliquam in eo laudabimus, & nostram, si qua erit laude digna, verecundè commemorabimus. Postremò, si nostrum incommodum, inopiam & calamitatem, aut eorum, quos commendamus,

sibi-

flebiliter exponemus. Sed videndum, ut hæc omnia ad eam rem ipsam, de qua agitur, sint accommodata.

A rebus ipsis, benevolentiam contrahemus, si negabimus ad nos pertinere id, de quo scripturi simus, ad illum magnoperè: sed nos commodis illius commoveri æquè, ac nostris. Præterea si rei magnitudine, periculo, novitate, antiquitate, utilitate, jucunditate, necessitate, aut hujusmodi quapiam commodatione excitabimus: Quanquam hæc ad attentionem ac docilitatem magis pertinent. Quod si res ipsa dura videbitur, præmunitione opus erit, qua antè ipsâ molliatur, quam illi tractanda proponatur. Neq; omninò ea Exordiendi forma repudianda est, quæ quibusdam hujus ætatis hominibus placet, ut à perpetusta quapiam sententia, factove memorabili Epistolam ordiamur.

3. Sicut abruptus sermo, atq; abrupta Oratio dicitur, quæ caret Exordio: sic *abrupta Epistola* quæ Insinuationem, vel proœmium non habet. Itaq; initium ejusmodi, quod abruptè fiat, Abruptum nominatur.

Quod quamvis cum venustate & gratia nihil vetet ubivis usurpari: ejus tamen usus sæpiùs perspicitur in Patheticis Epistolis, In qui-

quibus scilicet vehementiores animi affectus describuntur.

Ut cùm propter rei alicujus indignitatem, & atrocitatem animus irâ, dolore, vel admiratione perturbatur.

Quemadmodum videre est in Epistolis accusatoriis, vel similibus, in quibus in ipso primo literarum aditu adhibetur interdum Querela aliqua, Exclamatio, Dubitatio, aut vehemens aliqua Interrogatio.

Postremò hujus etiam usus incidit non rarò in Epistolis jocosis, quibus id assequimur, ut mutuam non Epistolam Epistolæ, sed vivo sermoni vivum item sermonem referre videamur.

EXEMPLA ALIQVOT EXORdiorum ex Abrupto.

DEum immortalem, quid ego audio? Sic est, inquam, uti scribis.

Siccine igitur veterem amiculum negligis?

Ergo mutabimus sententiam, quando tu quidem hoc tantoperè censes.

Quin ego igitur tibi gratulor?

Quin igitur huc revolas si ita, ut scribis, res sese habet?

Hui, quis te tam virum esse credidisset?

Eho,

Ehô, quid ais obsecro?
Ringitur Zôilus?
Næ tu mihi album adportas nuncium.
Nunc te objurgare patere.
O casum mirificum sanè hodie!
Næ tu, mi Kittelmanne, es homo lepidus.
Vin' ridere? En tibi argumentum.
Quid ego audio, mi Schallere tune adeptus es?
Vide, num aptum munus miseris, crumenam non habenti pecuniam?
Quid? hoccine mandâram abeunti tibi, ut ad me nihil rescriberes aliud, quàm &c.
O factum benè de nostro Geinitzio, incredibile est, quantâ me ea res voluptate affecerit.

Dignum est observatione, Epistolas quæ principium capiunt ab his duabus vocibus: *Ego verò*; *Tu verò*; ex illis esse, quibus alicui respondetur ad id, de quo ille scripserit; vel de quo, per quempiam à sese missum, interrogârit.

Hæc, *Ain' tu? Ain' tandem?* sunt etiam principia Epistolæ alicui respondentis.

Principium Epistolæ nomen ejus, ad quem scribimus his de causis habere potest: vel, ut exprimamus aliquem affectum animi.

Cice-

Cicero. Ego verò, Servi, vellem; ut scribis, in meo gravissimo casu adfuisses.

Vel, ut in re admodum gravi attentiorem habeamus auditorem.

Cic. Ego me, Lentule, initio rerum atq; actionum tuarum, non solùm meis, sed etiam Reip. restitutum putabam.

Vel, cùm quid vehementer exprimere volumus, quod etiam in tota sit Epistola.

Cicero. Urbem, mi Rufe, cole, & in ista luce vive.

A Seneca ferè semper exprimitur. A Plinio nunquam: A Cicerone ob causas jam expositas.

Quanquam Ciceronianæ, in qualibet Epistolæ forma: Exordiendi rationes paulò antè annotatæ sunt; nihil tamen à studiosorum utilitate alienum me facturum puto, si præter illius, etiam aliorum, puerilibus scriptionibus appositissimos Exordiendi Epistolam modos aliquot: hîc incorruptè & integrè subjecero.

EXORDIENDI, BENEVOLENTIAM CAPTANDIQ; FORMULÆ.

MEum erga te animum multis nominibus tibi cognitum esse non dubito: scis opinor, quàm patrem tuis multis sæpè rebus ora-

oraverim; non te latet quàm toti familiæ tuæ semper prodesse studuerim, &c.

Si unquam de te benè meritus sum (me autem meritum esse negare non potes) fac ut &c.

Nescio, quibus tibi verbis, amice integerrime, infelicitatem meam satis deplorem. Tanta me simul diversarum rerum oppressit calamitas, ut, &c.

Horreo, si me Deus amet, dicere quàm molestè mihi cesserit mea profectio. O, quam non ibi calamitatem vidi! O quam non inopiam expertus sum!

Meum studium honori tuo non defuisset pro necessitudine nostrâ; si aut tutò in Senatum, aut honestè venire potuissem.

Officium meum, quod ab optimo in te animo profectum est, jucundum fuisse, vehementer gaudeo.

Officij mei sæpè me admonet officiorum tuorum recordatio: Officium autem quod absens absenti præstare possum, literæ sunt, quas misissem, &c.

A PERSONA EJVS CVI scribitur.

DIci non potest, quantum tum me, tum omnes tuos voluptate affecerit pulcerrimus

mus rumor, nuper hîc de rebus fortiter abs te gestis, exortus,

Et alii multi sunt, quos meis necessitatibus non defuturos sperem; tu tamen imprimis omnium fortunarum mearum, prora & puppis, ut ajunt, ades.

Studium tuum in exhauriendis mandatis meis, celeritas in rescribendo, quorum ego à te alterum pro nostrâ conjunctione expectabam, alterum autem pro tuis occupationibus vix postulare audebam, magnam habent significationem amoris in me tui.

Ex omnibus officiis, quæ in me plurima contulisti, nullum scito mihi pluris esse, quàm quod operam dederis, &c.

Etsi mihi nunquam dubium fuit, quin tibi essem carissimus: tamen quotidiè magis id perspicio.

Nihil ex omni rerum genere potuit mihi nuntiari jucundius, quàm te iis moribus agere, qui & te ipso, & tuo genere digni sunt.

Facis ut meritò te amem & collaudem, qui non, ut vulgus servorum solet; absentis domini negotia impedias: sed omni curâ, vigilantiâ, operâ coneris expedire.

A PER-

A PERSONA UTRIUSQUE.

CUm & mihi conscius essem, quanti te facerem, & tuam erga me benevolentiam expertus essem, non dubitavi à te petere, quod mihi petendum esset.

Expertus non rarò benignitatem tuam, plurimùm mihi amande pater, meâ quoque erga te pietate, & bonis in literis tibi non ingratâ diligentiâ fretus, pauca abs te petitus accedo, quæ pro tuo in me paterno affectu, te mihi non negaturum confido.

Quanquam ipse citra controversiam abundè per te sapis, sodalium jucundissime, non possum tamen (si veteri nostræ amicitiæ satisfacere, summisq; in me tuis officiis respondere velim) quin ea, quæ a tuam, cùm dignitatem, tùm salutem attinent tibi liberè significem.

Et tu occasiones obligandi me avidissimè amplecteris, & ego libentius nemini debeo. Duabus ergo de causis, à te potissimùm petere constitui, quod impetratum maximè cupio.

Quàm acerbum vulnus ex filioli obitu acceperis, equidem ex meo ipsius dolore facilè conjecturam facio. Quare vehementer sim inhumanus, si parentem in tam tristi casu lugere vetem, quum alienus ipse non queam non lugere.

Quan-

Quanquam pro tua singulari sapientia ipse abundè per te sapis, affinis jucundissime, nec alienis eges consiliis: tamen hoc vel veteri nostræ amicitiæ, quæ ab ipsis propè incunabulis unà cum ætate nobis accrevit, vel tuis summis in me officiis, vel arctissimæ denique affinitati debere me putavi, si is esse vellem, quem tu me semper existimâsti, virum & amicum, ut id, quod ad tuam tuorumque salutem & dignitatem plurimum interesse judicâssem, te libenter ac libere admonerem.

Improbum fortasse aliis videbitur, vir clarissime, eum, à quo tantum beneficiorum acceperim, quantum ne sperare quidem unquam sum ausus, rursum novis precibus solicitare: At ego ingenui, minimèq; ingrati animi existimo, cui multum debeas, ei plurimum velle debere.

A PERSONA ILLIVS PRO quo scribimus.

HUjusmodi Exordiis in Epistolis Commendatitiis uti solemus.

Quanquam mihi Pallantii mei fortunæ majori propemodùm, quàm meæ ipsius, curæ sunt, vir clarissime, idq; non solum propter vetustissimam arctissimamq; quæ mihi cum ejus

ejus familiâ fuit, necessitudinem: verùm etiam propter admirabilem hominis & modestiam, & probitatem: tamen eum tibi pluribus verbis commendandum non putavi, ne vel nostrâ de amicitiâ, vel hominis virtute parum visus viderer.

Cum ij, quorum res agitur, magni suâ interesse arbitrentur, me etiam per literas declarare tibi, qua essem erga ipsos voluntate non dubitavi hæc adscribere.

A RE IPSA.

Miram sanè rem, & tibi, ut opinor, auditu jucundissimam, non potui non ad te perscribere: cùm sciam te rerum novarum percupidum esse: En rem, ut novam, ita miram.

Mira auditu nuper ad te perscripsi; sed audi θαυμαστότερα.

Quanquam ipsa consolatio literarum tuarum mihi gratissima est; declarat enim &c.
Vide suprâ.

A VOTO.

Quàm vellem mihi dari uberrimam de te benè merendi occasionem! Si quid votis proficeretur, optarem ut Crœsus alter esses.

Tametsi nihil mihi fuit optatius, quàm ut primùm abs te ipso, deinde à cæteris omnibus quàm gratissimus erga te esse cognoscerer;

rer; tamen afficior summo dolore, ejusmodi tempora post tuam profectionem consecuta esse, ut & meam & cæterorum erga te fidem, & benevolentiam absens experirere.

A TEMPORE.

Ecquod unquam commodius de te benè merendi tempus oblatum est? Semper occasionem te mihi arctiore amicitiæ fœdere adstringendi quæsivi, en jam reperi.

Si unquam aliâs, hoc certè tempore Deus Opt. Max. precandus est, ut tandem Orbis funestis illis dissidiis defungatur.

Persæpè mihi cogitanti de communibus miseriis, in quibus tot annos versamur, & ut (video) versabimur, solet in mentem venire illius temporis, quo proximè fuimus unà.

A LOCO.

Etsi ea perturbatio est omnium rerum, ut suæ quemq; fortunæ maximè pœniteat, nemoq; sit, quin ubivis, quàm ibi, ubi est, esse malit: tamen mihi dubium non est, quin hoc tempore, bono viro Romæ esse, miserrimum sit: Nam etsi quocunque in loco est quisque, idem est ei sensus, & eadem acerbitas ex interitu Rerumpublicarum & suarum: tamen oculi augent dolorem, qui ea, quæ cæteri audiunt, intueri coguntur, nec

nec avertere à miseriis cogitationem finunt.

A CONSUETUDINE.

Posteaquam veteri consuetudine receptum, ut in anni auspicio amicus cum amico Xeniis certet, nec potui, nec volui, quin &c.

A CAUSA.

Etsi statueram nullas ad te literas mittere, nisi commendatitias, &c. Vide supra.

Etsi eo te adhuc consilio usum intelligo, ut id reprehendere non audeam, non quia ab eo ipse dissentiam; sed quod eâ te sapientiâ esse judicem, ut meum consilium non anteponam tuo; tamen & amicitiæ nostræ vetustas, & tua summa erga me benevolentia, quæ mihi jam à pueritia tua cognita est, me hortata est, ut ea scriberem ad te quæ & saluti tuæ conducere arbitrarer, & non aliena esse ducerem à dignitate.

Etsi perpaucis diebus ante dederam Q. Mutio literas ad te pluribus verbis scriptas, quibus declaraveram quo te animo censerem esse oportere, & quid tibi faciendum arbitrarer: tamen cùm Theophilus libertus tuus proficisceretur, cujus ego fidem erga te, benevolentiamq; perspexeram, sine meis literis eum ad te venire nolui.

In-

Ingenii mei pudorem non ignoras, vir eximie. Sed quò non adigit mortales *verè durum telum necessitas*?

A SENTENTIIS.

Scio non temerè scriptum esse à *Flacco*:

Quem cui commendes, etiam atque etiam
aspice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.

Nec ignoro judicium tuum exactum, quo non temerè quivis probatur: Sed tamen tot modis exploratum habeo hujus juvenis ingenium, ut illum non dubitem tibi vel meo periculo commendare.

A FACTO MEMORABILI.

Hercules olim adversus hydram Lernæam & cancrum congressurus, coactus est alienam opem implorare, qui solet opitulari cæteris.

Ego unus cum tot monstris dimicans, iisq; subinde novis exorientibus, quid faciam?

EXORDIA EPISTOLÆ, QUA ad scribendum provocamus.

MAjorem in modum te rogo obsecroque, ut posthac tantillum otij studiis negotiisque tuis suffurere, quò me nonnunquam literis tuis compelles.

Obse-

Obſecro te, mi cariſſime Mathuſalem, quoniam Dædali eſſe non poſſumus, ut pennarum beneficio conveniamus, ut literis ſubinde colloquamur.

Non quòd quidquam habeam te dignum, ad te ſcribo: Sed idcirco tantum, ut reſcribas: alioquin mihi nec cauſa ſcribendi eſt ulla, nec argumentum.

Tu velim ad me frequenter ſcribas, etiam ſi nihil magnoperè ſit quod ſcribas. Quanquam hæc ejuſmodi ſunt tempora, ut Epiſtolæ argumentum deeſſe non poſſit.

Dolui vehementer ac ſæpè, Sittarde doctiſſime, binas meas ad te literas proximo ſcriptas biennio, periiſſe: Periiſſe enim duco, quibus nihil adhuc reſponderis.

Doleo intermiſſam eſſe tam diu inter nos conſvetudinem dandi literas, quæ mihi erat multò jucundiſſima: Rogo te, quod quidem utriuſque noſtrum fiat commodo, ut ad eam revertamur.

Nimium jam diu eſt, ex quo nihil ad te literarum dedi, cum neque libentiùs faciam quidquam, quàm loquar tecum per literas, ubi coràm non datur. Et tu in intimis ſenſibus ſis infixus: Sed indicabo tibi, quæ me ratio deterruerit.

Etſi ſtatueram nihil ad te literarum dare,

nisi tu mihi Epistolæ argumentum ipse præbuisses: tamen cùm ad Fabricium, hominem utriusq; nostrum studiosissimum scriberem, putavi aliquid etiam ad te literarum esse dandum.

Non dubito quin tibi odiosæ sint Epistolæ quotidianæ, cùm præsertim nullâ novâ de re certiorem te faciam: Sed tamen euntibus ad te nostris domesticis, ut nihil ad te dem literarum, facere non possum.

Etsi nihil habeam hoc tempore scriptione dignum, ad te præsertim, cui publicis curis negotiisque occupato, non est temerè scribendum quicquid in buccam venerit: Singularis tamen amor in me tuus effecit, ut quidvis potiùs loquerer, quàm omninò tacerem.

Pridie, quàm has scriberem, jam alium quendam literis ad te datis oneraveram; verùm certiùs existimavi, si quid fortè fortunâ accidisset, alteras per hunc addere, non iisdem quidem verbis: sed eodem penè argumento.

Etsi nihil erat opus Epistolâ, proficiscente isthuc Vöglero nostro, qui res meas non minùs novit, quàm ego ipse: non potui tamen quin te saltem Epistolâ salutarem.

Etsi nostratia omnia nuntiis, aut rumore ad

ad vos perferuntur; tamen ea inscribam brevi, quæ potissimùm te puto ex meis literis velle cognoscere.

Quærenti mihi jam diu, quid tibi potissimùm scriberem, non modò certa res nulla: sed ne genus quidem literarum usitatum veniebat in mentem.

Optabam jam pridem, vir omnium integerrime, te meis literis compellare, ut tuas elicerem.

Ego etsi nihil habeo, quod ad te scribam: scribo tamen, ut tuas eliciam.

Etsi quid scriberem, non habebam; tamen amico ad te eunti, non potui nihil literarum dare.

Jamdiu ignoro quid agas: Nihil enim scribis, neq; ego ad te his duobus mensibus scripseram.

Scire cupio, quid agas & quàm longum istum tuum discessum à nobis futurum putes.

Certior per te fieri cupio, num jam advenerit Dux vester, aut quàm mox expectetur adfuturus?

Epistolæ argumentum ad te nullum prorsus erat, nisi id mihi Oberlenderus suis ad me literis præbuisset.

Expectamus omninò non Epistolam à te, sed

ſed ingentem literarum ſarcinam, quæ vel gravet tabellarium.

Tu velim ad me quam ſæpiſſimè, & de tuis rebus, & de meis, & de omni Reip. ſtatu, de quo ſum ſolicitus, ſcribas.

Cariſſime Puſendorfi, ſi valentibus ſalutem dicimus in capite literarum, multò magis convenit, ægrotanti tibi optare ſalutem.

Novi quòd ad te ſcribam, mi Zeiſolde, nihil eſt; & ſi quid eſſet, ſciebam te à tuis quotidie certiorem fieri ſolere.

Nihil erat novi, quod ad te ſcriberem; tamen cum Fichtelmannus noſter ad te proficiſceretur, non potui ei nihil literarũ dare.

Copioſiſſimam ad te Epiſtolam ſcribere, geſtiebat animus, ni & otium deeſſet, & propediem vos ipſe videre decreviſſem.

Non potui, quin ſciſcitarer ex te per literas, quid ageres rerum, ac quî valeres: quod tamen æquius fuerat me cognoſcere ex tuis literis, tuæque in illis erga me benevolentiæ habere teſtimonium: nec tamen puto me tibi ex animo effluxiſſe.

Revocarem te ad intermiſſam noſtram ſcribendi conſvetudinem, ni metuerem, ne impudenter viderer facere, qui tibi homini publicis functionibus occupato negotium ad-

adderem, itaque non poſtulo, ut tàm crebrò mecum per literas colloquare, quàm aliquando es ſolitus. Interdum tamen, rogo te, ne graveris aliquid ad me literarum dare.

Quid eſt, mi *Theodorice*, quod cùm jam plus minùs denas ad te dederim literas, tu unis vix reſponderis? Adeone refrixit tua erga me vetus amicitia, ut ne quidem me ſalutatione digneris?

Centenas jam ad te literas dedi: tu ne unas quidem reddidiſti, quid conjectem? quid divinem? Vivere te, an ſepultum eſſe?

Etſi conſtitueram nihil ad te dare literarum, niſi me ipſe vel ſcripto aliquo provocâſſes, vel hîc certè aliquid Epiſtola dignum occurriſſet: tamen cùm iſthuc Mercurius noſter proficiſceretur, homo noſtri ita ſtudioſus, ut ſe ſine meis literis hinc diſceſſurum eſſe negaret, ſcripſi has.

Vide plura in Hortandis ad mittendum literas formulis.

EXORDIA EPISTOLÆ, QVA *alicui reſpondemus.*

ACcepi literas tuas, quibus erat ſcriptum:

Accepi à te aliquot literas uno tempore.

re, quas tu diversis temporibus dederas, in quibus, &c.

Binas à te accepi literas eodem exemplo, quod ipsum argumento mihi fuit diligentiæ tuæ: Intellexi enim te laborare, ut ad me mihi expectatissimæ literæ perferantur.

Accepi literas à te binas, ad quas his unicis respondebo.

Magno dolore affecerunt me tuæ literæ, quibus ad me scribis.

Accepi literas tuas plenas humanitatis & æquitatis.

Legi tuas literas, in quibus mirificum tuum erga me amorem recognovi &c.

Libentissimè legi tuas literas, in quibus jucundissimum fuit, quod cognovi &c.

Petis, Rothi candidissime, ut tecum animi mei consilium communicem. Hoc unum habe.

Quod tribus Epistolis tuis postremis, carissime Neander unicâ respondeam, hoc est, de unâ fideliâ plures dealbem parietes, faciunt temporis mei angustiæ.

Ut primùm otium & tempus scribendi nactus sum, duxi esse rescribendum eis literis, quas ego abs te superioribus diebus accepi binas.

Mihi uno die tres sunt Epistolæ redditæ eodem, ut videbatur, abs te datæ tempore. Vna pluribus verbis: in qua, &c.

Et multarum rerum curis, atq; oneribus ita premor, optime Pormanne, ut respirare vix possim: tamen, ut literis tuis amantissimè scriptis aliquid responderem, abjeci omnia & officium, quod tibi à me debetur, habui antiquissimum.

Animi tui dotes, adolescens carissime, velut in speculo tua repræsentavit Epistola: quæ si tui unius Marte confecta fuit, sicuti fuisse nihil addubito, ausim tum mihi, tum seculo magnum quiddam de te polliceri.

Binas abs te accepi literas Lipsiæ datas. quarum alteris mihi gratulabare, quòd adiisses, me meam pristinam dignitatem obtinere, Alteris dicebas, te velle, quæ egissem, benè & feliciter evenire.

Seculum exisse scribis, quod ne literas quidem à nobis adfertur. Quanquam impudens ὑπερβολὴ, nam *seculum* istud vix *trimestre*; tamen ut me sine culpâ incusari doleo; ita tuo nostri desiderio maiorem in modum delector.

Accepi literas, quas *Volimbusius* ad me attulit; è quo cùm percunctatus essem, *de te*, quæ volebam. atq; is mihi omnia læta re-

ta respondisset, alacriore animo conversus sum ad lectionem literarum, in quibus recognovi animum tuum pristinum erga me, & plenam benevolentiæ & humanitatis voluntatem, qua mihi nihil accidere potuit optatius.

EXORDIA QVIBVS RESPONdemus ad Epistolam nobis gratam.

GRatæ mihi tuæ literæ fuerunt, ex quibus intellexi, quod etiam sine literis arbitrabar, te summâ cupiditate affectum esse videndi mei.

Amice candidissime, multò gratissimæ mihi fuerunt literæ tuæ, quibus etsi seriùs, quàm debeam rescribo; amo tamen effusissime meum *Adamum Helmium*.

Epistolam tuam accepi, quæ mihi tùm ob recordationem veteris notitiæ fuit jucundissima, tùm quòd abs te, cuius ingenij dexteritati ex animo faveo.

Epistola tua suaviter & amanter imprimis, eademq; elegantissimè conscripta, memoriam mihi nostræ consvetudinis, tuæque virtutis & humanitatis vehementer auxit.

Accepi literas tuas datas VVittebergæ extremo mensis Junii, ad me Septembri ineunte

te perlatas, ex quibus cognovi, quòd mihi fuit jucundissimum, te rectè valere.

Grata est mihi vehementer memoria nostri tua, quam significâsti literis; quam ut conserves, non quòd dubitem de tuâ constantiâ, sed quia mos est ita rogandi, rogo &c.

Bis nos exhilaras, Pormanne candidissime, dum muneri gratissimo literas addis multò svaviores: quare duplici nomine tibi gratias ago.

Gratissima mihi tua fuit Epistola, quæ testabatur veterem illum tuum in me animum: Meus verò cur mutatus esset, nulla est causa.

Accepi literas tuas & svaves profectò, & eruditas: quibus non aliter sum oblectatus, atque olim tuâ consvetudine, cùm essem apud te.

Variè sum affectus tuis literis, doctissime ac humanissime *Olmanne*: valde priore paginâ perturbatus, paululum alterâ recreatus.

Gratæ mihi tuæ literæ fuerunt: imò verò & exoptatæ, quæ mei apud te memoriam residere, mihi indicârunt.

Quo magis præter spem acciderunt, hoc gratiores fuerunt tuæ literæ mihi, non semel votis ardentissimis exoptatæ.

Gratum erat tuum munusculum; gratior Epistola tam amica; gratissimus animus.

Accepi literas tuas, immò meros amores; quid enim aliud sonant? quid aliud spirant?

Tua Epistola tantò mihi jucundior fuit, quantò longior, præsertim cum &c.

Quo minus expectatæ venerunt tuæ literæ, hoc mihi plus voluptatis attulerunt.

Jam dies octavus agitur, aut plus eo, cùm optatissimas abs te accepi literas.

Accepi Epistolas tuas, aliam aliâ jucundiorem.

Multa me in Epistolâ tuâ delectârunt, sed nihil magis, quàm quòd &c.

Quas ad me his proximis superioribus diebus literas dedisti, mi Murete, incredibili me affecerunt voluptate: quod enim plerique solent ægrè ferre, id mihi planè jucundissimum fuit, nempè ut me objurgares.

Literæ tuæ perbreves, sed amoris humanitatisq; plenissimæ, hoc mihi etiam fuerunt jucundiores, quod manu tuâ scriptæ.

Epistola tua, Præceptor humanissime, quæ mecum de non missis ad te literis expostulas, mirum in modum me delectavit: Gaudeo profectò mihi datam, quod aiunt, ansam crebrioribus, quàm hactenus, te literis salutandi.

Magnâ me voluptate affecerunt tuæ literæ, ex quibus perspexi, vigere apud te & memoriam amicitiæ nostræ, & studium propensæ erga me voluntatis, quam ego habui semper carissimam, ab eo usque tempore, quo, &c.

Tanti sunt mihi tuæ literæ, mi *David VVernere*, ut nullo pacto credam posse me illis rescribendo satisfacere: Tanta rursus tua est humanitas, ut te boni consulturum, quicquid à nobis proficiscetur, existimem.

Non facilè dixerim, quantum voluptatis, ex Epistola tua acceperim: Est enim mihi gratissimum, cùm & me à te amari, & te amore in te meo delectari perspicio: Ex quo fit, ut literas tuas benevolentiâ plenissimas & officiis jucundissimè legam.

Redditæ sunt abs te literæ: nec jucundissimæ solùm, immò etiam salutares: quod enim te salvum mihi & sospitem nunciârunt, per id quoq; mihi incolumitas est restituta. De qua re & tibi gratulor, & mihi gaudeo, Deumq; supplex oro, ut in optimo statu diutissimè valere nos jubeat.

Jucundissimæ mihi fuerunt tuæ literæ, idque ipsum sanè multis de causis. Primùm, quòd tuæ, hoc est &c. Deinde, quòd mirificam quandam tuæ erga me voluntatis si-

gnificationem habebant. Adde etiam, quòd perbellè scriptæ, spem mihi attulerunt non dubiam, talem te aliquando fore, qualem ego te, vel ingenio, vel diligentiâ tuâ fretus, multis futurum prædicâssem.

Maxima sum ex tuis literis affectus voluptate, non eo solùm, quod suavissimè scriptæ magnam tuæ erga me observantiæ significationem haberent (quanquam idipsum mihi, pro eo, sanè ac debuit, fuit gratissimum) sed quòd eâ verborum puritate, atque elegantiâ essent contextæ, ut meam de studiorum tuorum cursu opinionem planè confirmarent, atq; haud scio, an etiam vincerent.

Ex tuis literis, quæ me de tua valetudine reliquisque tuis rebus erudierunt, magnam cæpi voluptatem, propterea quòd & elegantes ipsæ sunt, neque tantum Latinè, sed etjam politè scriptæ, & tuam erga me benevolentiam, quam ego semper feci plurimi, magnoperè præ se ferunt. Itaque nihil mihi potuit optatius accidere.

Gratissimæ tuæ literæ mihi fuerunt, quæ & veteris nostræ amicitiæ memoriam mihi renovârunt, & declarârunt in te non parùm adhuc amoris erga meipsum residere: quo mihi nil optatius, neque jucundius accidere potu-

potuit: tibique hoc de me esse persuasum volo, si quem mihi aliquando locum tibi gratificandi dederis, magno me abs te affectum beneficio esse arbitraturum. Tu ut valeas, & me diligas; magnoperè abs te peto.

Ego nullius literis æquè delector ac tuis, ex quibus multiplicem capio tum fructum, tum voluptatem. Primùm, sive mecum litigas, sive rides, sive lacessis, discedo doctior. Nihil enim abs te proficiscitur adeò neglectum: quod aliorum quantalibet curâ possit æquari. Deinde, &c.

DE NARRATIONE, PROPOSItione, Confirmatione, Confutatione & Conclusione Epistolarum conjunctim.

NArratio, si necessaria aut usui sit, rem tractandam explicat. Hæc brevis, dilucida, verisimilis, jucunda sit oportet; Brevis & jucunda libentiùs legitur. Dilucida faciliùs intelligitur: Verisimilis citiùs probatur.

Ex narratione mox referenda Propositio quæ Confirmationis caput est, summamque rei, de qua sumus scripturi, comprehendit.

Huic succedit Confirmatio, quæ rem propositam rationibus munit.

Pòst si quid ab adversario objectum sit,

vel objici possit, vel ipsi propositioni contrarium videatur, in Confutatione refellimus, aut excusando diluimus.

Postremo sequitur Conclusio, quæ est Epistolarum terminus, quo frequenter lectoris animum ad id, quod petimus, nitimur quàm maximè commovere.

In hac, si quam rem magnam petieris ab amico, aut grave & arduum quid volueris ipsi persuadere, fit interdum argumentorum repetitio qua res dispersæ reminiscendi causâ in unum locum revocantur, & quasi sub adspectum subjiciuntur.

Hæ Rhetoricæ orationis partes, etsi non semper omnes in omnibus; plures tamen in pluribus frequenter deprehenduntur, aut necessariæ sunt doctè scribentium Epistolis, id quod ex Ciceronis suprà positis Epistolis aliquando cognosci potest.

EXEMPLVM HOC LOCO SIT TALE.

† Narratio.

Narravit mihi nudius tertius non sine dolore frater tuus, quòd posthabitis bonarum literarum disciplinis te ad studium illiberale adjungere decreveris, & nullo vel parentum monitu vel amicorum rogatu nullâq; utilitatis, vel priorum impensarum habitâ ratione, deduci possis à sententiâ

PROPOSITIO.

TV tamen, mi Lentule, vel me auctore, mentem istam mutabis: & sordidis opificum laboribus relictis liberalium artium studiis, nunquam satis laudatis, & post virtutem rebus omnibus anteferendis, ut cœpisti, inhærebis.

CONFIRMATIO.

AD quod te non modò parentum tuorum, quibus divino præcepto non parum debes, imperium: aut amicorum & necessariorum quos temerè aversari non decet preces & suasiones, verùm multò maximè ipsa bonitatis, & æquitatis ratio inducet, quæ tibi nihil honestius, nihil utilius, nihil jucundius fore ingenuis artibus ostensurus sum.

AB HONESTO.

NAm si Honesti te ratio movet, quæ profectò omnem probum adolescentem movere debet, quid quæso, bonis literis honestius, quæ divinæ cujusdam originis multis retrò seculis semper omnibus prudentibus in precio fuerunt? Quid iis honestius, quæ te à stupidis & (si dicere liceat) brutis hominibus secernunt sine quibus inter hominē & pecudem vix ullum discrimen est. Quid iis honestius, quæ te ad Dei veri contemplationem, cælestium rerum cognitionem & verarum virtutum ducunt amplexum, sine quibus haud secùs, ac porcus

cui quidam Arcananius nulli rei magis homo, quàm ventri studet, terrenis incubat, & æternis neglectis, perituris inhiat.

A JUCUNDO.

ETsi voluptatem quæras, sic ea in re literariâ honestati conjuncta est, ut nesciam profectò, an in literis plus honestatis, an jucunditatis invenias. Quid enim, per Deum immortalem suavius, quàm perpetuò cum Musis versari & earum casto contubernio perfrui? si verseris in agro, tecum fabulantur. si intres domum, quiescis cum illis, nec poteris mœrore tabescere, qui in earum tripudio perpetuum captabis solatium.

AB UTILI ET NECESSARIO.

QVod si fortè (ut subinde fieri solet) plus ea quæ commodo sint quàm ea quæ vel honesta, vel jucunda spectes quid (obsecro) literis & eruditione utilius, ne dicam plus necessarium, sine quibus neq; virtus, neq; Philosophia tibi cognita, neq; divina neq; humana scriptura manifesta. Immò si literas è mundo funditus sustuleris: omnia simul divina pariter & humana prorsus confuderis. Neq; enim Respub. dignè administrabitur, neq; res familiaris ut decet gubernabitur; neq; quod in primis dictum oportuit, res Ecclesiastica erudiendo, consolando, & arguendo promovebitur. Si divitias quæras (id quod tamen Christiano homi-

ni turpe judicatur) quem vidisti unquam doctissimorum inopia laborâsse? Si τὸ τέχνιον πᾶσα γαῖα τρέφει (ne dubites) te maximè nutriet, qui plus cæteris commedare potes mortalibus, neq; id quidem absq; laboribus tuis atq; sudoribus.

CONFUTATIO.

NAm dicturus es fortasse, hominem ab exordio, suæ conditionis à Deo Optimo Maximo labori destinatum: in sudore (siquidem dicit) vultus tui vescéris pane tuo. Sit ita sanè, an tamen putem te tam puerili ingenio, ut solis corporis sudoribus hominem destinatum intelligas?

An non habet immensos labores (quanquam citra tædium) hæc ipsa, priusquam apprehendas, scholastica eruditio? Neq; tum quoq; cum apprehenderis ullus socordiæ locus erit. Aut enim viam veritatis populum ignarum è suggestibus docebis; aut rudem pueritiam, & informem adolescentiam in Schola erudies & formabis, aut in rebus dubiis anxios Juris prudentia, & consilio juvabis, aut ægrorum corporibus ipse sanus medeberis.

CONCLUSIO.

ITaq; mi Lentule, quo tandem Epistolam concludam, prudens q; corporis tui teneritatem, quâ vel ad mediocrem laborem ineptus es, præteream, cum

nâ-

nihil sit quod vel æquè delectet, vel æquè commodet, ac bonæ literæ, aut bonarum artium eruditio; debes profectò non tam meo consilio, quàm veritatis impulsu, ab inconsulto & insulso tuo proposito desilire, & per bonas literas pro ingenii tui dexteritate, qua, quicquid etiam voles facillimè apprehendes, ad reliquas pergere artes & disciplinas. Moveat te patris desiderium, matris lacrymæ, proximorum, affinium, & omnium amicorum affectuum plenissima deprecatio. Certè non potes pro ingenitâ tibi probitate, nobis omnibus neglectis, tergiversari. Vale, & nos, ut soles ama.

CONCLUDENDI EPISTOLAM *formula.*

Epistolam ita concludam. Epistolæ ita finem faciam, ita finem imponam. Hæc ferè sunt, quæ in præsentiâ tibi nota esse volui. Habes, quàm brevissimè potuit, totum Reip. statum.

Habes quæ scire cupiebas. Vale.

Habes ferè de rebus omnibus. Vale.

Hæc habebam, quæ te scire vellem.

Hæc habui: quæ de his rebus ad te scriberem.

Hæc ferè ad eas literas, quas accepi abs te proximè.

Ex-

Extremum illud est, ut te orem & obsecrem.

Finem scribendi faciam, si te primùm monuero, ut me diligas.

Sed ne longior, vale & me, ut facis, ama.

Plura otiosus: hæc subitò, & variè distractus.

Epistolæ clausula hæc erit; ut benevolentiam in me tuam perpetuò conserves.

Reliquum est, ut à te petam, ut me de rebus tuis omnibus quàm sæpissimè facias certiorem, quò nihil gratius expectare à te possum.

Hæc ad te in præsenti scripsi, ut speres te assequi id, quod optâsses.

FORMULÆ AMICOS IN EXTREmis literarum Salutandi.

SAlutabis ex me patrem officiosè.

Eum à me perofficiosè saluta.

Eum meis verbis amanter saluta.

Fratribus à me salutem plurimam nunciato.

Fratribus ex me salutem multam dicito.

Salutato parentes meo nomine.

Mihi apud amicos vicarius sis quæso salutator.

Salvebit à me Trûbsbach officiosè & accuratè.

Bernhardo Husano precaberis à me læta omnia & felicia.

Humanissimis & integerrimis viris, Henrico Olschlegelio, & Johanni Birknero, olim Scholæ nostræ alumnis, officiosè à nobis salutem dicito.

Salutem à me Henrico Alberti, & si quem alium benevolentem videris.

Eximios viros Cholinum & Gualterium, etiam atq; etiam à me salvere jube.

D Johannem Cellarium præstanti eruditione & integritate virum, jubebis à me salvere plurimùm.

Schelgerum nostrum eximiâ spe, summæq; virtutis adolescentem saluta meis verbis officiosè.

Amicos omnes, sed inprimis nostrum Pormanum jubebis à me salvere plurimùm.

Ad Georgium Grunerum si quid dederis literarum, adscribes à me illi salutem plurimam.

In salutandis amicis, quoniam non vacat nunc pluribus scribere, Clauderi tui vices obeas velim.

Onerabo te non gravi sarcinâ, ut Parthenopolim proficiscens meo nomine salutem præ-

præferas ad amplissimum illius urbis Antistitem.

Salvebit à me Helmius & reliqui, quos istic me nosse putes.

Contubernalem nostrum Andream Pitzlerum quando videris, volo, ac vacabit, paucis verbis, suo ipsius more; à me jube salvere plurimum.

Joanni Müllero si aliquando oportunum fuerit, salutem à me dicito, quam propriis illi literis nuntiare voluissem, si, ubi locorum ageret, compertum habuissem.

Adolescenti multis animi fortunæq; dotibus ornatissimo Johanni Antonio Volckenand, precaberis à me salutem plurimam, & felicem studiorum successum.

Amicis meis verbis salutem nunciato, nominatim verò humanissimis & integerrimis viris Abrahamo VVintero, & Laurentio VVilhelmi, quorum, cùm istic agerem, suavissima consuetudine valdè oblectabar, salutem ex me impertire plurimam.

Matthiæ Reinero meis verbis salutem impertias velim. quæque à me proficisci possunt, omnia pollicearis ac deferas.

Totam familiam tuam per te meis verbis salutatam volo.

Quæso

Quæso ut sodalitatem totam mihi salutes accuratè.

SALUTANDI verbum interdum, ut subsequentia exempla docent, intelligitur.

Cicero: Terentia tibi salutem.
Idem: Ceciliæ bellissimæ salutem.
Idem: Dionysio plurimam salutem.
P. Manutius: Vale, & Duditio meo, } salutem.
P. Bembus. Patri tuo multam }
Idem: Patri tuo & matri multam }
Idem: Doctoribus tuis multam

Est verò Ellipsis hujusmodi *Bembo* frequentissima, nec eadem infrequens apud nonnullos alios: præsertim Neotericos.

FORMULÆ SALUTANDI quempiam alterius nomine.

P. Gemplerus officiosè te jubet salutari.
Jubet te salvere plurimùm.
Jussit tibi multam adscribi salutem.
Plurimam tibi impertit salutem.
Impertiri te jussit plurimâ salute.
Annunciat tibi ac tuis salutem.
Jussit me tibi salutem scribere.

Vel sic:

Precatur tibi ac tuis omnia felicissima.
Precatur tibi omnia evenire prosperrimè.
Nihil non optat tibi faustum ac lætum,

Vel

Vel pluribus Verbis.

Salvebis à Lehmanno nostro, adolescente mihi summè dilecto: & nostri observantissimo. Jam Epistolam compiicaveram, cùm adiret me fortè Bartholomæus Thalerus noster, qui te plurimùm jussit meis verbis salvere.

Cicero: Valebis, & valere filiam & Cæciliam nostram jubebis: salvebis à me Cicerone.

RESALVTANDI FORMVLÆ.

FRatres Springesfeldij, per me tuis verbis salutati, vicissim te meis verbis officiosè resalutant.

Backero & Kittelmanno abs te salutem dixi, qui lætissimi audierunt, remittuntq; salutem ingenti fœnore cumulatam.

Iohannes VVolffgangus Kuhn quam tuis verbis salutem dixi, libenter accepit, & vicissim te his literis officiosè salutare jussit.

Eimmeri nostri, per me diligenter salutati, dederunt hoc mihi negotij, ut te vicissim juberem suo nomine salvere plurimùm.

RATIO EXCVSANDI EPISTOLAM *neglectius conscriptam.*

Epistolæ character neglectior, testis est summæ nostræ festinationis.

Hæc

Hæc exaravi multis distractus negotiis, animoq; curis valdè impedito.

Ex tempore scripsi hæc, & incogitantiùs, alioqui nec meditatus satis probus scribendi artifex. Hæc scripsi raptim; & plusquam ex tempore, fortè oblato tabellario; scribam aliâs accuratiùs.

Hæc subitò; cùm incidissem casu in tabellarium: scribam aliàs accuratiùs.

Hæc subitò; cùm incidissem casu in tabellarium itineri jam accinctum.

Hæc scripsi festinanter, festinans, properans, animo alia cogitante; quod velim ignoscas.

Hæc in summâ vacui temporis inopiâ scripsi.

Dictavi hanc ad te Epistolam; non scripsi, quòd jam essem scribendis literis defatigatus. Rectè vale.

Hæc scripsi præproperè & perturbatè, quòd ex literis ipsis, & sensu facilè conjicis, quæso festinationi meæ, & brevitati literarum des veniam.

DE VALEDICTIONE:

V*aledictio est*, qua post Epistolæ Conclusionem, precamur alteri prosperam valetudinem.

Quem-

Quemadmodum ex congressu ac sermone hominum salutatio: sic etiam valedictio, ad Epistolam translata fuit: & quomodo congredientem ante omnia: ita discedentem quoq; post omnia salutem precari, cujusdam humanitatis faustique ominis judicabatur. Ergo illâ quidem ordiri Epistolam, hâc eandem exaratam atq; confectam claudere consrevimus, idque secundâ personâ semper utentes: Nemo enim sic scribet; Cicero Terentiam suam benè valere jubet.

VALEDICENDI RATIO.

Vale. Valeto Valebis.

Vel adjuncto Adverbio.

Benè vale. Rectè valeas. Vale feliciter. Vale rectissimè. Vale etiam atq; etiam.

Vel pluribus verbis.

Fac valeas. Fac ut valeas. Da operam ut valeas.

Maximè da operam ut valeas.

Cura, ut valeas etiam atq; etiam.

Valetudinem tuam fac cures diligenter.

Fac ut tuam, & Tulliæ valetudinem cures.

Tu velim tuam & Tulliæ valetudinem cures.

Te oro etiam atque etiam, mi frater ut valeas.

Quantam diligentiam in valetudinem tuam contuleris, tanti me à te fieri judicabo.

Quantum me diligis, tantum fac ut valeas, vel quantum te à me scis diligi.

Indulge valetudini tuæ.

Valetudini omni ratione cura ut inservias.

Valetudini tuæ, si me & omnes tuos valere vis diligentissimè, servias.

Benè valere te cum omnibus tuis precor.

Vale felix, & faustus vir omnium humanissime.

Incolumem te nobis diu servet Christus Opt. Max.

Adjicimus interdum aliquid post verbum Vale quod ejus, cui scribimus, animo velimus tenacius inhærere.

Vale, & stude. Vale, & rescribe, Vale, & DEUM time. Vale, & me, ut soles, dilige. Vale, & tui amantem redama. Fac valeas, meque mutuò diligas. Fac valeas, meque ames.

Vale, & me solito amore fac prosequare.

Vale, & si me amas, labores ama & studia.

Vale, & huc ad nos quàm primùm advola.

Vale, & scribe ad me quàm frequentissimè.

Vale, & me tui amantissimum vicissim ama.

Vale,

Vale, & literarum ſtudiis incumbe diligenter.

Vale, & nos ſæpiùs tuis literis ſi eſt otium, ſaluta.

Cura ut valeas, & me, ut amas, ama.

Cura ut valeas, meque ames amore illo tuo ſingulari.

Vale, & nos ama, ſi par pari referre velis, amore omninò non vulgari.

Benè valeat R. T. C. cui omnibus me modis, & ex animo commendo.

Vale, & ſi me amas, ad nos, ut facis, de rebus omnibus frequenter ſcribe.

Vale, mi ſvaviſſime *Greimi*, & tibi perſvade te à me non vulgariter amari.

Vale, plura ad te ſcribam, cùm, quas avidè expecto, tuas aliquando accepero.

Bene vale, doctiſſime Præceptor, cui me totum quantus ſum, dico conſecroque.

Cicero ad Uxorem & liberos: Valete, inquit, mea deſideria, valete.

Vale, & commenda me precibus Domino, mutuum orationis beneficium impenſurus.

Benè vale in Chriſto Jeſu, & me ex animo tibi faventem redamare perge.

Benè vale noſtri memor, præſertim in precibus tuis.

Vale, & boni consulas has literas plusquàm extemporarias.

Vale, & tumultuariam hanc responsionem æqui boniq; consulas.

Vale, & si quod liberiùs & impudentiùs effutivi, da veniam homini non aliter instituto.

Vale, & nos dilige: quod te ita facere non dubito, ut nihil habeam tuo in me amore nec certius, nec jucundius.

Valebis ipse & humanissimum virum Tobiam Eckardi cum universâ familiâ benè valere jubebis.

Fac ut diligentissimè teipsum custodias.

VIVe, VaLIDIssIMè VaLeqVe.

FORMULÆ SUBIICIENDI ALIquid post Vale, quod in mentem non venit.

VAle, sed percommodè hoc mihi nunc in mentem venit.

Vale, sed heus tu, fermè præterieram, quod inprimis dictum oportuit.

Vale; sed heus mane paulisper; succurrit nunc quod non oportuit prætermissum.

Vale; sed heus tu, manè paulisper; omisi quod non minùs libenter leges, quàm cætera.

Vale;

Vale; sed ô me obliviosum, nunc demum occurrit animo, quod primo loco dictum oportuit.

Vale; sed obsignaturo Epistolam illud percommode venit in mentem, quod omissum dolerem.

Vale; jam obsignabam Epistolam, cùm alteras tuas ad me literas reddit veredarius; itaque resignavi, & eâdem operâ binis tuis respondeo, ac primùm de, &c.

Vale; jam parabam obsignare literas; sed quia præter spem otii non nihil obtigit, libet etiam diutiùs garrire tecum.

Post hujusmodi verò revocationem solemus ferè addere.

Rursum vale. Iterum vale, vale iterum atq; iterum.

Iterum, & sæpiùs vale, mi Pater.

SIC ET CICERO VALEDICtionem iterat.

FAc planè ut valeas, nos ad summum. Vale. Idem nonnunquam post *Vale* subjicit *Salve*. Ad Tironem Epist. 9. Vale, salve. Et Epist. 6. Vale mi Tiro, vale, vale, & salve. *Plautus*. Quando ita tibi libet, Vale atque salve.

Sed veteres ea tum potissimum jungebant, quan-

quando ab iis discedebant quos se nunquam iterum visuros sperabant.

Χαῖρε quoque Græcis in principio & fine orationis ponitur. ἔῤῥωσο verò id est, vale, & ἔῤῥωσθε valete, fini solùm conveniunt. Dicunt quoq; εὐτύχει, id est, esto felix: εὐτυχεῖτε, id est, estote felices.

Post Vale continenter Locum & tempus adscribunt veteres.

LOCUS ADSCRIBITUR hoc modo.

DAta: vel Datæ: vel Datum: vel omisso Participio: VVittebergæ, Naumburgi, Carthagine, Parisiis.

Nonnulli, utuntur interdum Ablativo, Dresdâ, Chemnitio.

Sed tunc, auctore Terentio Scauro, participium *Datum* est omittendum, quod in loco, non è loco, significat.

Præpositio additur Barbaris: ut Ex Mosbach, & Appellativus: ut; ex Museo nostro.

TEMPUS ADSCRIBITUR hac ratione.

ANno Domini, Millesimo sexcentesimo vigesimo nono. Anno restitutæ per Christum salutis sesquimillesimo centesimo vigesimo primo.

Anno

Anno Christi nati supra bis octingentesimum vigesimum nonum.

Anno à natali JESU CHRISTI post millesimum sexcentesimum vigesimum nonum.

VEL SIC.

Anno à Christi natali: A Christi nativitate: post natum Christum cIↄ Iↄc XXIX.

VEL SIC.

Anno humanæ salutis, partæ salutis: assertæ salutis, M.DC.XXIX.

VEL SIC,

Anno à Virginis partu: à partu virgineo: partus salutiferi, 1629.

DIES MENSIS ADSCRIbitur hoc modo:

PRimo die mensis Januarij. Decimo Julii.

VEL IMITATIONE VEterum sic.

IPsis Kalendis, Nonis, Idibus, Januarii vel Januariis.

Quarto Kalendas, Nonas, Idûs, Julii vel Julias, Decembris, vel Decembres: in quibus *ante* Præpositio per Ellipsin subauditur, quasi dicas, Quarto die *ante Kalendas*, hoc est eum diem, qui dicitur, Kalendæ.

Idem prorsus est III. Kalendas, & ad III. Kalendas: sicuti non differunt, ad diem constitutam venire, & die constitutâ. Quare audiendi non sunt Grammatici, qui ita ad III. Kalendas & III. Kalend. distinguunt, & per hoc definitus atque certus dies significetur, qui est tertius, per illud verò non intelligamus ipsum tertium diem: sed diem aliquem illi propinquum: ut perinde sit dicere, ad tertium Kalendas, ac si diceremus, circiter tertium Kalendas. Tullius & cæteri scriptores optimi hæc Grammaticorum somnia & commenta refutant. Et ut nihil differunt, III Kal. & ad III. Kalend. Sic nullo modo discrepant, ad Kal. Quintiles; & Kalendis Quintilibus.

Ante diem 5. Kalend. Majas, id est, eo ipso die 5. Kalend. Maij, 27. videlicet Aprilis.

In ante diem 15. Kalend. Novemb. id est, in diem illum ipsum, qui est 15. ante Kalend. Novemb. nimirum 18. Octobris, annumerato ipso Kalendarum die, quod in his loquendi generibus notandum est. Ex ante diem Non. Junii, id est, eo ipso die Nonarum Junii, ex 5. die mensis Junii. Hujusmodi locutiones pro eo ipso die, non præcedente illum numerum, qui exprimitur, accipi debent.

Quot

Quot autem dies quisq; mensis, quot Kalendas, Nonas, Idûs complectatur, his versibus clarè docetur.

Junius, Aprilis, September, *itemq;* November,
Usq; dies ter *habent* denos: *reliqui magis unum*
Sit nisi bissextus, vicenos Februus *octo*:
At si bissextus fuerit, superadditur unus:
Et tunc bissexto Marti *conscribe Kalendas.*
Prima dies mensis cujusq; est dicta Kalendæ.
Mars, Majus, *quoq;* Julius, Octoberq; *requirūt*
Sex Nonas: Octo reliqui modò quatuor optant.
Quilibet octonas mensis sibi vendicat Idus.
Inde dies alios omnes dic esse Kalendas.
Quas retrò numerans dices à mense sequenti.

EXPOSITIO.

PRimus dies cujuslibet mensis à Kalendis nomen accepit. Primo enim die Januarii dicere solemus: Kalendis Januarii. Primo item die Februarij: Kalendis Februarii: atq; ita in cæteris. Alij autem omnes dies à Nonis vel Idibus ejusdem mensis, vel à Kalendis insequentis mensis notari solent: ita ut die, qui quatriduo abest inclusivè à Nonis, Idibus, vel Kalendis, (duobus nimirum diebus interpositis) dicendum sit: Quarto Nonas: Quarto Idus, & quarto Kalendas: Hoc est, quarto die ante Nonas, Idus, Kalen-

das inclusivè. Porrò ut quemcunque diem mensis propositi ritè denominare scias à Nonis, Idibus & Kalendis, memoriæ mandandi sunt dies, in quos Nonæ atque Idus cujuslibet mensis incidunt. Hi autem facile ex Nonarum; atque Iduum cujusque mensis numero comprehendi possunt: Ut, quia hi quatuor menses Martius, Majus, Julius, October habent sex Nonas: alii autem 8. menses, Januarius, Februarius, Aprilis, Junius, Augustus, September, November, December 4. duntaxat, cadunt Nonæ in 4, prioribus mensibus in diem 7. in posterioribus verò 8. in diem 5. Numero enim Nonarum adjiciendus est primus dies, qui non à Nonis: sed à Kalendis nomen sumit, ut dies habeatur Nonarum. Verùmenimverò cum singuli menses habent 8. Idûs, si diei Nonarum addantur. 8. incident Idus priorum 4. mensium in decimum quintum diem, posteriorum verò octo in diem decimum tertium. Cæterum priusquam diem cujusvis mensis propositum, à Nonis, vel Idibus, vel Kalendis denomines, vide prius, num mensis ille 6. Nonas habeat, an quatuor? Si enim 6. habuerit, & dies propositus est 7. appellabis diem illum Nonas illius mensis. Quod si dies oblatus est ante diem septimum, vel post,

ante

ante tamen 15. diem, detrahe ejus numerum, demtâ prius unitate (numerum videlicet ejus diei, qui propositum antecedit in Kalendario) ex 7. vel 15. & reliquum numerum denomina in Nonis, vel Idibus, prout dies propositus fuerit ante diem 7. vel ante diem 15. At si datus dies diem 15, consequitur, subtrahe eius numerum, demtâ prius unitate (numerum scilicet eius diei, qui in Kalendario diem datum proximè anteit) ex numero dierum totius mensis propositi, si tamen priùs unitatem addideris ad mensis dies (nimirum primum insequentis mensis diem, in quem eius Kalendæ incidunt) & numerum reliquum à Kalendis mensis insequentis denomina. Eadem hæc in posterioribus 8. Mensibus servabis omninò, dummodò pro 7. die Nonarum, & 15. Iduum sumas, 5. & 13. in quos videlicet dies Nonæ, atq; Idus illorum mensium incidunt.

Exempli gratiâ; designandus sit dies 3. Martij, qui nonas diei 7. antecedit. Deme 2, (numerum videlicet unitate minorem numero diei 3. Quinto Nonas Martij; hoc est, quinto die ante Nonas inclusivè. Rursus detur dies 10. eiusdem mensis, quia Idus cadunt in 15, diem Martij, & dies 10. propositus est post Nonas, detrahe 9, ex 15, ut re-

liqua fiant 6. Dices igitur die 10. Sexto Idus Martii. Præterea offeratur dies 23. Junii, quoniam Idus præterierunt, & Kalendæ Julii, insequentis incidunt in diem 31. à Kalendis Junii numeratum, (quod Junius habeat dies 30) auferamus 22. ex 31. & relinquamus 9. Die igitur 23. Junii. dicendum est, Nono Kalendas Junii.

Sic deniq; datus dies 10. Augusti, quia Nonæ præterierunt, Idus verò in diem 13. incidunt, si 9. ex 13. demantur, remanebunt 4. Dices ergo tunc, Quarto Idus Augusti. Adverte interim, quando numerus reliquus est 2. non esse dicendum, Secundo Nonas, vel Idus, vel Kalendas; sed pridiè Nonas; Idus vel Kalendas.

Jam verò si dies proponatur à Nonis vel Idibus alicujus mensis, aut à Kalendis mensis subsequentis denominatus, velimusque scire, quotus dies mensis is sit; detrahendus erit numerus denominationis, minùs uno ex numero diei, in quem Nonæ vel Idus cadunt, vel Kalendæ insequentis mensis, prout dies denominatus erit Nonis, vel Idibus, aut Kalendis: Reliquus enim numerus dabit diem mensis, qui quæritur. Verbi gratiâ, Scriptæ sunt literæ quædam, Quinto Idus Januarij: Quandoquidem

Idus Ianuarij in 13. incidunt diem, demendus erit numerus 4. (unitate ſcilicet minor numero Quinti Idus) ex 13. ut reliquus ſit 9. Fuit ergo dies ille, quo literæ ſcriptæ ſunt, dies 9. Januarij.

Item datæ ſunt aliæ literæ, Pridie Nonas Octobris, Quoniam Nonæ Octobris cadunt in diem 7. auferamus 1. (Numerum ſcilicet unitate minorem numero ſecundi Nonas, qui Pridie, ut ſupra dictum, profertur) ex 7. relinqueturq; dies 6. Octobris.

Poſtremò ſcriptæ ſunt aliæ literæ, Decimo octavo Kalendas Julij, qui dies in menſe Junio exiſtit: Quia Calendæ Julij cadunt in diem 3. à Julij Kalendis numeratum, cùm Junius habeat dies 30. Ædetrahantur 17. ex 31. ſuperſunt 14. Literæ ergo illæ ſcriptæ ſunt die 14. Junij proximo videlicet poſt Idus.

Non abſurdum eſt, quod nonnulli noſtris feſtis indicant diem.

Natalibus Chriſti Salvatoris, Pridie omnium Sanctorum. Die feſto Paſchæ. Feriis Paſchalibus. Eccleſiaſticæ Dedicationis feriis. Regalibus vel Epiphaniorum die, Martinalibus, Hilaribus, Cineralibus, Paganalibus.

QVINETIAM DIEI AC NOCTIS horam adscribere licet.

PRimâ luce. Summo manè. Diluculo. Crepusculo matutino, vel vespertino. Sub cœnam. Inter cœnam; Mox â cœna. Nocte vel noctu. Adventante jam nocte. Multâ, profundâ, vel altâ nocte.

Si quis recentium secutus consuetudinem, nomen suum in capite literarum non expresserit, in calce illud omittere non potest: Idq; nunc solum, nunc adjuncto Epitheto ponet, hoc modo:

Tuus, tuus totus. Tuus toto animo. Tuus toto pectore. Tuus toto corpore & animo. Tuus, ut scis. Tuus ut nosti. Tuus idem qui semper. Tuus usu & fructu. Tuus mancipio & nexu, χρήσει tuus,

Tui amantissimus. Tui studiosissimus. Tui cupidissimus. Tui observantissimus.

Tibi deditissimus. Tui devinctissimus. Tibi addictissimus.

Tibi obediens. Tibi obsequens, Tibi dicto audiens. Tibi morigerans, Tibi morem gerens,

Filius

David Geschka,

AD SVMMÆ DIGNITATIS viros hoc nunc modo plerunq; scribitur.

Tuæ clementiæ } deditissimus clientulus N. N.
Tuæ celsitudini.
Tuæ amplitudini.

AD MINVS NOBILES MInusq; præstantes sic:

Nobilitati tuæ } addictissimus cliens N. N.
Dignitati tuæ
Reverentiæ tuæ

VEL BINIS LITERIS.

T. C. } devinctiss.
T. A. } subjectus.
T. N. } N. N.

VEL TERNIS LITERIS,

R. T. A. } hoc est { Reverendæ tuæ Amplitudini,
R. T. D. } hoc est { Reverendæ tuæ dignitati.
R. T. C. } hoc est { Reverendæ tuæ Celsitudini.

Novam hanc consuetudinem scribendi, licet doctissimorum quidam (qui solo utuntur Nomine, vel Nomine & cognomine tantum) contemnant; si tamen his & similibus substantivis modicè, & in loco utatur, & graviorem amplificando reddemus

Epistolam, & sermonem gratâ varietate ornabimus, verbi gratiâ:

Succurre mihi inopi vir ditissime: Nostram inopiam tua sustineat copia: vel: Nostram tenuitatem tua foveat liberalitas.

Vir prudentissime mihi stulto sis præsidio: stultitiæ meæ tua prudentia sit præsidio.

Obsecro te, pater piissime: obsecro tuam pietatem pater.

Gratulor tibi, vir fortissime: Gratulor tuæ virtuti.

Condona mihi hunc errorem vir mansuetissime: Condonet mihi hunc errorem tua mansuetudo.

Non est hominis imperiti, viro prudentissimo consilium dare; Non est meæ imperitiæ; tuæ prudentiæ consilium dare.

Te, inquam, appello vir impudentissime: Tuam appello impudentiam.

Vulgò scriptorum in hujusmodi neque modus est ullus, neq; tempestivitatis ratio: sic enim passim: Dominationis tuæ literas accepimus: Et: Reverendissima tua prudentia mihi literis significavit: &, Nobilitas tua meo nomine salutabit uxorem suam; &: Claritati tuæ breviter respondeo: &, Nostra parvitas dignissimæ paternitati tuæ gratias agit: stul-

ſtultum eſt ita vitare perſonam, quaſi fas non ſit eâ uti,

DE INSCRIPTIONE *literarum.*

INſcriptio (Græcis ἐπιγραφὴ, vulgo ſuperſcriptio) eſt quæ in ſummo Epiſtolæ jam obſignatæ ponitur.

De inſcriptione nihil habemus antiquorum, amice lector, quod poſſumus affirmare: atq; cùm hoc tempore neceſſaria ſit, advertendum, primùm qua ratione hæc nunc à doctis conſcribatur. Deinde quid in ea decorum ſit, quidve indecorum.

Hæc incipit plerumq; ab uno aut altero Epitheto, ſeu adjectivo.

Sequitur deinde nomen & cognomen illius cui redditur Epiſtola,

Tertio jam loco ponitur Magiſtratus, Dignitatis aut officii Nomen, eaque exprimuntur caſu Dativo, per hujuſmodi vocum Ellipſin ſeu reticentiam: Reddatur hæc Epiſtola: vel: Dentur hæ literæ; quæ verba non ſolent exprimi. Utrum autem ſcribas, Meo aut ſuo, parvi refert.

Poſtremo jam loco dextram versùs adſcribitur nomen Loci, idq; ferè in Genitivo, ſubaudiendo Participium agenti, habitanti, aut ſimili.

Ma-

Manutius, & alii utuntur hîc Accusandi casu.

INSCRIPTIONEM QUÆ
ornent aut vituperent.

I. Hoc accuratè in ea est observandum, ut apposito & congruenti utamur Epitheto, non absurdo, non otioso, non mendaci, quod oneret personam, non honestet.

Aliud enim accommodabitur Imperatori, Regi Duci, Comiti, Baroni; vel alteri viro nobili & generoso.

Aliud Pastorem vel Theologum: aliud Magistratum decet; aliud hominem privatum: aliud senem. aliud adolescentem: & doctum aliud, aliud indoctum.

Debet igitur Epitheton ipsius personæ qualitati, hoc est dignitati, conditioni & officio congruenter & aptè respondere.

Ut; verbi caussâ, indoctum aliquem Jurisperitum, gravem potiùs dixeris, quàm eruditum.

Et negligentem ac supinum Pastorem, quidvis potiùs, quàm vigilantem. Etenim sibi quisque conscius, hæc in contumeliam rapit: Non aliter quàm si deformem senem formosum puellum appelles: aut pumilionem, egregium heroa.

II. Huc

II. Huc ſpectat, ut abſtineamus ab Epitheris, quæ vel riſum moveant, vel faſtidium. Quò pertinent hujuſmodi geminationes: Domino D. Domino & M. Item amico ſuo Pyladéo, & alia id genus.

III. Removendi ſunt etiam ab hujuſmodi ſcriptionibus elegantiarum floſculi: Hæ advolent literæ ad manus proprias; &c. Cicero enim & alij Latini non ita locuti fuere.

IV. Poſtremò ne tam multis hoc loco utamur verbis nihil omninò neceſſariis, ut totum Epiſtolæ tergum referciant.

† *INSCRIPTIONUM ALIQUOT EXEMPLA.*

AD PROFESSOREM THEOLOGIÆ.

Viro admodùm reverendo, clariſſimo & excellentiſſimo, Domino *Iohanni Himmelio* S. S. Theologiæ Doctori eximio & in Academia Jenenſi Profeſſori digniſſimo.

AD SUPERINTENDENTEM.

Venerando, variæq; eruditionis laude: Cumprimis ſacrarum literarum ſcientiâ eminentiſſimo viro, Dn. *Iohanni Sigefrido*, Eccleſiæ Slaitienſis Paſtori, & vicinarum Superattendenti vigilantiſſimo.

AD

AD SACERDOTEM,

Viro reverendo æquè ac doctissimo Dn. *M. Michaeli Pharetrato*, Parocho VVeirano Diœceseωs Orilanæ vigilantissimo.

AD LUDI RECTOREM.

Excellentissimo viro, Dn. *M. Sigismundo Evenio*, Gymnasij Magdæburgensis Rectori dexterrimo ac celeberrimo.

AD PARENTES.

Jacobo Claudero, amantissimo parenti, & Elisabethæ, suavissimæ matri; suis.

AD PATREM.

Optimo & integerrimo viro, Ludovico Schallingio; Parenti plurimùm sibi observando,

AD FRATREM.

Johanni Claudero, civi Palæopyrgico fratri suo charissimo.

AD PRÆCEPTOREM:

Præstantissimâ eruditione & integritate viro Dn. Justo Schelhammero, Præceptori meo ætatem amando & æstimando.

AD MAGISTRUM.

Humaniter erudito, & eruditè humano Dn. Davidi Stemlero pietatis & bonarum

artium

artium studiis in inclyta Salana deditissimo; amico meo sincero.

AD LITERARUM STUdiosum.

Ingenuo & ornatissimo juveni, Conrado VVendlero; ingenuarum artium ac partium in celeberrima Academia Jenensi studioso.

AD VIRUM HONORATUM.

Optimo, ut & præstantissimo viro Henrico Hôvero, civi Neapolitano spectatissimo: amico suo veteri & vero.

SELECTIORA ALIQUOT CUjusvis status, ætatis & sexus, conditionis, Epitheta; quorum in conscribendis epistolis, & maximè in superscriptionibus est usus. Prudentia, quæ cum ætate crescit, & diligens præstantium scriptorum lectio, non modo copiam majorem suppeditabunt, verùm etiam delectum & proprietatem eorundem docebunt.

IMPERATOR.

Augustus. Invictissimus. Potentissimus. Præpotentissimus. Semper-Augustus. Apud veteres, *Divus*; quod ex adulatione videtur natum.

REX

REX.

Gallorum: Hispanorum: Britannorum, Bohemorum, &c. Clementissimus; Potentissimus. Quæ duo, ut etiam Serenissimus, communia sunt & Regibus & Archiducibus.

ELECTOR: DUX, seu PRINCEPS.

Serenissimus: Illustrissimus: Celsissimus.

COMES: MARCHIO.

Illustrissimus: Inclytus,

BARO.

Generosus Nobilitate & splendore generis. Generis nobilitate illustris. Antiquâ nobilitate splendidus. Antiquæ nobilitatis vir.

EPISCOPUS.

Reverendissimus, Præsul sanctissimus, Antistes religiosissimus.

SACERDOS.

Reverendus. Colendus. Venerandus. Religiosus. Probatus. Egregius. Eximius. Excellens Præstans. Vigilantissimus. Integerrimus. Christi venerandus sacerdos. Religione & pietate conspicuus.

NO-

NOBILIS.

Antiquitate generis, singulari eruditione ac plurimo rerum usu nobilissimo viro Dn. Gerhardo Marschalch, hæreditario in Frawenfels.

CONSUL.

Gravissimus, Spectatissimus. Optimus & præstantissimus. Amplissimus. Prudentissimus. Dignissimus.

SENATOR.

Ornatissimus Prudentissimus. Lectissimus. Honestissimus, Reipub. studiosiss. Benè de Repub. meritus.

PRÆTOR: JUDEX.

Justissimus Integerrimus, Incorruptissimus. Justitiæ patronus.

THEOLOGUS.

Clarissimus. Excellentissimus, Eruditissimus. Doctissimus. Sacrarum vel divinarum rerum scientiâ præstantissimus. Sacrarum scripturarum interpres. Sincerus. S. Theologiæ Professor eximius. Egregius.

JURE CONSULTUS.

Celeberrimus. Eximius. Legum peritissimus. Juris utriusque juxtà doctus. Juris Utriusque Consultissimus. Cùm sapientissimus, tùm integerrimus.

MEDICUS.

Clarissimus. Fidelissimus. Experientissimus. Multo usu excellentissimus. Medicinæ Doctor præstantissimus. Artis medicæ expertissimus & diligentissimus. Undequaque doctissimus.

VIR PRÆCLARUS.

Vir primarius omni laude dignissimus, & laudatissimus. Probitate & humanitate conspicuus. Optimè de Repub. meritus. Prudentia & autoritate nobilis. Pietate & eruditione insignis. Excellenti doctrinâ egregius.

PATER.

Charissimus. Optimus. Plurimùm observandus. Perpetuô amore venerandus.

MATER.

Suavissima atq; optima, Charissima, & dulcissima. Plurimùm observanda.

UXOR.

Optima. Carissima. Fidelissima. Suavissima. Fidelissima atq; optima.

FRATER.

Optimus, Suavissimus. Carissimus. Dilectissimus, Optimus & dulcissimus.

SOROR.

Suavissima. Charissima. Unicè cara, dilecta, dilectissima, Dulcissima.

FILIUS.

FILIUS.

Chariſſimus. Dilectiſsimus. Svaviſsimus. Dulciſsimus. Mellitiſsimus.

PATRUUS: PRÆCEPTOR.

Multùm, plurimùm obſervandus, Summè, valdè venerandus. Vnicè, præcipuà colendus. Apprimè, inprimis, admodùm, cum primis, Majorem in modum.

OPIFEX.

Induſtrius. Solertiſſimus. Perſpicax. Eximius. Egregius. Spectatus. Circumſpectus. Exquiſitus Accuratus. Prudens. Diligens.

AMICUS.

Primus & fideliſsimus. Sincerus. Integerrimus. Noſtri perſtudioſus. Incomparabilis. Chariſsimus. Perchàrus. Summè, unicè, inprimis, cumprimis charus, dilectus.

SODALIS.

Amiciſſ. Jucundiſſ. Lepidiſſ. Mellitiſsimus.

ADOLESCENS.

Ingenuus. Benè moratus. Ornatiſsimus. Doctiſſ. optimæ, ſummæ ſpei. Præſtantiſsimus ingenio. Optimus, & humaniſſ. Optimis ſtudijs deditiſſimus, ſummæ eruditionis, ſummæq; virtutis. Spectatæ probitatis.

tatis. Literarum ſtudioſus. Ingenuarum artium candidatus. Optimarum artium ſtudijs eruditus. Summâ modeſtiâ & ſingulari probitate: ſummo ingenio, ſummâq; doctrinâ. Summo ingenio & virtute. Præclaræ, generoſæ indolis.

MATRONA.

Próba. Modeſta. Integra. Honeſtiſs. Pudiciſs. Eximia pietate & virtute. Primaria fœmina. Fœminarum præſtantiſſima. Prudentiſſima. Lectiſſima. Generoſa. Nobilis.

PUELLA.

Caſta, verecunda. Pudiciſſima. Benè morata. Lepida. Bella. Honeſtatis exemplar. Amabilis, Jucunda.

INSCRIPTIONUM ALIquot formulæ.

INgenuo & optimæ ſpei puero Bernhardo Stöckich.

Eximiæ tum indolis, tum etiam virtutis puero Johanni Georgio Forſtero.

Impenſio atq; præclaram minitanti puero, Johanni Bernhardo Bertram.

Liberali indole & eximiâ ſpe adoleſcenti, Martino Miro.

Cla-

Claris orto natalibus adolescenti Alexandro Pflug.

Bonæ spei adolescentulo Literarumque Candidato Nicolao Kochio.

Optimo, literarumque avidissimo adolescenti Johanni Ludovico Hoffmanno.

Insignioris & indolis & expectationis puero, Jeremiæ Pharetrato.

Ingenioso, summæque diligentiæ adolescenti Georgio Hoffmanno.

Generosæ indolis adolescentulo Johanni Henrico Gegenfeind.

Summæ integritatis, prudentiæ, & dexteritatis viro Dn. Jonæ Neandro, N.P.

Ornato & splendido viro, Johanni Förstelio Exquæstori Alstetensi.

Prudentissimo & integerrimo seni Bartholomæo Molzero, Consuli Neustadiensium.

Excellenti eruditione & singulari prudentiâ Advocato, Conrado Limmero.

Nobili, spectatissimoque viro, Johanni Oberlendero, Domus Teutonicæ præfecto fidelissimo.

Ornatissimo ac spectatissimo, Caspari Bohemo, Reip. patriæ ab Epistolis.

Literato & candidissimo viro, Heinrico

Hofero Judici & Mercatori Neapolitano laudatissimo.

Prudentiâ, eruditione, multoque rerum usu excellentissimo M. Johanni Loths/ Quæstori Aldenburgensi.

Eruditione, vitæ integritate, plurimoque rerum usu præstantissimo viro, Eugenio Förstero, Domus Teutonicæ Præfecto.

Generoso & antiquâ nobilitate illustri viro Henrico ab Einsidel.

Præstantissimâ eruditione multâque experientiâ clarissimo Medico, D. Joachimo Colbio.

Eximio & Religioso viro, ut & PoëtæChristianissimo, M. Lamperto Alardo Diacono in Krempen.

Viro Reverendo & undecunque doctissimo, M. Caspari Sternenbekio, Ecclesiæ ad D. Afranum Mysenæ Diacono: jam olim suo contubernali: Hodiè amico constantissimo.

Religioso & candidissimo viro, Friderico Olmanno, Ecclesiæ patriæ Cygnéæ ad D. Catharinam Diacono fidelissimo; amico meo auro non contrà caro.

Humanissimo & Excellentissimo viro, Heinrico Oelschlegelio, P. L. & Scholę illustris ad Albim Collegæ dignissimo, fidelissimoq;.

Viro Præstantissimo, Divinisq; Ingenii frugibus in Arte Musicâ abundantissimo, Johanni Hermanno Schein/ Musico Lipsiensium celebratissimo.

Singulari vitæ integritate viro, Christophoro Schelgero, Ærarii Ecclesiastici præfecto ac Senatori.

Multis nominibus ornatissimo M. Valentino Cribitio Curiæ Geitensi ab Epistolis.

Pietate, doctrinâ, & prudentiâ conspicuo viro, Johanni Hammerico, Curiæ Altenburgensis Scribæ.

Pio, Polito & Politico viro Christophoro Fortzschio N.P.

Doctissimo & Amplissimo viro, Dn. Davidi Andreæ, Actuario in Oppurg.

Ornatissimo circumspectissimoque viro, Marco Heilero, Gosseggensium Quæstori,

Optimo & candidissimo viro, Christiano Masero N.P. & Juris Practico.

Amplissimo gravissimoq; Dn. Johanni Günthero Förstero, Archiquæstori Hennebergico.

Virtute & integritate Præstanti viro, Johanni VVilhelmo Stolberg.

Clarissimo pariter & humanissimo viro, Bartholomæo Mayero.

Præſtanti eruditione & integritate viro, Abrahamo VValpu gero.

Autoritate & prudentiâ ornatiſſimo viro; Martino Eichlero, Reip. Neuſtadienſis Camerario digniſſimo

Viro omni virtute & candore præſtantiſsimo, Johanni Lemmſken, civi ac Mercatori VVitebergenſi.

Utriuſque literaturæ callentiſſimo viro, Johanni Fidlero, Scholæ patriæ Magiſtro induſtrio, amico ſuo veteri & conſtanti.

Singulari humanitate, multiplici doctrinâ & linguarum ſcientiâ florentiſsimo, Magiſtro Andreæ VVilkio, Gymnaſii Gothani Rectori meritiſsimo.

Humaniſsimâ Eruditione, & eruditiſsimâ Humanitate florentiſsimo, Linguarum quoq; Orientalium callentiſsimo viro M. Johanni Zechendorff, Scholæ Cygneæ Archididaſcalo fidiſsimo.

Inſigni Eruditione & virtute conſpicuo, Georgio Hornio Conſiſtorii VVittebergenſis Advocato.

Reverendo, pietateque & doctrina Præſtantiſsimo viro, Davidi Geſchkæ, Eccleſiaſtæ in Gnadenſtein vigilantiſsimo.

Viro optimo, venerandoq; Chriſti ſacerdoti Bartholomæo Stöckich.

Viri

Vitæ morumq; integritate præstanti, laudatissimoq; viro, Johanni Hoffmanno.

Amplitudine, doctrinâ & eloquentiâ excellentissimo viro, Victorino Grunero.

Priscæ & veræ Nobilitatis insignisque prudentiæ & eruditionis viro, Jonæ à Quingenberg Hæreditario in VVenigen Aumâ & Zadelsdorff.

Prudentiâ & Eruditione clarissimo, Johanni Herfurdo Abbati Norinbergensi.

Viro omni virtute, & eloquentiâ ornatissimo, Sebastiano Keilio, Archigrammatophylacio Altenburgensi à Secretis.

Egregio fidelissimoque viro, JohanniReutero Reipub. Lubeccensis Causarum Advocato.

Eximio viro, Paschasio Nicolai, optimarum disciplinarum, ac Jurisprudentiæ callentissimo.

Spectatissimo, amplissimo & Prudentissimo viro, Davidi Fabro.

Clarissimo, eloquentiâ, integritate rerumque usu præstantissimo viro, Caspari Hoffheim.

Ingenio, doctrinâ, virtuteque præstanti Juveni, Aaroni Scheibio.

Spectato Civi & negociatori optimo, Gabrieli Trubsbach.

Clarissimo & U. J. Consultissimo Benedicto Carpzovio, scabinatus Lipsiensis assessori, summè sibi colendo amico.

Viro clarissimo & celeberrimo, M. Erasmo Schmiedt / Græc. & Mathem. P. P. Præceptori olim & Brabeutæ suo admodùm honorando.

Humanissimo Præstantissimoque Viro, Georgio Hausmanno P. L. & Scholæ Dresdensis Rectori solertissimo, amico suo æstimando.

Venerando Viro, Pietate, Eruditione, Dignitate & autoritate Clarissimo, Dn. VVilhelmo Alardo, P. L. C. Ecclesiastæ apud Crempenses, præcipuo, & Consistorii Regis Daniæ Assessori digniss. fautori suo omni observantiâ ætatem honorando.

Viro consultissimo, & excellentissimo, VVilhelmo Merckio J. U. Doctori eximio, & Practico dexterrimo, candidissimoq; fautori suo plurimùm amando & æstimando.

Viris ornatissimis Pietate, Prudentiâ, Virtute & Sapientiâ, Consulibus & Senatoribus Reip. Salfeldensis : suis Dominis & amicis studiosè honorandis.

Inclytæ stirpis famæ ingentisque animi viro nobilissimo, Henrico à VVerdern.

Mirâ

Mira animi, generis & corporis nobilitate ornatissimo, Christiano à Pölnitz.

Generis nobilitate, manu consilioque optimo, asperis & secundis rebus æquè, probato equitum signifero, Alexandro ab Einsidel.

Generoso stemmate, rerum experientia, omnique adeò virtutum genere & Privatis & Principi suo probatissimo aulico, Andreæ ab Alvensleben.

Nobilissimi generis splendore, & bellicæ virtutis gloria strenuissimo equitum Cataphractorum Magistro Centurio Pflugk.

Majorum natalibus claro, virtute clariore, vitæque integritate clarissimo viro, Caspari à Sparmberg.





DE LAUDIBUS CICERONIS DIALOGUS,

JACOBI PONTANI,

Qui extat in volumine primo progymnasm. 89.

CHRYSOSTOMVS. GLAPHYRVS.

CHRYSOSTOMUS. Nunquam tam manè, neq; tam serò te convenio, Glaphyre, quin legentem aliquid, affixumque libro offendam: ut tibi illud *Plinii* penitus in animo insedisse videatur, *Omne tempus perire sibi dicebat: quod studiis non impenderet*. Cùm autem ex te percunctor, quid autoris evolvas, raro alium præter M. Tullium nominare soles, cujus modò Epistolas, modò τεχνικὰ, seu præcepta Oratoria, modò Orationes, modò φιλοσοφούμενα manu tenes: Facere nequeo quin te mirer. G. Cur mirare? C. Nam cùm impendio non modico bibliothecam tibi construxeris, possideasque scriptores & eruditione præcipuos, & elegantiâ non contemnen-

manendos, eosque propè innumeros; quid est quòd uni huic, tam fixè pertinaciterq; inhæres, ut ab eo divelli non possis? *Crantor* Philosophus de Poetis exosculabatur Homerum & Euripidem: hic tibi unus præ omnibus in amore ac deliciis est. *G. Nicostratus* pictor Zeuxidis Helenam cùm admiraretur, eum quidam interrogavit, quid ita tam vehementer illam picturam suspiceret? Non interrogâsses, inquit ille, si meos oculos habuisses. Nec tu me Ciceroni adeò deditum mirarére, si in eo videres, quæ ego videre cœpi; si meos, inquam, oculos haberes; non me etiam ipse interrogares. Me istuc factitare, quod objicis, fateor, atque etiam profiteor, & præ me fero: & quò magis facio, eò minùs fecisse pœnitet: quantòque ampliùs & diutiùs hunc suavissimum saluberrimumq; cibum comedo, tantò major me stimulat esuries, illiusque vehementiore desiderio exardesco, sumque in dolore ob eam rem gravissimo, quòd divini huius ac cœlestis ingenij monumenta, à quo tot magnarum optimarumque artium probè percepta fuit; & præclarissimis literis explicata doctrina; nec omnia ad nos peruenerunt, & quæ pervenerunt, nec integra sunt, nec adhuc satis clara & emendata: id

quod ejus studiosi tantùm non quotidie experiuntur. Et quis tandem est οὐκ τῶν φιλολόγων, qui non unum saltem alterumve locum emaculet, corrigat, sanet, illustret, declaret, castiget, restituat, purget, defendat? his enim verbis, idemque valentibus multis in ista re utuntur. C. Hæc tria, primùm potissimè cum T. Livio, Varrone, Poetis plurimisque non spernendis scriptoribus antiquis, tum Latinis, tum Græcis ipsi commune est: quorum labores & vigilias aut edax tempus, invidiosaque vetustas nobis abstulit aut barbarorum Italiam & Græciam depopulantium furor, & immanitas deperdidit. DEUM immortalem, quas gazas? plus quàm Pactoli opes, plus quàm talenta Pelopis. Ac si tantis copiis, fortunisque indignissimè spoliati, nihilominùs tam exaggeratas adhuc eruditionum divitias retinemus, qualis quantaque extitisset nostra felicitas, si tot librorum lectissimorum millia servata fuissent? Veruntamen tu reliquorum auctorum vicem parum solicitus, unius casum jacturamque inprimis dolenter pateris & lamentaris, cujus amore percussus es supra omnes. G. Equidem Ciceronis unius, qui mihi est pro centum millibus, amore percussus sum, ut dicis. Jam si amare, ex quo ami-

amicitiæ nomen dictum est, nihil est aliud, ut hic idem docuit 2. de Finibus, nisi velle bonis aliquem affici quam plurimis, etiam si ad se ex iis nihil redeat, nonné mihi optandum medullitùs, ut extent de Republ. de consolatione, de temporibus suis, Hortensius, cæteriq; libri Latinæ linguæ, & eloquentiæ Romanæ parentis, omni doctrinâ elegantiâq: refertissimi; ut quanquam ubiq; terrarum jampridem adeptus est amplissimam; tamen longè ampliorem adhuc laudis & gloriæ celebritatem adipiscatur. C. Pervellem ego quoque extarent tam præstantis ingenij, tamque sapientis & clari hominis opuscula reliqua: sed ea aut nostram, aut posteritatis memoriam aliquando visuram, cùm hactenus tanto intervallo temporis prolata non sint, desperandum opinor. Hic ego immortales gratias habendas illi statuo, qui abhinc septennium Consolationem, aureolum profectò libellum è tenebris vetustatis in lucem eduxit, & desiderationem, tot amissorum librorum unius inventione quoquo modo lenivit. H, Ha ha he: simplicitatem spectate hujus mei Chrysostomi. G. Ride, & deride ut lubet, me de sententiâ non detrudes. G. Quid? tu illum commentariolum è Ciceronis officinâ pro-

cessisse? quid? tu illius ingenii extra omnem ingenii aleam positi; tu facundiæ literarumque parentis fœtum esse credis? G, Quidni credam? ita prædicant. G. Ita prædicant? ô inscitiam, ô impudentiam! Quis invenit? ubi inventus est (quæ occasione? quo modo? quo anno? cur nullæ lacunæ? cur nihil usquam imperfectum? cur nullam cariem? cur blattas ac tineas nusquam sensit? usque adeone oleo cedrino illum perunxerant? omnia plena, integra, nihil mutilum, nihil situ exesum, nulla litera fugiens, omnia expeditissima, qua si tum primùm scriptus esset, cùm est repertus. C. Moverunt me principio ista, quæ opponis, & mirabar sine ullâ præfatione, sine emendatione, sine ullâ annotatione tot annorum centuriis sepultum proferri librum. Ast omnem postea scrupulum Caroli Sigonij, hominis in antiquitate perscrutãda diligentissimi, & eloquentissimi, orationes duæ mihi exemerunt, quibus eum & à Cicerone confectum, & partum suo parente dignum esse demonstravit. G. Errorem haud levem in extrema senectute obiectum Sigonio, & Consolationem istam esse supposititiam, ex frustulis per totum Ciceronem è germana illa consolatione di-

sper-

ſperſis contextam, imò ex I. Tuſculanâ magnam partem deſcriptam, inflatam nimis & grandiloquam, ſuavitatis, & divinæ illius dulcedinis, qua pollet in conſolando tenerâ molliq;ue naturâ præditus M. Tullius, prorſus expertem, & aliis præterea vitiis laborantem, complures poſtea eruditi homines minimè dubiis rationibus convicerunt. Sed me reprimam, nec vagabor in hac opinione refutandâ longiùs. Nam ut eſt apud Arnobium, ajunt ſana ſentientes contradicere reb. ſtultis, ſtultitiæ eſſe majoris. C. Quando tu iſti libello, non temerè; ſed ad probandum firmis argumentis, complexionibuſque confiſus, quod animadverto, tanquam ementito hæredi, & impoſtori, Ciceronianæ dignitatis nobilitatiſq; patrimoniũ negas, cur ego aſſeram? aut cur ejus patrocinium ſuſcipiam, ſi eum Sigonius, (qui vir?) defendere, ſive ut dicam rectiùs, cooptare in familiam Tullianum toto, ut ajunt, corpore nerviſque omnibus connisus non potuit? Tuum porrò judicium in complectendo, & in oculis atque in ſinu ſemper geſtando Tullio nequaquam reprehenderim; velim nihilominus ad meam utilitatem ejuſdem judicij tui amoriſq; tam inflammati cauſam ex te cognoſcere. G. Non tu

mihi imperterritus, animæq; prodigus miles videris. C. Quidùm? G. Quia cum vix adhuc signa cecinerint, relicta parmula meorum armorum aspectu tremefactus te fugæ mandasti. C. Ego non contremiscam? ego non fugiam? primo congressu imperatorem meum dedisti ad necem: & parœmiam nosti veterem: *cæso duce fugantur milites.* Nec verò si quis mihi hanc fugam exprobraverit, responsurus sum quòd ille è prælio apud Cheronæam fugiens, qui ignominiæ causa ῥίψασπις est cognominatus, respondisse fertur: ἀνὴρ ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται. *Qui fugerit, rursum ille præliabitur* Sed ad incæpta redeamus. G. Multitudo, Chrysostome, lectitantium Ciceronem, imitariq; conantium, ipsa insuper experientia, variusque fructus, quem mihi ex eo tot annis diligenter etiam atque etiam lecto, ac penè contrito collegisse videor, ipsum mihi penitus penitusque commendaverunt, hæretque mihi in venis, in medullis; Quæ enim schola est in tota Europa, immo in Asia, & Africa quoq;, in qua quidem Latinus sermo doceatur; cujus parietes non quotidie vocibus Ciceronianis personent? Quis magistrorum non mille colaphis puniendus censeatur, si Cicerone careat; cùm Alcibiades tam ægrè putârit sibi ferendum,

me-

magiſtrum illum, in cujus ludum intraverat, carere *Homero*, ut manum ab eodem Alcibiades verberando abſtinere nequiverit? Quis autem ſcholaſticorum non unum ſaltem atque alterum ejus librum tenet in capſa ſua, ſi omnes præ nummorum penuriâ non poſſit emere? quis eſt qui ſe literarum ſtudioſum dicere audeat Ciceronis ignarus? quis non ſibilis conſcindatur, qui ſe hunc non curare, nolle imitari, non nimis dictionem ejus probare præ ſe ferat? quis tot interpretes, tot ſcholiaſtas, tot correctores, tot explicatores & illuſtratores, tot etiam admiratores, encomiaſtas & præcones invenit? in quo toties recudendo typographi, toties vendendo bibliopolæ, toites colligando bibliopegi occupati ſunt, & fuerunt, & erunt? C. Manifeſtiora ſunt hæc, quàm ut ea neget vel impudentiſſimus. In quo autem tibi tantum emolumenti peperit, ac mihi, aliiſq; ſui amantibus parere poſſit, velim pro noſtra inveterata conjunctione oſtendas. H. Non dubito quin multa & ſæpè de illius viri laudibus legeris. C. Multa equidem & frequenter legi. G. Ea ipſa quid in eo quærere, quo pacto ejus opulentiâ rem tuam augere deberes, utcunq; docendi te vim habuerunt. C. Habuiſſent; verùm cùm ea legerem, non id cordi erat, ut in a-

lumnis, & clientibus Tullianis numerarer. G. Quid ergo? C. Tantummodo ut liberali doctrinâ augerer, bonæq; Latinitatis instrumento domum meam exornarem atq; instruerem: qui omnium propè in literis versantium communis est finis. Etsi verò non pauci sunt, qui se ad exemplum Tullij effingere laborant, non ita multi tamen illius effigiem, virtutemq; assequuntur; G. Hoc ideò fit, quia stylum ejus probè cognoscere, & de eo scriptore judicium ferre non est cujuslibet; deinde rationem certam ac veram eò quò intendunt perveniendi, non observant: in qua præscribenda videmus quosdam studium posuisse. C. Memini me in ejusmodi commentariolos incidere, quos duabus de causis volvere supersedeo. Primùm quia ferè non persequuntur, nisi exilia quædam & minuta, atq; ad solam elocutionem spectantia: perinde quasi eloquentia cujus perfectus ad unguem absolutusq; magister & dux Cicero proponitur, non etiam aliis partibus contineretur. Deinde, quia præcipiunt: quæ in ipsorum Oratione; cùm aliquid scribere aggressi sunt, non elucent: Est enim horrida plerumq;, jejuna, dissoluta, incompta, plena ruris. Ciceronis autem ple-

na

na ſucci, plena ſuavitatis, plena cultus, æquabiliter fluens, aptis illigata numeris, multisq; diſtincta luminibus. Quare tacitè illos jubeo in ſuum ipſorum ſinum inſpuere, & cum ſe purpuram vendere profiteantur, à ſemetipſis quoq; ſumere, non aliundè quæritare exemplum, quod mihi exhibeant. G. Mittamus horum inſtitutum in præſens. Quid mihi Cicero meus contulerit, malo ab aliis, & aliquando abs te ipſo (quando nimirum planiùs eum exploratiusque noveris) cognoſci, quàm à me non ſine arrogantiæ ſuſpicione enuntiari. Alterum illud, quid nempe tibi cæterisq; ſcripta M. Tulij utilitatis afferre poſſint? ſpero te ex ore meo hodiè intellecturum. C. Aures admoveo percupidas, meque regalibus epulis abs te acceptum iri divino. G. Veriſſimè. T. Livius de Cicerone: in ejus viri laudes ſequendas ipſo laudatore opus fore. Quòd non ſolùm de rebus illius præclariſſimè, pro ſalute & incolumitate Reipub. geſtis, toleratáq; morte: verùm etiam de eximia, & omnibus ſæculis prædicandâ eloquentia interpretandum ſcias: quæ quidem eodem ipſo teſte, & plurimarum maximarumque rerum cognitione effloreſcit ac redundat, & eſt copioſè loquens ſapien-

pientia, & unum quiddam ex multis artibus, scientiis, studiisque conflatum atque collectum. Quantam istud admirationem habet: eum qui quinto & vicesimo ætatis anno intra judicum subsellia versari, ad causas privatas atque publicas adire cœpit, omne reliquum vitæ suæ tempus honorum, magistratuumque perfunctione, urbanis seu domesticis, provincialibusque negotiis, longissimis creberrimisq; itineribus transmisit, nihilominus ita multos, ita rebus & verbis singulares edere libros potuisse? Quid tibi hæc inter tantas corporis animiq; contentiones πολυγραφία, quid, inquam, aliud indicare videtur, nisi vehementissimum, incitatissimumque studium, summum, & ab omni laude felicissimum ingenium, scientiarum, copiam, exercitationem maximam, memoriam penè divinam? C. Sæpè illi vigilatas noctes existimo, & sententias aliquot recordor, quibus incensum in literas amorem suum testatus est: quæ ipsi cùm delectationi in secundis, tùm solatio in adversis, in gravissimis nempe illis Reibublicæ tempestatibus, privatisq; incommodis fuerunt. *Me, inquit in Epistolis, à prima ætate omnis ars, & doctrina liberalis, & maximè Philosophia delectavit.* Pro Archia. *Quis tandem*

me

me reprehendat, aut quis mihi jure ſuccenſeat, ſi quantum cæteris ad res ſuas obeundas quantum ad feſtos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates. & ad ipſam requiem animi & corporis conceditur temporis, quantum alii tribuunt tempeſtivis conviviis, quantum deniq; aleæ, quantum pilæ; tantum mihi egomet ad hæc ſtudia recolenda ſumpſero? In primo autem de Oratore, *Ac fuit tempus iſtud, cum mihi quoq; initium requieſcendi, & animum ad utriuſq; noſtrum præclara ſtudia referendi fore, juſtum & probè ab omnibus conceſſum arbitrarer.* Sic initio *Tuſculanarum. Cum defenſionem laboribus, ſenatoriiſq; muneribus*: & quæ ſequuntur. Ad Atticum: Ego, *hic duo magna* συντάγματα *abſolvi: nullo enim alio modo à miſeria quaſi aberrare poſſum* Ad Meſſinium, lib. 5. ad familiares: *Itaq; utor eodem perfugio, quo tibi utendum cenſeo; literulis noſtris.* Et ad Appium Balbum, lib. 6. *Sed eſt unum perfugium, doctrina ac literæ, quibus ſemper uſi ſumus: quæ ſecundis rebus delectationem modò habere videbantur: nunc verò etiam ſalutem:* Et ſexcentis præterea locis per illos Epiſtolarum libros. G. Qui ætatem omnem procul à Republica abundantes ingenio; doctrinâ & diligentiâ homines in literis habuerunt, tam multa certè mandare chartis ſupervicturis non potuerunt.

C. Ti-

C. Tibi istuc assentior, est enim apertissimum. G. Leges tu quidem Latinos Scriptores omnes, si me audias, & leges quamdiu voles: hunc unum imitaberis, quem ut transeundi spes non sit: magna tamen est dignitas subsequendi, de quo multò justiùs, quàm de Epicuro canetur:

Qui genus humanum ingenio superavit, & omnes
Præstinxit stellas, exortus uti æthereus Sol.

Siquidem alios universos in omni dicendi genere longinquo post se intervallo reliquit.

Quid enim contendat hirundo
Cygnis? aut quidnam tremulis facere artubus hædi,
Consimile in cursu possint, ac fortis equi vis?

Hinc copiam & ubertatem, hinc brevitatem; hinc gravitatem; hinc suavitatem; acrimoniam, perspicuitatem, subtilitatem; mediocritatem, magnificentiam petas. Ad ingenia illustria limanda, perpolienda & alenda nemo aptior: nec est quisquam, quem ille non ut rebus doctiorem, sic oratione splendidiorem ab se dimittat. Hic unus meritò gnomon quidam, & regula in verbis eligendis statuatur, quam esse originem eloquentiæ Cæsar scripsit, abjecta, obsoleta, dura, aspera,

impro-

impropria, longiùs ducta, obscura, in eo nulla. Contra autem dilucida, plena, sonantia, illustria, jucunda, magnifica, propria, usitata, pura, numerosa omnia. Proinde si rectè ratiocinaberis, huic uni præoptabis te similem, quàm aliis superiorem esse. Cave autem idem facias illis, qui quoties aliquid arrogantiùs ab eo dictum inveniunt, quoties ille se avidum gloriæ confitetur, miserum reprehendunt: cùm nos non mores; sed linguam & doctrinam in ipso querere potiùs, & ista collaudare imitationeque pro viribus exprimere, illa dissimulare debeamus. C. Vellem tecum sensissent, qui oppugnare imitationem Ciceronianam, ut gigantes cœlum, non horruerunt. G. Non curat Hippoclides quid illi mastiges fabulentur, Zoilosque & Andabatas nec pili facit. Cicero noster omnium doctorum suffragiis in omni sermonis virtute primas tulit: quem quidam è Græcia Romam reversus, cùm ingentes sibi copias ex facundissimæ, & eruditissimæ gentis illius copiis collegisset, ita excoluit, ornavit, amplificavit, ut jam Græcis ipsis non adeò multùm concedamus: cum quibus ipse de dicendi gloriâ tam felici Marte dimicavit, ut de iis tropæum constituerit. C. Quoniam de copiis è Græcia Romam trans-

portatis mentionem injecisti, occurrit animo præclarum illud testimonium, quo Apollonius Molo, quem Romæ bis audierat priùs, & cui se Rhodi postea recoquendum dedit, cùm tota Asia peragrata, cum summis se Oratoribus exercuisset, cohonestasse Ciceronem dicitur, cùm eum Græcè eloquentissimè orantem audivisset. Nam cùm cæteri omnes qui tum aderant obstupuissent, Ciceronemque certatim extollerent: Apollonius neq; dum audiret, hilaris visus est, & postquam ille peroravit, diu tristis attonitoq; similis cùm sedisset, tandem aliquando: Te quidem Cicero laudo, inquit, & admiror: sed me Græcorum fortunæ miseret, cùm videam doctrinam & eloquentiam, quibus bonis jam solis beati eramus ad Romanos per te translata esse. G. Fuit sanè præclara vox illa Græci doctoris, eamq; postea eventus comprobavit. Quamvis igitur meritò præferendus videatur omnibus, qui domi forisq; Remp. probe administrârũt, quòd illi partes aliquas juverunt, hic simul universam conservavit, possitq; tantò justiùs secundus appellari Romulus, quàm Camillus, qui parvum adhuc, & angustum restituit, cùm hic tantoperè auctum amplificatumq; imperium è faucibus fati

fati eripuerit: tamen quod Cæsar de eo scripsisse proditur, ad gloriam illi maius est. C. Quid scripsit? G. Ciceronem somnium triumphorum lauream adeptum majorē, quantò plus est ingenij Romani terminos tantum promovisse, quàm imperii. Nec illa non certissima sunt, quæ vir literis Græcis & Latinis juxta atq; doctissimè eruditus, atq; in Ciceronianis scriptis multum diuque exercitatus de eo magnificè protulit. C. Quænam? G. Strictim, & ex multis paucissima tibi recitabo. C. Animo arrectus sum ad audiendum G. *Ex hoc tanquam uberrimo omnium doctrinarum atq; artium fonte, sive Grammaticum aliquid, sive Rhetoricum, sive Dialecticum, sive Historicum, sive Poeticum, sive Geographicum, sive Oeconomicum, sive Morale & Politicum, sive Physicum, sive Geometricum, sive Musicum, sive Astrologicum; quicquid deniq; ad ullam artem libero homine dignam pertinens requiras, hinc tibi assiduò haurire licebit. Ab hoc discunt pueri, senes, privati, magistratus, rustici, urbani, miseri & calamitosi, beati & fortunati, pauperes & egentes, divites & abundantes, ignobiles & obscuri, nobiles & clari viri: ab hoc militares & sagati, ab hoc pacis alumni & togati, ab hoc infimi & humiles, ab hoc viri excellentes & principes. Denique nemo est mortali-*

um cujuscunque sit vel ætatis, vel loci, vel ordinis, vel fortunæ, vel studii, vel nationis, quin à Cicerone & melior & doctior fieri possit. C. Agnosco laudationem. Iure sibi illum tantis laudibus ornandum sumpsit, â quo fuit ipse tam eximiè excellenterq; ornatus. Et par esse duco, ut omnes animi ingeniiq; vires, in eo deprædicando profundant, quibus ille tantum, quantum huic profuerit, cuius verba modò recitabas. G. Num Victorij, Sigonij, Mureti, Manutij, Corradi, quos germanos Tullij discipulos appellare possis, scribendi elegantiâ atq; munditiâ, & eruditionis varietate magistrum suum non valde commendant? maximè commendant. Ad ea posthac exemplaria respiciam, versaboque Ciceronem non paulò diligentiùs, & aliquam eius similitudinem in meam imaginem, ut *Zeuxis*, transferre annitar. G. Gaudebis fructu hujus diligentiæ tuæ magis, quàm si quis tibi regnum donavisset.



IN-



INDEX PRIOR EORUM, DE QUIBUS IN HOCCE libello agitur.

Respons

INDEX POSTERIOR EPIstolarum Ciceroniarum, quibus in hoc libello annexæ sunt Imitationes.

EX EPISTOLIS AD FAMILIARES.

LIB. II.

LIB.

INDEX.

LIB. XI.

EX EPISTOLIS AD ATTICUM.

LIB. IV.

LIB.

FINIS.



LIPSIÆ,
Impensis Eliæ Rehefeldt
& Johann Grofs.

Excudebat *JOHANNES ALBERTUS MINZELIUS.*

ANNO

M. DC. XXIX.

120


.


384
C.
443




ldt

RTUS









est inuictus qui

alienigena ad

Do:

ad

quid manduca

ung hire

olu